FERDINANDO. I

AVSTRIAE. IMPERATORI

HVNG. BOHEM. LANGOB. VENET. GALIC. LODOM. ILLYR

ET. DALMATIAE. REGI

QVI. FIDELISSIMAM. HANC. FLORENTIS. IMPERII. PARTEM

PATERNO. AMORE. COMPLECTITVR

QVI. REM. HERBARIAM. HORTVMQ. PATAVINVM

INTER. BOTANICOS. VETVSTISSIMVM

MVNIFICO. PATROCINIO

FOVET. AVGET. INLVSTRAT

ROBERTUS. DE. VISIANI

DALMATA

ET. IN. PATAV. ARCHIGYMN. BOTANICES. PROF. HORTIQ. PRAEF

OB. BENEFICIA. IN. SCIENTIAM. IN. PATRIAM

IN. SEMETIPSVM. CONLATA

FLORAM. HANC. DALMATICAM

OBSEQVII. GRATIQ. ANIMI. ARGVMENTVM

D. D. D.

PROŒMIUM.

DUM omnes Europae partes incredibili diligentia et amore a botanicis undique peragratae ut vegetabilia quibus ornantur in lucem proferant et in artium incrementum adducant, operibus gaudent peculiarem loci vegetationem exhibentibus, dum nec remotiorum regionum Florae desiderantur, Dalmatiam fere unam, Europae angulus nec ignobilis nec tale merens, botanico qui plantas ejus universas exponeret atque illustraret hactenus caruisse videmus.

Atqui et geographicus ejusdem situs, in quo Floras ditissimas, Siculam nempe, Hungaricam et Graecam fere coire dixerim, et climatis amoena temperies, et soli varietas omnimoda, ut ibi omnium stationum plantae aptissima sibi loca possideant, et mare oram longissimam lambens insulasque numerosas circumfluens in causis erant, ut ii, quibus herbarum studium cordi est, de divitiis vegetabilibus regni hujusmodi fauste augurantes, ipsum nec itineribus inopportunum nec investigationis immeritum arbitrarentur. Obstabat tamen loci longinquitas, accessus hucusque difficilis, morum diversitas, inscientia linguae, ut praeconceptam opinionem mittam de viarum periculis, quae etiamsi minus vera, tamen exteras amabilis scientiae cultores ab hoc itinere deterrebat. Quo factum est, ut qui Dalmatiam inviserint et pauci fuerint et oram continentis fere solam maxima ex parte scrutati sint, hanc quoque obiter et perfunctorie explorati.

Si Flora uniuscujusque regionis semper ab incola, caeteris paribus, exactius absolvitur quam ab alienigena, illa Dalmatiae profecto ob obstacula nunc memorata, botanicum dalmatam prae caeteris expetebat, cui facile aperiretur iter per omnes regni partes, quo divitem plantarum messem leviori negotio sibi compararet.

Itaque his rationibus motus patrioque amore perculsus, cum jam ab ineunte juventute herbarum studium in deliciis habuerim, viginti ab hinc annis Dalmatiam rite peragrandam suscepi, dein specimen de rarioribus ejusdem plantis adhuc absens in lucem edidi, ac postremo in patriam reversus, ibique octo annos commoratus toto pectore incubui, ut omnes ejusdem partes, qua longe lateque patet, a sinu flanatico ad Rhizonicum, ab ora maritima ad montes limitaneos, diligentius mihimetipsi exploratas haberem. Hoc proposito stirpibus inquirendis impigram navans operam, tandem distissimum harum thesaurum mihi congessi, nec non observationum descriptionumque numerum sane magnum, ut generalem Dalmaticae vegetationis conspectum botanicis offerre possim.

In regione exteris botanicis summo ore veluti delibata ac fere ignota ut haec nostra, et inter australiores ac orientales Europae plagas loco opportunissimo posita, facile quisque sibi persuasisset rarissimas degere plantas, quae tantum seduli observatoris aciem manerent, ut inde scientiam novis inventibus locupletarent. Et degebant profecto. Plures hinc detexi novas species, quasdam obscuras enucleavi, dubias accuratius perpendi, raras diligentius descripsi, harumque imagines a solertissimo mihique conjunctissimo rerum naturalium pictore Jacobo Acqua ad vivum, et saepius e vivo delineari curavi.

Dum ego tamen patriis vegetabilibus tacitam, at assiduam operam impendebam, caeperant haec ad botanicorum manus pervenire, et varia, ut assolet, de iisdem ferebantur judicia. Sed quam difficile sit ab unico specimine inspecto, et hoc sicco, et hoc saepius manco, et hoc forsan falso de novae cujusdam speciei le-

gitima distinctione ab affinibus aequum judicium ferre, propria experientia edocti botanici bene norunt. Ideo nil mirum si stirpes meae aliquot ob falsa vel manca specimina, fors etiam nimis festinanter inspecta, nec sedulo cum editis descriptionibus comparata, ad diversissimas plantas ab exteris alioquin spectabilibus viris injuria relatae sint, obliti sane neminem, caeteris paribus, de plantis alicujus loci minori errandi prababilitate aliquid certi statuere posse, quam qui eas loco natali vividas florentesque millies viderit, pluries legerit, et omnes variationes stirpis probe notaverit, de constantioribus differentiis sollicitus, ut ipsas a minus firmis observatione propria distinguat. Certum est nec siccorum specimimum studio, nec ipsa plantarum cultura, quae ditioribus succis, et affinium specierum pollinis admixtione notas earumdem minuit, auget, vitiat, immutat, adeo exactam epeciei notionem acquiri, quam observatu multiplici vivarum spontanearumque stirpium locis natalibus instituto.

Taedebat, nec inficior, durissimae in plantas nostras sententiae quippe quae lata juxta specimina non solum dubia, cum originalia, et ab auctoris manu non essent, sed saepius falsa, ut mihi aperte constabat. Aegre ferebam insuper plantas jam cognitas, sed a me primum in Dalmatia observatas, et a me ipso aliis communicatas sub illorum nomine illorumque fide in operibus botanicorum referri, et tum ego tempus et operam in Flora Dalmatica perlustranda impenderem, alios non suis inventibus apud exteros gloriari. Sic vos non vobis mellificatis, apes!

Qua propter, ut species meae a sententia illa, si minus justa, et quatenus vindicarentur, et ne jamdiu suscepti laboris fructus qualiscumque longius lateret, et ignavo silentio tectus penitus exolesceret, neve Dalmatia Flora sua diutius careret, ad plantas omnes in ejusdem confiniis hactenus observatas, mihique visas methodico ordine digerendas, earumque differentias exarandas, totiusque hujus vegetationis historiam ingenuitate et diligentia, qua par est, botanicis exhibendam animum appuli, omni ope enixus, ut

opus inde nasciturum nil eorum praetermisisse aequis censoribus videretur, quae in hujusmodi operibus solent exquiri.

Et primum considerans quantum soli naturam, geographicum loci situm, mutuamque partium quibus componitur distributionem ad vegetationem cujuslibet regionis faciat, facile mihi patuit quaedam de hisce omnibus apud nos mihi esse exponenda, imo operi praemittenda. Hinc de regni Dalmatiae positu, forma, magnitudine atque natura, de urbibus, locis et insulis, de ejusdem finibus; de montium catenis, altitudine, formatione, directione; de sylvis, de fluviis, de lacubus, paludibus ac salinis; de anni tempestatibus, de topographica plantarum distributione, de proportione, quam id loci servant ordines naturales, deque aliis ad geographiam botanicam pertinentibus, qua potui latitudine praefatus sum. Postremo ea omnia quae de Florae dalmaticae historia hactenus colligere licuit protuli, eorumque labores qui plantis dalmatis inquirendis describendisque quamdam navarunt operam, quorumque nomina omni adhibita diligentia mihi innotuere, chronologico ordine enumeravi. Qua in parte id certe aliqua attentione dignum videbitur, quod regio haec omni aevo adeo stirpium dives habita sit, ut ejusdem plantae jam a tribus regibus explorarentur, nempe ab Alphonso I. Estensi Ferrariae Duci, cum Antonio Musa Brasavola, a Francisco I. Austriae Imperatori cum Francisco de Portenschlag, et paucis abhinc annis a Friederico Augusto Saxoniae Regi cum Bartolomeo Biasoletto.

Quae cum absolverim, ad methodum seligendum, qua plantas disponere debuissem animum verti, et naturales earundem affinitates apprime servare studens, methodum naturalem anteferendam censui, facilitate posthabita, qua Linnaeanum systema tyronibus commendatur. Itaque conspectum sectionum, quo cl. Friedericus Bartling ordines suos naturales distribuit, libenti animo secutus, partitionem Gymnoblastarum solummodo mutandam censui, quas in Monochlamydeas et Dichlamydeas divisi, has iterum in Mono-

petalas et Polypetalas dispertitus. Quoad ordines, quibus classis quaeque componitur, illos mihi accipiendos duxi, qui pluribus gravibusque notis ab affinibus discriminantur, subtilioribus quorundam ordinum differentiis consulto neglectis, utpote quae laeves essent, nec caeteris ordinum notis dignitate pares. Non illi, qui primus ordinis nomen excogitavit, aut qui novam quorundam nominum terminationem, aut exiguam vocis mutationem proposuit ordinis creationem adscripsi, sed illi uno qui primus eas ordini notas et limites posuit, quibus is nunc et hoc in opere circumscribitur. Tali pacto Gramina, Coniferas, Umbellatas aliasque Linnaeo, Irideas, Typhaceas, Acanthaceas plerasque alias Jussieuo restitui. Sic quoque Cyperoidearum, Cactoidearumque nomina esse servanda, nec recentioribus Cactearum, Cyperacearumque nominibus postponenda esse censui, cum illa non Cactos Cyperosque excludere videantur, ut alii arbitrati sunt, quin imo indicent plantas in hisce ordinibus contentas Cactis et Cyperis simillimas esse, ideoque cum illis uno eodemque ordine naturali jure meritoque comprehendi.

Ut vero difficultatibus pluribus, qua methodus naturalis implicatur quousque licet occurrerem, utque facilius plantae cujusvis ordo genusque a tyronibus comperiretur, illam methodo analytica sive ut ajunt dichotoma, copulavi; hinc operi meo classium ordinumque tabulam analyticam anteposui, et simili modo cuique ordini tabulam generum in hoc contentorum praefixi: quibus tabulis plantae cujusvis ordo genusque laeviori negotio invenitur, sed hoc nonnisi postquam qui quaerit potissimis plantae notis diligenter studuerit; quo fit ut utilitas methodo naturali propria cum facilitate artificialis jungatur. Expertus tamen hac ipsa in via haud rarum esse a recta deflectere, et in alienum ordinem vel genus incidere, tyrones moneo, ut invento ordinis aut generis nomine specialem eorundem consulant characterem, quem si quaesitae plantae notis in essentialibus respondere dignoscant, se verum ejusdem ordinem genusve reperisse laetentur; sin minus, intelligant in hac investi-

gatione uno alterove loco errasse, quapropter ad tabulam redeant, ut accuratius exquirant, commissum errorem detegant, verumque locum plantae suae nanciscantur.

Quoad species, conferenti mihi saepenumero plantas nostras jam cognitas, cum earundem diagnosibus ac descriptionibus in operibus etiam gravioribus exaratis, facile patuit, ob soli coelique diversitatem, descriptas species saepissime a nostris magis minusve abludere; hinc potius fere omnium differentias noviter ex ipsis plantis eruere, quam ab aliorum libris haud congruentes exscribere consultum duxi. Curavi etiam, ut hae differentiae comparativae essent nec absolutae, ut scilicet cum illis affinium specierum conferri possent, quo promptius notae illae quibus quaeque stirps ab affinibus discrepat, dignoscerentur. Eadem de causa et generum characteres ex observatione propria desumpsi, quorum notis et variam inflorescentiae formam, quando toto generi communem noveram, addere placuit. Descriptiones adjeci quoties rarioris, vel obscurae, vel ignotae plantae sermo erat. Icones paucas citavi, sed quasque optimas, sive plantas meas exactius ac caeterae referentes, nec unam quidem nisi a me visam, et cum planta, cujus reddebat imaginem, studiose collatam. Tali modo quot errores vitaverim etiam in melioribus Floris obvios ob nimiam scriptorum fidem in aliorum auctorum opera, unde diagnoses iconesque mutuati sunt, is unus sibi persuasum faciet, qui propriis oculis tantummodo fidens, pari dubitatione ac quasi religione hanc non ultimam Florae alicujus partem sibi elaborandam suscepit.

In nominibus tum genericis tum specificis eligendis, ea quae primitus, et ab inventoribus imposita fuerunt, ni omnino erronea essent, sancta retinui; posteriora etiamsi magis apta rejeci. Ne tamen aliquis verba haec male interpretatus existimet, me e vetustioribus scientiae patribus obsoleta plantarum nomina consulto excerpsisse, ut Linnaeanis praeponerem ac posterioribus, libet profiteri nomina generica ante Tournefortium, et specifica sive

trivialia ante Linnaeum plantis indita, utpote quae ante Philosophiae botanicae exortum, ante generum specierumque legitimam distinctionem, ante legum, quibus haec scientiae pars modo regitur, lationem creata, me judice, nulla auctoritate valere, et ideo nullam praelationem mereri. Antiquorum nomina haud talia erant, qualia post Linnaeum botanicos admisisse cernimus, et si qua talia fortuito olim orta, hac ipsa de causa nec servari merebantur, nec multo magis, si jamdiu oblita et vetustate exoleta, nunc temporis merebantur restitui. Si Tournefortio et Linnaeo creationis generum gloriam concedimus, si hunc nominum trivialium statorem primum inventoremque consensu unanimi botanici declararunt, quo jure, quaeso eorum nomina sive generica sive trivialia delere posse arbitramur? Aut quomodo eadem nominibus postponere non dubitamus in antiquiorum operibus recensitis, cum horum auctores nec quid genus, nec quid species esset rite cognovisse confiteamur? Post nomen primi speciei statoris eos tantum auctores indicare placuit, qui de plantis dalmaticis expresse egerunt, utpote magis ad rem facientes, hosque recensui ordine temporis, quo eorundem opera prodiere: caeteros consulto omisi. Eadem parcimonia curavi et synonima, illa tantum exscribens, quae hisce auctoribus propria, aut a laudatioribus scientiae magistris et novatoribus nuperrime plantis indita. Nomina etiam vernacula sive illyrica botanicis addidi, quorum ope pleraque vegetabilia citius ab exteris peregrinatoribus inveniuntur; ratas praeterea cum Linnaeo immortali nomina haec „in floris specialibus multum lucis „accendere; non modo ut facilius ab incolis addiscantur plantae, „sed et ut ex vulgi nomine saepius ingenioso natura plantae in„notescat“. Adjeci denique stationes, habitationes, et in rarioribus etiam altitudinem loci plantarum, earumdem vivacitate imo et florum colorem, quem stirpium nomini detegendo tyronibus saepe conducere mihi compertum erat.

Postremo usus praecipuas certioresque notavi tum medicos; tum oeconomicos, tum artium proprios, ut opus hoc aliqua va-

leret utilitate etiam apud illos qui herbarum studio minime delectantur. Utque peculiares plantarum vires rusticis nostratibus praecipue notas publici juris facerem, hisque Floram hanc exornarem, iisdem colligendis comprobandisque diligentem operam dedi, sciens aliquid novi apud ipsos latere, quod medicis tentaminibus explorari merebatur.

Quaedam etiam pericula ad hasce novas plantarum vires illustrandas egomet feci cum dulcissimo ac solertissimo sodali meo M. D. Vincentio Jadorov Sibenicensi, quibus vulgari illae opinioni certitudo quaedam accessit, majoremque accessuram esse confido, ni Medici novitates has qualescumque de stirpium viribus aspernati, propria iterataque experientia easdem confirmare aut refellere dedignentur. Quos itaque enixe rogo, ne praematuro judicio sententiam meam utpote erroneam damnent, praesertim quoad usum fumi foliorum Stramonii in asthmate, extracti Agaves americanae in hydrope, decocti Statices furfuraceae in catarrho vesicali, herbae Gnaphalii angustifolii in cachexia aquosa pecudum, aliaramque, usquedum scilicet propria, accurata et multiplici observatione pharmaca haec votis suis minime respondere dignoscant.

Inter dalmaticas eas tantum stirpes recensui, quas vel ipse legi, vel quorum specimina apud herbarios indubia fide dignos, utpote in Dalmatia lecta, vidi ego et inveni. Hujusmodi propositi tenax omnes stirpium nostratum collectiones, dedita opera, sedulo perlustravi; quo factum est, ut plures species, quae in scriptis etiam recentioribus pro dalmatis indicantur, a Flora dalmatica excludendas esse cognoverim, cum ab hac inspectione mihi certe constaverit, harum plurimas a viatoribus et botanophilis nimis festinanter inspectas, et in Catalogum stirpium ab ipsis hic loci observatorum relatas, cum aliis affinibus in opere meo enumeratis perperam commutatas fuisse; plures duplici et diversa denominatione, prout a diversis peregrinatoribus nomine

donabantur, quandoque in uno eodemque opere, bis recensitas esse; non paucas tantum e conjectura, cujus certe in hisce operibus nulla necessitas, dalmaticis immerito fuisse adscriptas. Plantas omnes operis hujus a memetipso visas et observatas esse ipsa libri frons edocet atque testatur.

Eas omnes, quas pluribus obvias detectasque fuisse constabat, nullius collectoris nomine praenotavi: eas tamen, quas unicus invenit botanicus, inventoris nomine religiose sancire studui, et ut is sui inventus laude jure merito gaudeat, et plantae fide herbarii sui in Flora nostra relatae testis ipse et assertor existat. Qua in re num ille qui speciem mihi largitus erat idem invenerit, aut ab aliis communicatam acceperit, caute distinxi, ne ullo modo laederetur sanctum illud effatum: „Unicuique suum!“

Et haec ferme sunt ea de quibus lectores meos monitos desiderabam. Quos quidem benevolo animo Floram hanc prosecuturos esse confido, dummodo respicere velint minus ad operis exacti rationem, in qua mendas certe plures ingenii tenuitate irrepsisse nullus dubito, quam ad multiplices operis difficultates, quippe quod plantas omnes exhibere conetur loci magna ex parte asperrimi, saepius invii, ac botanicis parcissime noti, quarum qui primus sermonem facere aggreditur, ni multis validisque subsidiis adjutus sit, (et haec quoad partem Dalmatiae montanam pauca mihi adfuisse doleo, necesse est atque inevitabile in plures errores et omissiones incidat, posterioribus tantummodo inventibus observatibusque emendandos. Quorum vero si viri in re herbaria periti, ea humanitate, quae doctorum hominum est, certiorum me facient, non solum aequo animo feram, sed hoc mihi liberaliter praestituris jam me in antecessum quam maxime memorem ac devinctum publice profiteor polliceorque.

Sed antequam verbis hisce, quibus operi huic praeludere consultum duxi, finem habeam, liceat mihi maximas, uti par est,

ac solemnes hic loci grates persolvere botanico oculatissimo et infatigabili, Prof. Consil. LUDOVICO REICHENBACH, qui quae mihi vetabat loci longinquitas, editionis hujus curam omnem benevolo animo in se suscepit, et tum correctioni typographicae diligentiori, tum fideliori iconum caelaturae ac picturae amicam, imo potius paternam adhibuit manum. Cujus beneficii a Viro clarissimo totque curis distento in ignotum collati nullo profecto tempore mihi excidet recordatio.

De Dalmatia ejusque vegetatione.

Soli naturam, geographicum loci situm, mutuamque partium, quibus componitur, distributionem, ad vegetationem regionis cujuslibet plurimum facere, immo huic specialem aspectum indere, quo ab illa dissitarum regionum facillime dignoscatur, neminem in re herbaria vel modice excultum profecto latere credo. Quam ob rem botanicis praestantioribus ea semper fuit consuetudo, ut quoties de plantis alicujus loci sermonem essent instituturi, toties de ejusdem positione, forma, atque natura quaedam praemitterent, atque ex his operis ducerent veluti exordium. Quibus et ego, licet impar, vestigiis insistens, pauca, generalia, et propius ad rem facientia de Dalmatiae solo, et vegetatione exponenda suscipiam.

Praesentem Dalmatiam, cujus confinia ob varios bellorum casus, dominorumque, quibus inserviit arbitrium, mutationes plurimas, easque gravissimas subiere, duabus distinctis partibus constare video, quarum una litoralis, continua, nec mari intercisa, altera insularis. Prior in angusta, longeque exporrecta ora consistit, quae exordiens ab aedicula S. Magdalenae prope pagum Tarstenizza posita, qua Sinus Morlaccensis cum Sinu Neopolitano jungitur (1), et ubi vetus Japidia desinit (2), litus efficit boreale-orientale maris Adriatici ad vicum usque ditionis Butuensis in Albania, Popovo Selo appellatum, quem prope ultimus extat Dalmatiae terminus, mons scilicet Duboiza nuncupatus. Interjacet regio haec gradus 44° 28′ 42″ et 42° 10′ 12″ latitudinis borealis, et gradus 12° 39′ 30″ et 16° 38′ 30″ longitudinis orientalis, calculo inito a meridiano parisiensi.

Loca notatu digniora hac in Dalmatiae parte juxta ordinem, quo venientibus ex occasu obviam fiunt, sequentia sunt. Primo Aenona (3), quam sinistrorsum excipiunt Novegradi ad lacum vel sinum ejusdem nominis (Canale di Novegradi), Corinium (4) ad lacum cognominem, Argyruntum (5) ad laevam Tedanii ripam, quod medium secat regia illa via, qua Dalmatia Croatiae jungitur; dein Tinnium (6) ad dexterum Titii latus, arcis fortitudine, agrique fertilitate spectabile, ubi forsitan quaerenda est Arduba Dionis Cassii. Sequitur pagus Verlika fonte minerali salutifer, et aeris, solique amoenitate jucundus, dein Sign, quod forsan Setonia veterum, agro amplissimo, sed huc illuc aquis stagnantibus labe-

(1) Prior canale della Morlacca, vel della Montagna, alter Canale di Novegradi vulgo dicti. (2) Japidiae veteris pars maxima et magis occidentalis nunc Litorale ungarico, minor et Dalmatiae contermina nunc Generalato di Carlobago appellatur. (3) Nunc Nona. Vetera locorum nomina hic adhibita praecipue Pliniana sunt, vel horum defectu ab antiquis geographis desumpta. (4) Carin, Lago di Carin. (5) Obbrovazzo. (6) Knin.

factato; Duare magna Tiluri cataracta viatoribus commendandum; Imotha aut Emotha (7) vallem pulcherrimam supereminens, Vergoraz pice minerali notum ac demum Fort'Opus Naronis aquis circumdatum. Dextrorsum vero post Aenonam antiquae Jaderae (8) turres, ac moenia consurgunt, quibus hoc forte Dalmatiae caput praecingitur, dein Zara vecchia qua vetus assurgebat Blandona, serius Alba maris dicta; postea Vodizze tuto ac amplissimo portu nautis bene nota, inde Sibenicum arce maritima eleganti, portu capaci, templo magnifico memorabile. Ad dexteram Titii ripam in parvo quodam sinu ab hujusce aquis conflato, loco proxima, quo vetus stabat olim Scardona, Liburniae caput, parva urbs sedet ejusdem nominis, quam prope pulcherrima illa Titii cataracta strepit, viatorum frequentia percelebris (9). Supra Scardonam in collis vertice, mollique devexitate candicat pagus Dernis, agrum amoenissimum (10) fluente Cikola pererratum prospectans, cujus in extremitate occidentali mons eminet Promina in latere boreali-orientali antiquae Promonae reliquias exhibens, in extremitate vero orientali ejusdem agri colliculus laete viret Ballina Glavizza dictus, quem circum probabile est vestus extitisse Sinodium. Sibenicum consequitur vicus Castell'Andreis sive Morinje, ad lacum subsalsum ejusdem nominis, postea Verpolje, et Boraja nemoribus circumfusa, et secus mare Capocesto, et huic prope Rogosnizza, a petrefactis cornuum speciem praeseferentibus, ibique copiosis illyricum nomen sortita. Hanc excipit Promontorium Diomedis loco nautis metuendo, et Punta della Planca dicto in mare procurrens: dein qua vetus stabat Praetorium juxta Lucium, clarissimum Traguriensem historicum, nunc pagus Traû vecchio vocatus, postea Hyllis peninsula, modo Bossoglina, demum Tragurium (11) Siculorum colonia, originis antiquitate, agri pulchritudine, climatis suavitate conspicuum. Tragurium sequitur tractus litoralis omnium ferme amoenissimus (12), montibus septentrionali ex parte defensus, secus mare ad meridiem tendens, ubi locandum videtur Sicum Plinii aut Siclis Tabulae Peutingerianae, qua in urbe Claudium veteranos missise tradunt historici. Ibidem pagi modo surgunt laeti, ac frequentes ad villicandum aptissimi, quos inter praestant Castel Staffileo, C. Nuovo, C. Vecchio, C. Vitturi et C. Cambio. Qua mare desinit oram hanc jucundissimam lambens jacent eversae Salonae rudera, urbium olim Dalmaticarum principis, cujus situm, magnitudinem atque divitias viro antiquitatis studioso, patriaeque gloriae, historiaeque sollicito adhuc demonstrant residua moeniorum firmissima fundamenta, balnea tessellis strata, marmoreae sarcophagorum moles rarioribus anaglyptis insignes, alabastra mortuaria, lapides sepulchrales, insculptae gemmae, aurea numismata, ac cetera, quae illinc in diem effodiuntur vetustae magnificentiae luculentissima testimonia. Flumen pulcherrimum Salonas praeterfluens, antiquo Hyadri nomine seposito, illud sibi civitatis adscivit, ne hoc quoque tantae urbis vestigium invida deleret oblivio, et vicus ejusdem ruderibus superstructus pari insignitur nomine. Salonas supereminet Mandetrium, vel Andetrium (13) arce munitissima defensum. Mille passus fere a Salonis dissitum, litus marinum obtinet Spalatum, seu Diocletiani Imperatoris palatium, unde nomen,

(7) Imoski. (8) Zara. (9) Cascata di Scardona, vel Kerka. Illyrice Skradinski Slap. (10) Petrovopolje dictum. (11) Traû. (12) Riviera dei Casteli. (13) Clissa.

moeniis, januis, templis, turri, portu, coelique temperie spectabile, ac ferme dignum, ut orbis domino placidum ac suavissimum praeberet recessum. Ad ortum Spalati et secus mare reliquiae jacent Epetii (14), hoc sequitur Onaeum (15), qua Tilurus mari miscetur. Post Onaeum loco nunc Vrullia dicto florebat olim Peguntium, si quid communi graeci nominis etymo concedere velimus, cum utrumque aquae scaturiginem sonet, quae hic loci nunc quoque observatur (16). Post Peguntium marinum litus exornat Mucarum (17), ubi quondam Rataneum, ardui, ac praerupti montis Biokovo ad pedem stratum, dein Regio Parathalassia veterum nunc Primorje, ac postremo iterum Fort'Opus, ubi utraeque locorum series conveniunt. Sequitur Turris Stagni (18), Slano, Ragusium (19), Epidaurus (20), Castel Nuovo, Rhizinium cum sinu cognomine (21), Perasto, Dobrota et dextrorsum Stolivo et Perzagno, postea Ascrivium (22) Xuppa, Butua (23), et Pastrovichio, cujus loca praecipua sunt Castel S. Stefano et Castel Lastva, quorum postremo pertinet ultimus Dalmatiae vicus Popovo Selo dictus, trans quem Albaniae illa pars incipit, quae Turcarum imperio regitur.

Ex plurimis urbibus, quibus olim regio haec gloriabatur nil hodie superest nisi nomen, vel pagus aliquis earundem ruderibus superstructus, iisdemque quodammodo coagmentatus. Sic ubi quondam vetus assurgebat Asseria aut Assesia, nunc pagus Podgraje, ubi Nodotium, vel Nedinum, Nadin, praeter loca jam memorata. Burnum Procopii, quae Liburna Strabonis, frustra quaereres, ni arcus nonnulli vetustate atque arte spectabiles, vulgo Archi romani, loco Supljacarkva dicto in Bukovizza ejusdem situm indicarent. Ubi fuerit Tariona oppidum, extricatu difficile: videtur tamen verisimile non ita longe a Sibenico abfuisse: ubi Aequum erat, fere nulla nunc temporis hominum habitatio (24). Billubio veterum successit Bilopolje, Promonae urbi Promina, Naronae denique, urbi jam inter Dalmaticas praesigni, pagus Viddo, situm tuens, atque antiquae gloriae reliquias.

De tota regione litorali hucusque exposita id nunc animadvertas oportet, ipsam neque aliquid omnino continuum componere, neque ex toto uni subesse principi. Cum vetus enim respublica ragusina hinc a Dalmatia veneta, illinc ab Albania ejusdem nominis per duos terrae tractus Turcis subditos disterminaretur, factum est, ut postea Dalmatiae limitibus fere Antibarim (25) usque protractis, ac idcirco ragusina ditione Dalmatiae restituta, hujusmodi provinciae continuitatem tum quoad nomen, tum quoad dominium tractus illi interciderent, quorum alter Ragusium separat a Dalmatia veneta, Klek nuncupatus, alter ab Albania, Suttorina dictus.

Insulae Dalmaticae occasum propius incipiunt, quam continens hactenus delineatum, quae veluti totidem contra aestus marinos propugnacula, portus ac litoris

(14) Stobrez. (15) Almissa. (16) V. Alb. Fortis Viaggio in Dalmazia 2. p. 100. (17) Macarsca. (18) Stagno. (19) Ragusa, olim Respublica, urbs etiam nunc publicis aedificiis, miti hyemis temperie, ingeniis alacrioribus maxime memorabilis. (20) Ragusa vecchia. (21) Risano, et Sinus Rhizonius nunc Canale di Cattaro. (22) Cattaro, urbs antiquitate, et arce munitissima nota. (23) Budua. (24) Ejusdem situs juxta Lucium nunc dicitur Kljuçich, juxta Lovrich Trojangrad. Vid. Osservazioni di G. Lovrich Venezia 1776. p. 39.

bajas opportune tuentur, atque ita magno in numero, ut Cycladum Adriacarum nomine veteribus appellarentur. Et sane pertingunt ipsae ad gradum usque 45 14′ 20″ latitudinis, longitudinis autem nonnisi 12° 13′ 45″ in extremitate maxime occidentali insulae Vegii, et ad gradum 43° 40′ 20″ latitudinis, et 15° 41′ 40″ longitudinis in extremitate orientali ultimae insularum Dalmaticarum, quae insula Calamotta. Harum primae ab occasu enumeratae sunt antiquae Brigeides, vel Japidicae, vel Apsyrtides (26) ab Apsyrto Medeae fratre ibi interfecto, vel ab ejusdem corpore ibidem delato sic antiquitus appellatae, sub quibus nominibus comprehenduntur, praeter minores, Vegium et Arba, contra quas Crexa et Apsyrtium angusto euripo divisae (27). Contra Apsyrtii insulam undas sinus flanatici supereminent, parvo quamquam terrae tractu, insulae Onie et Sansego, quarum ultima in tabula Peutingeriana Eukomin dicitur. Dein insula Gissa (28), quam parallela directione prospectat insula Maon, hanc Ulbo, istam Selve (29), hanc iterum insula Permuda, quae Palmodon est Peutingerianae. Hanc consequitur Portunata Plinii, quae minime pro Gissae epitheto habenda, ut cl. Harduinus sibi persuasit (30), sed insula distincta, modo Pontadura appellata, cui e regione Meleta Porphyrogeniti, hodie Melada. Hanc prope parvae aliquot extant insulae ad laevam scilicet Isto, et Scarda, ad dexteram Zvirinaz et Sestrun. Contra urbem Jaderam eadem directione parallela hactenus observata, et non solum in reliquis Dalmatiae insulis, sed etiam in continentis montium ordinibus observanda, eminet Lissa (31), contra Lissam Eso, contra Eso insula Grossa. Lissam sequitur insula Pasman, ab illa tantum tenui freto distincta; contra Pasman insula Zut; contra hanc insula Incoronata, plurimis occasum, et meridiem versus circumdata scopulis, qui cl. Kreglianovich (32) visi sunt insulae Creteae vel Grateae Plinii. Insulam Pasmam excipit Lumbricata Porphyrogeniti nunc Vergada, quae forsitan eadem est ac Arva Tabulae Peutingerianae. Sequuntur Celadussae Plinii, vulgo Scogli di Sebenico, quas inter Colentum (33), Pervich, et Zlarin. Contra Pervich parallelo ordine successive prominent Tihat, Caprie, Zmajan, Kakagn, et Surium (34) ultima insularum Liburnicarum, quo sub nomine intelligebant veteres insulas omnes hactenus enumeratas, licet eodem nomine late usus sit Strabo, ad designandas nimirum Issam etiam, et Phariam, quae potiori jure inter Dalmaticas stricte sumptas recensebantur.

Hae omnes occidentales Dalmatiae insulae, sive Liburnicae, recta, et aequi-

(26) De variis harum nominibus consule cl. Fortis, in suo Saggio d'Osservazioni sopra l'isole di Cherso, e di Osero. Venezia 1771. §. I. et II. Nunc Isole del Quarnero. (27) Vegium Plinii est Κυρακτικὴ Strabonis, Κυρίκτα Ptolemaei, Βέκλα Porphyrogeniti, hodie Veglia. Arba est Σκαρδῶνα Strabonis, hodie Arbe. Crexa est Κρέψα Ptolemaei, hodie Cherso, cujus loca praecipua sunt Cherso, Ossero, Lubenize, et Caisole. Apsyrtium est Ἄψορρος Ptolemei, Auxerum et Auxeros aliorum, hodie Ossero, cujus loca majora sunt Lossin grande et Lossin piccolo. (28) Nunc Pago. (29) Quae Aloep et Selbon Porphyrogeniti. (30) In nota XX. ad Cap. XXV. lib. III. T. I. Historiae Plinii ab ipso editae Parisiis MDCCXXIII. (31) Nunc Uljan, quae videtur Catautbrenum Porphyrogeniti. V. Kreglianovich memorie pella storia della Dalmazia 1. p. 141. (32) Id. ibidem. (33) Hodie Morter, loco nunc Stretto di Morter nuncupato, ligneo ponte continenti conjunctum. (34) Nunc Zuri.

distante linea invicem, et continenti opponuntur, atque a septentrione ad orientem pergunt; orientales autem sive dalmaticae, de quibus mox eloquar, ab occidente ad orientem tendunt, et oblique admodum continentem prospiciunt, hinc magis meridionales sunt, sive soli meridiano magis obversae. Inter orientales veniunt insulae Zirona major et minor ad dexteram urbis Tragurii, dein Bavo (35) huic urbi ligneo ponte conjuncta; Solentum (36) Peutingerianae, melle celeberrimum, contra Spalatum; Brattia (37) contra Onaeum et litus Spalato, Mucaroque interjectum. Contra occidentalem Brattiae insulae extremitatem stat Issa (38); Brattiae oblique opponitur Pharia (39), quam prope eadem directione parva insula Torcola dicta; post hanc Corcyra nigra sive Melaena (40), quam ad orientem parvo sinu maris intercedente, vetus excipit Pleraeorum sive Piraeorum regio, peninsula Sabbioncello dicta, ad meridiem autem insula Ladesta (41); contra isthmum peninsulae mox memoratae stat solita obliquitate Melita (42) catulis antiquitus ex Callimacho nota, nuper ob subterraneos fragores tonitruum murmura referentes infaustam celebritatem adepta, ac demum Elaphites, quae tres tantum Plinio, revera autem quinque, nempe Vratnik, Clia, sive Jakljam, Tauris sive Giuppana, Isola di Mezzo, et Calamotta (43), quibuscum notabiliores Dalmatiae insulae finiunt, Ladesta et posteriores ragusinam ditionem respiciunt, ejusdemque reipublicae legibus obtemperabant. Inter insulas hactenus recensitas, insulae Brattia, et Pharia superficie sua caeteris antecellunt.

Ex hucusque dictis clare elucescit praesentem Dalmatiam constare ex veteri Dalmatia veneta, ditiones antiquarum rerumpublicarum Liburnicae, Dalmaticae, et Issaeae comprehendente, ex Republica Ragusina, et ex illa Albaniae parte, quae venetae olim nomine veniebat, nunc vulgo Bocche di Cattaro: Provincia igitur haec a Flanatico ad Sinum Rhizonicum patens (44) omnem Dalmatiae antiquae partem cisalpinam complectitur, dum transalpina nunc temporis triplici nomine dividitur in Croatiam, quae pars ejusdem septentrionalis, in Moesiam, sive Bossinam quae media, et in Herzegovinam, quae orientalis, e veteri Zaculmia Tribuniaeque parte composita (45). Occidentale Dalmatiae confinium constituit procellosus ille sinus inter orientalem Istriae oram Japidiamque maritimam positus, ab anti-

(35) Harduinus in Plinii capite XXX. p. 181. legit: Contra Tragurium Bavo, et capris laudata Brattia. Alii vero: Contra Surium bubus, et capris laudata Brattia, ex qua ultima lectione ac varia interpunctione factum est, ut aliqui, inter quos cl. Fortis, vocem bubus pro insulae nomine habuerint. Insula nunc Bua vocatur, et est Boa Porphyrogeniti. Boas Ammiani. (36) Hodie Solta. Est Ὄλυνδα Scylacis Cariandeni. (37) Est Κράτια Scylacis, Βρέκτια Polybii, Βάρτζω Porphyrogeniti, hodie Brazza, cujus loca praecipua sunt S. Pietro, Neresi, S. Giovanni, Milnà, Pucischie, Bol, Postire. (38) Hodie Lissa, in qua, praeter urbem cognominem, memoratur Comisa. (39) Quae Φάρος Scylacis, nunc Lesina cujus loca potiora urbs Lesina, Cittavecchia, Gelsa, Verbosca, S. Giorgio. (40) Hodie Curzola, cujus praecipua loca sunt Curzola et Blatta. (41) Ladesta Stephani, Ladestris Peutingerianae, Lastobon Porphyrogeniti, Ladestra, vel Ladoston graecorum est insula nunc Lagosta dicta, de qua et peninsula praecedente vide cl. Appendinii Notiz. I. pag. 283 et 288. (42) Nunc Melada. V. Plinii Hist. p. 49. Hujus loca praecipua sunt Babbinopolie et Maranovich. (43) V. cl. Append. loc. cit. p. 256. (44) Nomine ducto a propinquo Rhizinio (Risano). Sinus nunc dicitur, Canale di Cattaro. (45) V. cl. Append. loc. cit. p. 93.

quis Liburnicus dictus, quia veterem Liburniam a conterminis regionibus separabat, Polaticus ob proximam urbem Polam, Flanaticus a populis Flanatibus antiquam Flanonam incolentibus, Carnicus denique ab alpibus Carnicis, a quo certe ea derivata esse vulgaria nomina videntur Carner, Quarner et Quarnero, quibus nunc gaudet. Septentrionale efficiunt montes illi ab antiquis Alpes Bebiae et Ardiae appellati, qui Dalmatiam a Croatia, et Bossina dividunt. Orientale Herzegovina, Mons Scodrus (46) atque Antibaris ditio in Turcarum Albania. Meridionale mare Adriaticum, atque e regione inferior Italiae pars (47) Dalmatiae limitibus sic constitutis continentis longitudo ab aedicula S. Magdalenae prope Tarstenizza, usque ad montem Duboviza trans Popovo Selo, milliariis italis constat recta protensis CCLXX, pass. CCCCLXXXX: latitudo maxima, quae inter Promontorium illud Planca dictum, inter Sibenicum et Tragurium prope Rogosnizza situm, quod veteribus Promontorii Diomedis nomine cognitum, et montes Dalmatiam a Bossina discriminantes recta intercedit, constat milliariis italis XXXVII. Superficies continentis milliaria quadrata exhibet CLXXXX, pass. LXXV, insularum Dalmaticarum, et Sinus Flanatici milliaria LI. pass. DCCLXVII: tota igitur provinciae hujusmodi superfices in milliarum quadratorum CCXLI, et pass. DCCCXLII spatio consistit.

Superficies haec in plures variae altitudinis montes assurgit, qui in ordines quosdam, sive series digesti provinciam in totidem dispertiunt valles. Montes hos partim Alpes Bebias, partim Ardias vel Adrias veteres appellare consuevisse invenimus. Bebiae ex Alpibus Juliis quodammodo descendentes, origine ducta ab Arsia flumine (38), vel juxta alios a Tersatica (49), antiquae Japidiae litus, veluti comitantur, usquedum Tedanii (50) fontes pertigerint: secernunt igitur Japidiam maritimam, atque initium Dalmatiae a Croatia interiori: Harum autem nonnisi is montium tractus Dalmatis adscribendus, qui inter continentis confinium et Tedanii ostium attollitur, cum reliqua alpium catena ad veterem Japidiam spectet. Qua Tedanium Dalmatiam ingreditur Alpes Bebiae Ardiis junguntur, quae ex Alpibus Dinaricis derivatae catenas quatuor contexunt a septentrione in ortum dispositas, vallibusque intermediis discretas. Hisce montium catenis fere invicem parallelis Dalmatiae superficies in quatuor segmenta longe porrecta dividitur. Harum prima, quam catenam limitaneam voco, supra occidentalem provinciae terminum scilicet supra Tarstenizza originem habet, jugisque Bebiorum initio componitur, quae si eo ordine enumeres, quo ab occasu ad ortum occurrunt, sequentia invenies: Stap, Ver-mirra, Vissibabba, Badagn, Beravnik, Sveto-Berdo, qui caeteris altior (51), Ossenizze, Pragh, quod mediam secat regia illa via munificentia incomporabili Franzisci I. Austriaci ausu sane romano paucis abhinc annis confecta, Gołover, Toplo-Berdo, Vuçiak, Gostussa, ac demum mons Komm (52), qui pari jure Bebiis et Ardiis pertinet. Inter laevam Tedanii ripam, et scaturigines fluenti Buttisniza, et fluminis Titii (53)

(46) Nunc Monte Nero. (47) Hi sunt naturales Dalmatiae fines: praemonendum tamen, nunc temporis Japidicas insulas Vegiam, Crexa, et Apsyrtium regimini Tergestino parere. (39) Nunc Arsa. (49) Etiam Vitopolis dicta, hodie Fiume. (50) Nunc Zermagna. (51) Altitudinis pedum parisiensium 5258:8. (52) Altitud. ped. par. 2971. (53) Nunc Kerka.

Alpes incipiunt Ardiae in catenam limitaneam cum Bebiis continuatae, Dalmatiam a Bossina, et Herzegovina dividunt, eorumque juga propriis nominibus designata sequenti ordine occurrunt: Kitta, Bobie, Koinska-Glava, vel aliter Govniçe, Carljena-toçila, Bossanskiert, Hersovaz, Dinara, qui caeteris altior (54) Raziala, Ghnjat (55), Jançiak, Vestichia-gora, Prologh (56), Kamesniza, Miliech, Guozd, Petrovaz, Kurozeb, Orlovaz, Joannussa, Babnjaca, Dobroseviza, Rutnik, Goriste, Sibaniza, Borut, Xabba, et Posovaz, prope illum terrae tractum Turcis subditum et Klek nuncupatum, quo vetus Respublica Ragusina a Dalmatia discriminatur: dein in ragusina ditione mons Tmor supra Slano (57), Vlastiza supra Breno, mons Cadmaeus, Cadmi tumulo insignis, sive Sniesniza supra Pridvorje, quem contra celebratae Rupes Harmoniae, sive Saxa Cadamaea veterum, modo Stiene Konavoske; ac demum montes Ascriviensem ditionem ab Herzegovina ad septentrionem, a monte Scodro, et Albania ad orientem discriminantes, quorum editiores sunt Dobarstiza, Càrkvizze supra Rhizinium, Ovien, Vucizub, Sella supra Ascrivium, Koloxun, Orlich, Rexevich, Skaptina, omniumque novissimus mons Duboiza, quem Albaniae limes pertransit. Primae huic montium catenae subjacent eodem ordine enumerati, scilicet a septentrione ad orientem, sequentes agri. Inter montes limitaneos, et mare ager Aenonae, Novegradi, Jadertinus et Zemoniko: dein inter illos et sequentem montium catenam, agri Krussevo, Xegar, Ervenik, Mokropolje, Plavno, Kninskopolje, Kossovo, Verlika, Sign quod superiorem partem, Imoski, et Vergoraz: ac demum inter catenam limitaneam et mare ager Naronitanus, Ragusinus, Parthenia Epidauritana (58), vallis Xuppa et parvus at amoenus ager Butuensis. Altera montium series, sive catena mediterranea, oritur prope Carin, jugisque componitur montium Bukovaz, Kunovaz, Ottavaz, Çekich, dein Promina (59), Kosiak, Svilaja (60), Vissosniza, Suttina, S. Salvator, Çaçvina, Susnjara, Grab, Radovan, et desinit prove Vergoraz, qua montibus limitaneis conjungitur. Catenae huic substernuntur agri Carin, Bencovaz, Ostrovizza, hisque paralleli agri Zaravecchia, Wrana, et Stankovaz, dein Scardonae, Kistagne, Promina, Petrovopolje, Ogorie, Much, pars inferior agri Signiani, Dizmo, Trigl, et Duare.

Tertius montium ordo sive catena intermedia exoritur prope Dernis ad laevam contra montem Promina, jugis conflatur montium Mossech, protenditur Mandetrium usque, quod prope catenae litorali connectitur. Hanc inter, et sequentem patent agri Milievzi, Zagoriae, Dugopolje, et Clissa.

Quarta sive litoralis originem ducit supra Sibenicum, montes complectitur Tartari (61) dictos urbem hanc supereminentes, montes supra Boraja exstantes, mons Kremik supra Capocesto, montes supra Rogosnizza, S. Elia supra Tragurium, Karban supra Riviera dei Castelli, cujus cacumen altius Kosiak vocatum aliquibus mons Caprarius audit, et ad septentrionem assurgit

(54) Altitud. ped. par. 5515:8. (55) Altit. ped. par. 5406. (56) Altit. ped. par. 4865. (57) Altit. ped. paris. 2782. (58) Vulga Pianura di Canali. (59) Altit. ped. par. 3511. 8. (60) Altitud. ped. p. 4615:4. (61) Altit. ped. par. 1525:10.

oppidi Castelnuovo in ditione Traguriensi, extremitas autem orientalis ad occidentem Salonae extollitur Sveti Jure dicta 62): Mossor supra Salonam, quibusdam Mons aureus, in excelsiori vertice Lubljan vocatus (63); mons ille praelongus, cui Poljzza substernitur, quique veluti Montis aurei appendix habendus, mons Boraç (64) prope Onaeum, mons Vrullia, mons Dinara inter Onaeum et Mucarum, quem cum alio ejusdem nominis monte inter limitaneos nuper recensito ne confundas, cave; praeruptus at Botanicis jucundissimus mons Biokovo Mucaro paene imminens, cujus vertex Sveti Jure dicitur (65), cujusque inferior pars mare versus molli devexitate considens grajis Regionis Parathalassiae nomine veniebat, ac in Tabula Peutingeri Inaronia appellatur (66). Mons hic protrahitur ad usque Naronis ostia, ubi catenae omnes intermedia excepta, confluunt ac desinunt. Litorali montium catenae agri subjacent ditionum Sibenici, Tragurii, Castelli, Salonae, Spalati, Polizza, Macarsca et Primorje.

Praeter montes hactenus eumeratos alii etiam assurgunt hinc in continente, tum in insulis, sed huc illuc sparsi, nec altitudine ut plurimum recensis pares. Tales sunt mons Marian (67) prope Spalatum, mons San Sergio supra Ragusium, mons Sant'Elja prope Molonta (68), mons Vermaz contra Ascrivium, mons. S. Salvatore prope Butuam (69). Insulae quoque, esti minores, suos habent montes, qualis mons Ossero in insula hujusce nominis 70), San Giorgio in insula Vegio, San Vito in insula Pago (71), San Giorgio in insula Pontadura, mons Guardia in insula Isto (72), Vella Straxa in insula Grossa (73), Velikivârh, in insula Incoronata (74), Batocchio in insula Zlarin (75), Bol in insula Surio (76), Straxa in insula Solento (77), San Vito in insula Brattia (78), San Nicolò in insula Pharia (79), Hum in insula Issa (80), San Giorgio Ladestae (81), Planjak Melitae (82).

Omnes Dalmatiae montes fere una directione a septentrione ad orientem vergunt, nec sylvis vestiuntur, nisi eo in latere, quo regiones boreales ac boreali-orientales prospiciunt. Quoad eorum naturam calcarei sunt, et illius formationis, quae jurassicae nomine geologis innotescit, quamvis ejusdem gradationes minus distinctae sint ac in caeteris aequalis naturae montibus. Lapis calcareus, quo constant, saepe valida strata exhibet sibimet interposita margarum varii generis, et marmoris istrici aut dalmatici nomine a lapicidis vocatur. Hoc ipso, praeter montes, et insulae componuntur, et continentis litora. Montes Dalmatici majorem alpium sublimitatem nullibi aemulantur, nivibus perpetuis omnino carent in vertice atque ex parte meridiana, et maritima ita vi solis, ventorumque calidiorum afflatibus arefacti, ut prorsus lapidosi, steriles, atque omni vegetationis vestigio expertes sint. Obvia sunt marmora nobiliora in eorum fastigio, quorum color multiplex, ac varia structura. Haec inter marmor traguriense veteribus celebratum fuisse

(62) Kesiak montis Karban altitudinem habet ped. par. 2389:9; Sveti Jure ped par. 2077:4. (63) Altit. ped. par. 4092:10. (64) Altit. ped. par. 2660. (65) Altit. ped. par. 5371:3. (66) Nunc Primorje. (67) Altit. ped. par. 539. (68) Altit. ped. par. 1715. (69) Altit. p. p. 1188. (70) Altit. p. p. 1825. (71) Altit. p. p. 1063. (72) Altit. p. p. 527. (73) Altit. p. p. 1025. (74) Altit. p. p. 713. (75) Altit. p. p. 509. (76) Altit. p. p. 360. (77) Altit. p. p. 650. (78) 2401. p. p. (79) Altit. p. p. 1942. (80) Altit. p. p. 1802. (81) Altit. p. p. 1299. (82) Altit. p. p. 1114. —

Plinius auctor est. Ea nunc, quae pulchritudine, et varietate fragminum quibus constant, et soliditate materiae iisdem interlitae, magis memorabilia videntur, sunt quae in insula Arba, circa Much, Juaroniae, Phariae, et Ascrivii effodiuntur. Neque silentio praeteream marmoris statuarii pulcherrimi lapicidinas in ditione Naronitana prope Comin, et praesertim in insula Arba occurrentes, cujus postremae marmor cl. Fortis visum fuit nil Carrariensi deterius. Marmor autem vulgare sive istricum, quod habetur praecipue e montibus Traguriensibus, Brattiensibus, et Corcyrensibus innumeris maritimorum animalium exuviis in lapidem induratis abundat, inter quas facile agnoscas Turbinites, Hippurites, Nummalia, seu Discolitha, Chamites, Echinites, Buccinites, atque alia hujusmodi passim obvia tum in continente dalmatico, tum in insulis. Ichthyolitha et Phytolitha inveniuntur in insulis Brattia, Pharia et Melita, suntque laminis, sive stratis subtilioribus interposita lapidis calcarei albidi, vel levi rubore suffusi. Sed quae inter naturalis historiae peritos, ad celebritatem usque pervenere, sunt ossa fossilia in omnibus regni insulis copiosa, ac terra quadam obducta rubra compacta, ac ferreis particulis foeta. Haec ossa olim corporum humanorum reliquiae quibusdam videbantur; nunc vero probabiliori sententia ad animalia ruminantia vel deperdita, vel exotica pertinere arbitratur. Petrefacta dalmatica quaecumque ea demum sint in calcareo secundario inveniuntur. Gypsi strata et colliculi eminent in agro Dernisensi et Signiano: colliculus arenae siliceae (vulgo Saldame) vitris conficiendis aptissimae in insula Arba, atque ejusdem fodina in Issa. Cumque de fodinis sit sermo, praemonendnm, quod licet ferri praebeant inditia mons Promina in agro Dernisensi, colles circa Plavno in ditione Tinniensi, ubi etiam fodina plumbi adest, aliique plures inter Verlika, et Sign, nunc temporis tamen nullius generis apud nos effodiuntur metalla. Quod ad aurifodinas dalmaticas pertinet, quarum apud Plinium, Florum, Martialem, ac Statium mentio est, cum nullum hodie adsit metalli hujusmodi in montibus nostris vestigium, nec hi naturam auriferam praeseferant, cum cl. Fortis tute opinari credo, eum qui putet, fodinas hasce in veteris Dalmatiae parte transalpina, nunc Turcis subdita, extitisse, ubi etiam nunc sunt argenti fodinae aliquae. Lithanthrax copiosissime, et fere in summo caespite invenitur in monte Promina, prope Scardona, circa Biovicina Selo in Bukovizza, et prope Sign loco Gipalovo Vrillo. In insula Boa, ad pagum Vergoraz, et ad pedem montis Bab prope Sliono e rupium rimis piceum guttatim exsudat bitumen.

Postremo in montibus Dalmatis observari merentur eae frequentes, ac singulares voragines in eorumdem visceribus longe lateque hiantes, quarum origo vel ex eo quod tellus ipsa violentis concussionibus quassata subsiderit, vel ab aquarum lenta, sed continua evasione repetenda, vel potius a fluidis aeriformibus copiose evolutis. Plures adsunt in insula Apsyrtide-magna quaedam caverna prope Verlika: alia centum circiter pedes a prima Tiluri fonte dissita: altera Metaljavizza dicta circa fluentum Peruchia, juxta quam alia Ponikva appellata: quaedam prope Imotham Càrljeni jezer nuncupata; alia in insula Pharia loco dicto Spiaggia di Sta. Domenica, quam intus inaedificata est domuncula quaedam; binae in insula Melita supra Babbinopolje, Ostaseviza, et Movriza nuncupatae; antrum amplissimum in insula Ladesta; minores denique, sed crebriores in montibus Svilaja, Mossor, et Biokovo. Sed inter speluncas dalma-

ticas celeberrima ea est, quam in Parthenia Epidauria Aesculapii serpenti sacrum praebuisse lustrum veteri ex traditione confabulantur (83). Et de montibus satis.

Sylvae Dalmaticae, ratione habita montium frequentiae, non ita magnae, nec densae, neque copiosae sunt, ut prima fronte videretur, et quales antiquitus. Lucos, quibus olim Dalmatiae montes obducebantur, ferrum, et ignis absumpsit. Inter eos, qui supersunt, vix recensione dignas existimo sylvas insularum Vegii, Crexae, Gissae, Brattiae, Corcyrae, Melaenae, et Melitae, in qua praesertim indicari meretur pulcherrimum pinetum illud Knexeogaj ab incolis appellatum, nec non sylvas lateris septentrionalis montium Biokovo, Svilaja et Prologh. Caedui nemoris reliquiae virent adhuc circa Verpolje, et Boraja in ditione Sibenicensi, circa Verlika, Sign et Imotham, atque in insulis Pharia, et Issa: hae quoque tamen hominum adeo, pecudumque aviditate vastantur, ut eas quotidie in pejus ruere videamus, ac brevi penitus interituras vaticinemur.

Dalmatiae solum generatim fertilibus adnumerandum. Lapidosum, atque collinum agros majori ex parte constituit Tadertinos, Sibenicenses, Milieozi, Zagorie, Ogorie, Ragusinos, plerarumque insularum. Nec tamen aliquis sibi persuadeat solum hocce faecunditate destitui: quippe quod immo seduli agricolae brachiis, durisque subactum ligonibus, oleis, et vitibus opportunissimum. Inter fertiliores, atque uberiores Dalmatiae agros recensentur valles Golubich, Tinnii, Kossovo, Dernis, Verlika, Sign, illa quae Scardonam ac Possidaria interjacet, quae inter Stankovaz, et Zermoniko, quae circa Wrana et Aenonam; tractus ille litoralis situs amaenitate praesignis, qui vulgo Riviera dei Castelli, vallis pulcherrima Imothensis, pinguis ager Naronitanus, vetus Parthenia Epidauria, vallis Xuppa, ac demum laetus ager Butuensis.

Hujusmodi provincia multis fluminibus pererratur, inter quae aquarum copia et celebritate eminent Tedanium, Titius, Tilurus, sive Neshes, Hyader, Naro, et Arion (84). Tedanium vetus Japidiae terminus, et initium Liburniae, effluit in Croatia ad pedes illius Alpium Bebiarum tractus, qui id loci montium Male Popine nomine venit, procul a continentis confinio duodeviginti milliarium spatio, a septentrione ad meridiem excurrit, dein Dalmatiam ingressus ab ortu ad occasum flectitur, atque fluenti Kruppa vocati, aliorumque minorum aquas excipiens, mare petit prope Novegradi. Titius, Liburniam inter, veteremque Dalmatiam limes, ex ampla erumpit voragine loco Topolje dicto sub monte ejusdem nominis contra Tinnium; plurium torrentium undas admittit, nempe Buttisniza, Radiljevaz, Orsaniza, Kassovaeiza, Keraeich, Cikola, aliorumque: ab ortu ad occasum pergit usque Supljacârkva; postea ad meridiem flexus Scardonam properat, iterumque ad occasum vergens, Sibenicum petit, quem contra mari admiscetur, postquam novem e cataractis ruerit, inter quas puchritudine praestant illa, quae ad Romaeislap sive Slap visitur, atque illa quae prope Scardonam viatorum allicit curiositatem. Tilurus e pede montium Ghnjat octo per ora profluit supra Verlika, quae statim in unum conveniunt alveum loco Vrillo-Cetine, sive fontes Tiluri appellato, aquis augetur torrentium, rivorumque Verlika, Dragovich,

(83) V. cl. Appendin. loc. cit. pag. 32. (84) Nunc eodem ordine enumerata. Zermagna, Kerka, Cettina, Salona, Narenta et Ombla.

Dabar, Càrno-Vrillo, Peruchia, Rumin, Malin, Voiskova, Karakasizza, Koxinaz, Ruda, et Grab; a septentrione ad meridiem vertitur usque ad pagum Duare, dein flectitur ab ortu ad occasum, pluribusque cataractis fractus ac veluti fatigatus, quas inter meminisse juvat majorem illam prope Duare, mari tandem quiescit, sub urbe Onaeo. Hyader, Lucani versibus celebratum oritur e monte Mossor, ac brevi et placido ab ortu ad occasum excursu, Salonis in mare delabitur. Naro (85) amnium Dalmaticorum maximus, e gremio montis Suljaga in celsissimum cacumen elati, ac Bossinam ab Herzegovina discriminantis, originem ducit: Dalmatiam ingreditur prope Metkovich, eam alluit ab ortu ad occasum, fluminumque minorum, quae dextrorsum Narin, Vratar, Vriostiza, et Nevo, sinistrorsum Bilvir, Mislina, et Prugnak aquis locupletatus, circa Fort'Opus binos in ramos scinditur, ac dein per ostia tredecim, quorum undecim fere obstructa, in mare influit. Arion ex alta enascitur caverna quinque circiter milliarium spatio a Ragusio dissita, ragusinam ditionem praeterfluit ab ortu ad occasum, ac prope Gravosa lenis illabitur mari. Hisce praecipuis adde fluvios minores Dalmatiam rigantes, qualis qui Tragurienses paludes alluit, et a monte Karban exoritur; Xernovniza ad pedem montis Mossor scatebras habens, quinque milliarium spatio decurrens, et prope Epetium aquas mari commiscens; Verlika in valle Imothensi; Suttorina a terrae tractu cognomine, qui Ragusinam ditionem ab Ascriviensi disterminat, ortum habens, ac in sinu Rhizonico sese exonerans; Koloxun in valle Xuppa; fluenta denique Aenonae, Glavina, Goduchia, Kakman, Konavoschiza Partheniam Epidauriam inundans, pleraque alia.

Nec desunt aquae medicatae salibus terreis, metallicisque imbutae, uti praesertim videre est Spalati, ad pagum Verlika, in agro Signiano, et in Inaronia, ut salsos aquarum fontes omittam ubique obvios.

Plures in Dalmatia offenduntur lacus, nempe ille insulae Cnexae; quinque in ditione Jadertina, scilicet parvus ille sinus Canale di Novegradi vocatus, per quem Tedanium mare petit, lacus Carin prope Novegradi, lacus Boccagnazzo prope Jaderam, lacus Wrana a mari, quocum subterraneis meatibus jungitur angusto terrae tractu distinctus, et Nadin: duo in ditione Scardonitana Titii aquis completi, nempe Vissovaz, et Prokljan, totidem in Sibenicensi nimirum Zablachie, et Morinje sive Lago di Castell' Andreis: in valle Imothensi lacus Proloxaz, circa Vergoraz lacus Rastok, Texevaz, Jezero, et Bachinsko Blatto, quorum primus caeteris altior, ac idcirco aquae ex ipso in Jezero, a Jezero autem partim in Bachinsko Blatto, partim in Naronem fluvium effunduntur. Plerique tamen postremis ex hisce lacubus stagni nomen potiori jure merentur, quippe qui perennibus aquis carent, sed hyeme repleri solent, aestate vero siccari.

Paludes denique nimis magnae, et frequentes maximam planitiei dalmaticae partem sibi vindicant, agrosque uberrimos culturae subducunt. In ditione jadertina recensentur palus Aenonae, Wrana, Sardovan, Morpolazza, et Ostrovizza; circa Tinnium palus ejusdem nominis, et Kossovo; circa Sign vastae paludes loci Trigl dicti; circa Imotham fertiles, lateque patentes agri Proloxaz, et Ottok, lacu Proloxaz, et fluento Verlika, inundati, ac postremo amplis-

(85) Ὀρόνθιον Porphyrogeniti.

simae paludes Naronitanae. Paludibus ex aquis pluviis, fluvialibusque conflatis naturali nexu junguntur salinae, quae pro totidem marinis paludibus habendae sunt. Harum aliquae occurrunt in ora litorali et in insulis, inter quas principem locum tenent salinae insulae Gissae et Stagni. Quibuscum topographiae Dalmaticae breviter hucusque expositae finem faciam, non sine spe aliqua, praecipua haec quamvis tenuia regni lineamenta id saltem utilitatis esse praestitura, ut botanico viatori locorum indicem praebeant, lectorique nostro situm natalem stirpium hoc in opere recensitarum accurratius designent.

Anni tempestates in Dalmatia mitissimae. Hyems raro nivibus albicat quae planitiem fere nunquam pertingunt, ac tempore excepto, quo rigidus, siccus, ac vehemens aquilo e turcarum regione in dalmatam oram ruit, aeris temperiem potius autumnalem diceres quam hyemalem. Quin immo hyems Dalmatiae ab hyeme neapolitano non multum abluderet ni saepe saepius gelidis diuque perdurantibus ventis aquilonaribus, (vulgo Bora) repente crudesceret: qui tum inopina frigore, quo plantas corripiunt, tum effraena vi, qua in ipsas ingruunt non solum eas enecant, verum etiam ab imis evellunt radicibus, lateque projiciunt, nulli parcentes, immo in vegetiores, proceras, firmiusque solum amplexas vehementiori saevientes impetu. Tantam aquilonis vim, qua in Dalmatiam ac mare subjectum, maximo cum agricolarum damno, et navigantium periculo, furit, ea potissimum de causa oriri arbitror, quod ob demissa montium limitaneorum juga provinciam nostram a contermina Bossina disterminantia, unde saevus ille oritur, nullum vel parvum suis objectum excursibus offendat, dein inter vallium angustias montibus mediterraneis intersitarum vires capiat, quo violentior in litus irruat, ac quaecumque viam secus extent obstacula quatiat, diffringat, evellat, eripiat. Attamen ipsa in hyeme sereni, et mitissimi renident dies vernalibus omnino comparabiles. Hisce vero crebriores, Noto dominante, sunt dies nubili, atque in hac anni parte imbres copiosi, et frequentes. — Ver praecox: plantae enim vernales, quo primum favonii hybernum molliunt caelum, florum ornatu condecorantur, quod usuvenit jam a mense Februario: immo amygdali (86) florere solent ad Decembris exitum, vel Januario ineunte, quamvis hujusmodi flores perraro fructus ad maturitatem perducant, eo quod improvisis aquilonis afflatibus arefacti frequentur decidant. Hac in tempestate rarioribus, ac praecipuis Flora nostra plantis luxuriat, nudarum etiam rupium fissurae floridis plantularum cespitibus induuntur: saxosi colles, atque agri graminibus, herbulisque mox deperituris ornantur: tota denique tellus omni vegetationis pompa superbit, ac renidenti quodam virore juvenescit. Majo finitur tempus hocce pulcherrimum, quod excipit aestas longa, fervida, et sicca. Haec enim ad Septembris finem producitur, et ultra, ni autumnales pluviae aeris, solique ariditatem expleant, ac rupium saxorumque calor paene igneus affusis aquis aurisque mitioribus leniatur. Imbres in aestate perpauci, nimbi non ita multi, siccitas igitur fere quotannis dalmaticam vegetationem exurit. Cujus flagelli causas sedulo investiganti ea primum obversatur, quae in sylvarum paucitate consistit. Sylvae enim terrestres exhalationes in nubes cogunt, coactasque attrahunt, atque in pluvias resol-

(86) Hisce addas Colchicum montanum, Helleborum multifidum, Corylum Avellanam, et Erodium pimpinellifolium.

vunt: calorem loci, ubi virent, mitiorem reddunt; coeli imbres solique humores morantur, fontes alunt; aqueos emanant vapores aeris siccitatem lenientes: quibus omnibus probe concordat constans illa physicorum observatio, qua evincitur regiones latius nemoribus obumbratas, frigidiori gaudere temperie, et copiosioribus, majoribusque fluviis rigari. Causae huic praecipue adde ventorum aquilonarium vim ac frequentiam, qua nubes dissipant, terramque arefaciunt, ardorem climatis hujusmodi arefactione apprime faventem, quin ipse roris copia ereptis humoribus pari solum rependat: fontium inopia iis in locis, ubi magis expedirent, ob montium humilitatem, ac scissilem lapidis, quo constant, naturam, quapropter aquae in ejusdem anfractibus, rimisque dispersae in magnum nequeunt coire corpus, ac flumen, fontemve componere, saltem supra mare. Hyemis etiam brevitas, niviumque parcitas perpaucam tantum aquae copiam in montium gremio colligi sinit, cui certe tribuenda est rivorum calidiori in tempestate defectio. Soli denique indoles saepius lapidosa, ac idcirco morandis aquis inepta, amittendis vero valde proclivis, aestivae siccitatis causis adnumeranda, etiam ex eo, quod lapides solis repercussione calorem augeant, ac reliquum quoque plantarum succum, aucta transpiratione surripiant. Quibus de causis fit, ut quamvis ventus occidentalis fere periodicus quotidie ante meridiem spiret, coelumque refrigeret, saeviente tamen canicula non herbae annuae tantum depereant, perennesque omni viriditate exspolientur, sed frutices, arboresque ipsae quocumque vernalis amictus vestigio destituantur, ac deficiente succo, omnis torpeat vegetatio, eodem paene gradu, quo contraria de caussa in hyeme obvenire solet. Hinc frequens ille in plantis aestivis seminum abortus, foliorum ariditas, vel defectus, ac siccus, contractus, pilosus earumdem stirpium adspectus.

Autumnus apud nos sero incipit, imbribus scatet, Notoque dominatur. Attamen brevi licet temporis spatio, non raro amoenitatem induit ac pulchritudinem prope vernalem. Si nimis fervidam, aridamque aestatem excipiat, frequenter accidit, ut pluviis ingruentibus sopita expergatur vegetatio, humorum ascensus excitetur, turgescant gemmae, atque in folia, floresque evolvantur, immo stirpium biferarum more, in fructus abeant, qui vero adventante hyeme exsiccantur (87).

Ex his, quae hucusque de anni tempestatibus leviter perstrinxi, quaeque de provinciae situ praefatus sum, cuique patebit, quodnam sit clima nostrum, quaenam Dalmatici coeli temperies. Geographica ejusdem latitudo graecae, hispanae, latiaeque paene compar; ejus positio in meridianum solem obversa; montium, colliumque ordo, qui in plures series a septentrione ad ortum digesti; soli superficiem in totidem valles fere meridionales dispertiunt, inter primas veniunt causas climatis suavitati faventes. Alpes Bebiae a Boreae incursibus Dalmatiam tuentur. Montes ejus, si unum alterumve e limitaneis excipias, alpium celsitudinem nullibi aequantes, paucis rarisque nivibus obducti, ac molli, et resupina devexitate in planitiem descendentes coeli calorem nequaquam minuunt; quin etiam cum meridionali ex parte nudi sint, ac ideo solis ardorem promptius concipiant, vehementius rever-

(87) Hoc saepius evenit in **Pruno domestica** et **spinosa**, in **Pyro Malo**, **Vite vinifera**, **Ficu Carica**, **Coronilla Emero**, **Crataego monogyna**, plantisque herbaceis compluribus.

berent, amittant segnius, aestum augent. Et revera quicumque perpendat animo tum vegetabilia in Dalmatia crescentia, tum reliquas soli Dalmatiae productiones, facile sibi persuadeat oportet, clima nostrum nulli ex Europae australioribus inferius esse. Botanici enumerationem nostram plantarum dalmaticarum lecturi, plurimas apud nos oriri plantas agnoscent neapolitanas, siculas, tauro-caucasicas, plures Galliae meridionalis, Hispaniae ac Lusitaniae proprias; permultas Graeciae indigenas, Africae Borealis, Palaestinae, atque Aegypti. Ora Dalmatiae maritima, et colles in eadem positi mollibus olentes myrtis, montes oleis, amygdalis, malisque punicis consiti, sepes aeternis virentes lauris, steriles quoque rupes glaucis spinosisque Agaves americanae caespitibus exornatae, amnium ripae roseis Oleandri floribus hilaratae, viridaria Asiaticas Citros, Africanam Phoenicem, indica Aurantia, Schinum Peruviae, Mimosam Farnesiam, et Opuntias Americae meridionalis sub dio prosperrime alentia, coeli dalmatici suavitatem testantur. Lentisci insuper masticen sponte exsudantes, Orni manna adhuc quaesita fluentes, Palmae non suo in coelo maturos Dactylos admirantes, vinorum denique varietas, robur ac sapor, fructuum omnium exquisita dulcedo, herbarum medicinalium vis et aroma extremum ac maximum constituunt argumentum, quo felicissima climatis natura probatur. Ex quibus sponte fluit, quaenam sit etiam vegetatio nostra nempe regionibus orientalibus affinior, ac caeteris, et inter illam Italiae meridionalis et Graeciae veluti media, quippe quae praeter proprias, sibique tantum naturae munere traditas stirpes, alias etiam contineat haud ita paucas nullibi usquedum nisi in earumdem regionum confiniis inventas.

Provinciae hujusmodi vegetatio tres in regiones sive Zonas commode dispertitur. Harum prima sive inferior, quam litoralem nuncupare possumus e maris superficie ad pedes paririenses MCCCC in perpendiculum assurgit, insulas et oram Dalmatiae universae complectitur, agrosque omnes montium catenis litorali, intermediae et mediterraneae substratos, plantisque peculiaribus sibique propriis ornatur, cujusmodi sunt Olea sylvestris, Arbutus Unedo, Laurus nobilis, Nerium Oleander, Pinus halepensis, et pinea, Pistacia Lentiscus, Phillyreae, Rosmarinus, Rhamnus Alaternus, Cistus villosus, et monspeliensis, Trichonema Bulbocodium, Andrachne telephioides, Crozophora tinctoria, Arum tenuifolium. Regio altera sive montana oritur qua prima desinit, et ad III. MD. pedes adscendit partem Dalmatiae montanam obtinet, sive montes catenae mediterraneae, illorum vertice excepto qui hanc altitudinem superant, vallesque elatiores inter mediterraneam, et limitaneam medias, suisque plantis distinguitur, quarum praecipuae sunt Fagus sylvatica, Acer Pseudoplatanus, et obtusatum; Quercus Cerris, Cytisus Weldeni, Gentiana lutea, Rubus Idaeus, Valeriana montana, et tripteris, Teucrium Arduini, Cerastium grandiflorum, Primula suaveolens, Prenanthes purpurea, Centaurea tuberosa, et montana, Helleborus multifidus, Hypochaeris maculata. Regio superior denique seu subalpina fere ad sex millia pedum effertur, montium omnium elatiorum cacumina, eosque praesertim catenae limitaneae comprehendit, ac plantas alit rarissimas, nec unquam depressiora loca colentes, veluti Arenaria Arduini et gracilis, Campanula Pumilio et serpyllifolia, Juniperus nana,

Silene graminea, pusilla et Tommasinii, Dryas octopetala, Rosa alpina, Paeonia Russi, Arabis alpina, Lonicera alpigena, Androsace villosa. Decet autem animadvertere regionibus hisce nullos absolutos atque inviolabiles fines constitui posse, ita ut stirps omnino nulla cujusdam regionis propria, vel opportuniori expositione, vel aptiori soli natura favente, in regionem conterminam quandoque migrare possit: quod tamen et raro evenit, et causam fere semper localem habet migrationis hujusmodi.

Diversitatem et copiam stirpium Dalmaticarum potius a varietate soli, et expositionis, quam ab altitudine loci derivandam esse facile quisque sibi persuasum faciet, dummodo soli dalmatici humilitatem consideret, cujus altitudo omnis tribus tantum regionibus bene distinctis absolvitur. Nihilo tamen minus superficiei ratione habita, provincia haec quoad specierum vegetabilium numerum nulli propemodum deterior censenda est, cum in telluris spatio ducena et quadraginta milliaria quadrata vix excedente plus quam duo millia vegetabilium species vasculares locum habeant, quamquam eidem desint plantae alpinae fere omnes, nivalesque omnes, quae alibi potissima Florae ornamenta constituunt. Quibus si adjicias plantas cellulares hactenus minus sollicite in Dalmatia indagatas, et praecipue maritimas, habebis profecto plus, quam bis millenas quingenasque plantarum species tam parvo, atque angusto terrae tractu congestas.

Hunc vero Dalmaticae Florae defectum stirpium alpinarum, atque nivalium, stationum, atque exspositionis diversitate multimoda, ac prope infinita abunde rependitur. Hinc plantas habemus sylvaticas, montanas, saxatiles, sive collinas aut rupestres, pratenses, et palustres, dumetorum, et sepium arvenses, atque agrestes ruderarias, litorales, et riparias, aquaticas et marinas, ac demum parasiticas. Hospitantur sylvaticae praecipue in montium convallibus sole brevi exhilaratis, madore irroratis perpetuo, aut in eo montium latere, quo septentrionem prospiciunt, vel in umbrosis sylvarum, cujusmodi sunt apud nos Paeonia Russi, Saxifraga Aizoon, Corallorrhiza innata, Epipactis nidus avis, Melampyrum sylvaticum et cristatum, Paris quadrifolia, Cyclamen Neapolitanum, Centaurea tuberosa, Stellaria nemorum. Montanae vegetant in montium humiliorum vertice, et dorso aprico quales Seseli promonense et montanum, Fritillaria tenella, Plantago sericea, Scabiosa holosericea, Anthyllis montana et aurea, Vicia tricolor. Saxatiles, rupestres, collinae rimas rupium, saxorum interstitia, collium apricissima exornant, quemadmodum Chrysanthemum Turraeanum, Dianthus racemosus, Asperula canescens, Putoria Calabrica, Asperula scutellaris, Campanula Garganica, et Portenschlagiana, Ornithogalum saxatile, Phyteuma collinum, Cytisus spinescens, Genista pulchella, Seseli tomentosum, atque globiferum, Sesleria interrupta, atque aliae complures, cum haec sit stationum omnium dalmaticarum frequentior, rarisque plantis ditissima. Pratenses pascuis, pratisve innascuntur udis, siccisve, at parum novi, rarique praebent, cum praeter communes pratorum plantas vix memorare liceat Peucedanum Petteri, et Chabraei, Glyceriam festuciformem, Pulsatillam pratensem, Trifolium pallidum, succinctum, irregulare. Palustres loca incolunt humore perenni laborantia, quales Gratiola offi-

cinalis, Scabiosa australis, Scirpus Holoschoenus, et maritimus, Cyperus niger et Monti, Aspidium Thelypteris. Plantae dumetorum et sepium, vel eadem conficiunt, uti Paliurus australis, Crataegus monogyna, Pyrus cuneifolia, Cytisus infestus, Rhamnus infectoria, Laurus nobilis, Styrax officinalis, Lonicera etrusca, et balearica, Rhamnus Alaternus; vel hos inter, et sub harum umbra proveniunt, veluti Smilax aspera, Asparagus acutifolius, Allium ciliatum, et pallens, Crocus vernus et Pallasii, Arum tenuifolium, Cynanchum monspeliacum, Periploca graeca, Convolvulus sepium. Arvenses agros requietos agrorumque versuras incolunt, quales Pterocephalus palaestinus, Salvia patula, et Horminum, Astragalus hamosus, Fumaria parviflora, Medicago circinata, Onobrychis foveolata, Stachys salviaefolia, et obliqua. Agrestes culta obsident et labefactant, cujusmodi est Stachys spinulosa, Fumaria Petteri, Lagoseris nemausensis, Solanum miniatum, Chysanthemum segetum, Veronica praecox, atque hederaefolia, Lathyrus inconspicuus, Gladiolus segetum, Ornithogalum pyrenaicum. Ruderariae ruderibus delectantur atque hominum habitationes circumstant, quales Marrubium peregrinum et vulgare, Scrophularia peregrina, Verbascum undulatum, Lepidium ruderale, Urtica pilulifera, et reliquae, Chrysanthemum Parthenium, Opuntia vulgaris. Litorales plantae in arena maris salsedine imbuta crescunt, veluti Ambrosia maritima, Eryngium, Scilla, Pancratium, Triglochin maritimum, et Barrelieri, Echinophora spinosa, Statice bellidifolia, et furfuracea, Medicago arenaria, Triticum loliaceum, Salsolae, Salicorniae. Ripariae aquarum ripis, et fossarum margine delectantur, cujusmodi sunt Iris Pseudo-Acorus, Juncus glaucus, Salix alba, et monandra, Lycopus europaeus, Beckmannia erucaeformis, Euphrasia serotina, Carex riparia, et glauca. Aquaticae dulci sub aqua radices agunt, veluti Glyceria fluitans, Zannichellia major et pedunculata, Hydrocotyle vulgaris, Ranunculus ophioglossifolius, Callitrichae omnes, Hippuris vulgaris, Sparganium erectum, Typhae, Charae. Marinae fundo maris vel saxis submersis adhaerent, quemadmodum Posidonia, Potamogeton marinum et Thalassiophyta. Parasiticae denique aliis plantis innatae ex iis alimentum hauriunt; uti Cytinus Hypocistis, Viscum album et Oxycedri, Cuscuta europaea, et Epithymum, et Orobanchae omnes; vel succis propriis vescuntur, plantis aliis tantummodo affixae, et tunc aptius pseudo-parasiticae dictae, quales Hepaticae, Musci, Lichenes, et Hypoxyleae. Stationum hactenus recensitarum hac in provincia vulgatior, et in simul stirpibus rarioribus ditior est statio collina, sive rupestris, dein montana, postremo litoralis praecipue insularum.

Inter naturales nostratum plantarum ordines quoad copiam specierum principem locum tenent Compositae, dein Leguminosae, postea Gramina, Umbelliferae Cruciferae atque Labiatae. Species rariores Florae Dalmaticae inter Compositas, Leguminosas, Umbelliferas atque Labiatas quaerendae sunt. Ad haec generalia de topographica plantarum distributione addere praeterea oportet, ex observationi-

bus hic institutis constare species complures in conterminis Floris obvias, immo vulgares, in Flora Dalmatica, omnino deficere, et hujusmodi defectum probe rependi totidem aliis stirpibus illis affinibus, quae apud nos earumdem vicibus quodammodo fungi videntur. Sic pro Asperula cynanchica deficiente incolit eadem loca in Dalmatia A. longiflora, pro Lycopside arvensi L. micrantha, pro Anchusa officinali A. microcalyx, pro Cynoglosso officinali C. cheirifolium, pro Cyclamine europaeo C. neapolitanum, pro Primula veris P. suaveolens, pro Convolvulo althaeoide C. tenuissimus, pro Lonicera Caprifolio L. estrusca, pro Rhamno saxatili R. infectoria, pro Gentiana Amarella G. crispata, pro Statice reticulata St. furfuracea, pro Triglochi palustri T. Barrelieri, pro Silene alpestri S. Tommasinii, pro Ranunculo Flammula R. ophioglossifolius, pro Helleboro viridi H. multifidus, pro Paeonia officinali P. Russi, pro Tencrio Scordio T. scordioides, pro Betonica officinali B. hirta, pro Stachyde recta St. subcrenata, pro Draba Aizoide D. Aizoon, pro Onobrychide Crista galli O. foveolata, pro Trigonella Foenum graecum T. prostrata, pro Cytiso Laburno C. Weldeni, pro Junipero communi J. Oxycedrus, pro J. Sabina J. phoenicea. Quam specierum diversitatem diversae climatis indoli magna ex parte tribuendam esse, probabili sane sententia, arbitrabitur quicumque consideret, hac ipsa in provincia facile observari, prout aliquis regiones mutat ab inferioribus ad superiora pergens, vel vice versa, species australes orae litoralis frigidioribus affinibus locum cedere.

Botanicus hujusmodi observationum sollicitus videbit igitur Thymum acicularem regionis litoralis in regione montana omnino evanescere, ut locum cedat simillimo Th. Serpyllo, Salviam Verbenacam S. pratensi, Phleum echinatum P. pratensi, Thesium divaricatum Th. Linophyllo, Genistam Dalmaticam G. sylvestri, Onopordon Illyricum O. Acanthio, Anthriscum Cerefolium A. trichospermae, Juniperum communem J. nanae, et sic de pluribus.

Haec habui de vegetatione Dalmatica, quae praefarer: modo reliquum est, ut ea omnia, quae de Florae hujus historia hactenus colligere licuit, proferam, eorumque labores, qui plantis Dalmatis inquirendis, describendisve sedulam navarunt operam, chronologico exponam ordine, debitoque honore rependam. Antiquior inter botanicos, quos mihi certo constet Dalmatiam invisisse, est Antonius Musa Brasavola, Venetus patricius, et medicus ante dimidium saeculi sextodecimi, doctrina plaeclarus, cujus exstat opella: Examen omnium simplicium medicamentorum primum Lugduni edita anno MDXXXVII, dein Venetiis MDXXXIX, ac demum Londini MDXLIV. Alphonsi I. Ferrariae ducis, et postea Herculis II. servitio addictus plures Europae partes lustravit, quas inter cum Alphonso Dalmatiam, ubi praecipuam posuisse curam videtur in invenienda Iride illyrica, Theophrasto, Dioscoride, Nicandro, et Galeno celebrata, quae Iris Germanica Linnaei. Sub hoc tamen nomine plures ipse coacervavit species, uti ex sequentibus patet „Quum vero annis elapsis cum illustrissimo Alphonso „duce nostro in Illyrico essem, Irim plures colores habentem quaesivi, et inveni;

„erant quidem in diversis individuis varii. In aliquibus candidi, in aliis pallidi, „in aliis lutei, in diversis purpurei, ut plurimum vero caerulei visebantur, erat „autem unus et idem flos variis coloribus insignitus.“

Brasavolam paucis post annis secutus est Aloysius Anguillara, primus Horti Patavini praefectus, vir plantarum cognitione clarissimus, qui in praestanti opusculo, cui titulus: Semplici dell' Eccellente Messer Luigi Anguillara. In Vinegia presso Vincenzo Valgrisi. MDLXI: septingentas et amplius stirpes Dalmatiae proprias recensuit, observationibus illustravit, nominibusque illyricis auxit.

Anno MDCXCIV. Dalmatiae vegetabilia perscrutatus est indefessus Paulus Boccone, Cisterciensi ordini addictus, magnique Hetruriae ducis botanicus, uti constat ex ejusdem opere: Museo di piante rare della Sicilia, Malta, Corsica, Italia, Piemonte, e Germania. Ven. MDCXCVII., ubi sub pagina XXIII. Chrysanthemi nostri Turraeani descriptionem exhibens, innuit se idem in Dalmatis insulis magna manu invenisse.

Sed non botanicae tantum, verum etiam caeteris naturalis historiae partibus operam dedit Vitalianus Donati Patavinus, qui ab anno MDCCXLIII per quinquennium Dalmatiam omnem Drilonem usque peragravit, atque illinc plantas, earumque semina celebri Pontederae, tunc temporis horti Patavini ornamento, excolendas transmisit. Paucarum stirpium in mare degentium et ab ipso circa Dalmatiam lectarum restat notitia in ejusdem opere: Saggio della storia naturale marina dell' Adriatico: Venezia 1750.

Tum quoque vel parvo temporis intervallo Dalmatiam petiit Josephus Agosti, e Societate Jesu, Bellunensis, qui in opere: De re botanica tractatus, in quo praeter generalem methodum, et historiam plantarum, eae stirpes peculiariter recensentur, quae in agro Bellunensi, et Fidentino vel sponte crescunt, vel arte excoluntur. Belluni 1770, quarundam plantarum in provincia nostra a semetipso lectarum sermonem fecit, uti in paginis 80. 87. 128, et 177 videre est.

Nec benemeritus Xaverius Wulfen in suis peregrinationibus Dalmatiam praeteriit, quin immo se ibidem Corydalim capnoidem legisse ipsemet in cl. Jacquini Collectaneis testatur (vol. I. p. 173), nec non Conyzam candidam ut perhibet cl. Persoon in Synopside Plantarum vol. 2. p. 429.

Piget insuper Dominicum Cyrillum medicum neapolitanum, ac botanicum celeberrimum, et meliori dignum fortuna, Apsyrtides tantum appulisse, nec reliquam perlustrasse Dalmatiae partem. Hic cum cl. Fortis societate inita, mense majo anni MDCCLXX. Apsyrticae Florae divitias recensendas suscepit, ejusque catalogum in opere de iisdem insulis a Fortis conscripto inseruit p. 68. 70.

At longe majorem praebuit stirpium dalmaticarum indicem comitas atque humanitas Viri spectatissimi Josephi Host, qui mense Martio anni MDCCCII. Dalmatiam paene omnem metitus est, a sinu nempe Flanatico ad Mucarum. Rarissimas ipse invenit species, immo aliquot novas, quas posterioribus describendas reliquit.

Nec multum ab ipso temporis abfuit nobilis Vir Joseph de Seenus, qui eodem suscepto itinere plures collegit species, quas inter nonnullas novas sibi vi-

sas, quarum omnium indicem vel descriptiones vide in opella: Beschreibung einer Reise nach Istrien und Dalmatien vorzüglich in botanischer Hinsicht, mit einer Vorrede von H. D. Hoppe. Nürnberg. 1805.

Sed nulli post Brasavolam in Dalmatiam peregrinanti contigerat, ut magno Regi comes adjunctus nostram vegetationem inquireret, veluti anno MDCCCXVIII. sors dedit sane invidenda egregio ac immatura morte praerepto Francisco de Portenschlag, quem cum FRANCISCUS I. Austriacus Imperator et Rex immortalis memoriae Dalmatiam invisendam susciperet, in botanicum accire dignatus est. Nec tanto munere imparem sese ostendit cl. Vir, multas enim rariores stirpes collegit, multas adhuc incognitas detexit, ex quibus arduum moliebatur Florae Dalmaticae opus. Ne vero laborum suorum omnis deperiret fructus, atque memoria, cl. Trattinniek plantas novas describi, ill. Welden easdem aere incidi curarunt, atque in lucem edidere primum in Diario germanico: Archiv für Geschichte, Statistik, Literatur und Kunst, anni MDCCCXXIV. No. LVI. et LVII: dein seorsim in opella, cui titulus: Enumeratio plantarum in Dalmatia lectarum a Francisco de Portenschlag-Ledermayer. Vindobonae. Anno MDCCCXXIV.

Eodem denique anno apsyrticas plantas accurato subjecit examini cl. Fr. Teophilus Bartling, atque observationes in easdem institutas publici juris fecit in opusculo inscripto: De litoribus, ac insulis maris Liburnici dissertatio geographico-botanica. Hannoverae MDCCCXX. Post quinquennium de iisdem plantis quaestionem fecit in altera parte operis germanici, cui titulus: Beiträge zur Botanik von F. G. Bartling und H. L. Wendland. Göttingae editi anno MDCCCXXV.

Lapsu temporis alii etiam herbarum studiosi dalmaticis stirpibus colligendis strenuam dederunt operam, egregius nempe Fr. Neumayer quoad Ragusinam ditionem: indefessus ac sciens plantarum investigator Jos. Tommasini quoad ditionem Spalatensem, Mucarensem, et Ascriviensem; nobilissimus botanices fautor, cultorque insignis liber baro Ludovicus Welden quoad plantas praecipue ditionis Jadertinae, etsi plures Dalmatiae partes inviserit; sedulus vegetabilium collector professor Fr. Petter, quoad species ditionis Spalatensis, et montis Biokovo, quarum omnium, aliorumque insuper ipsimet ab amicis dono datarum catalogum edidit sub titulo: Botanischer Wegweiser in der Gegend von Spalato in Dalmatien, Zara MDCCCXXXII; solertissimus herbarum scrutator professor A. Alschinger, quoad plantas praesertim ditionis Jadertinae, et Argyrunteae, quarum vegetationem primus illustrare studuit in opella quae inscribitur Flora jadrensis, anno MDCCCXXXII Jaderae in lucem edita. Multa adhibita diligentia has ipsas jadertinas plantas, et postea ragusinas quaesivit egregius Jos. Rubrizius. Mensibus Majo, et Junio anni MDCCCXXXVIII Dalmatiam fere omnem, cursim licet, rimatus est a Sinu Flanatico ad Rhizonicum benemeritus, ac diligens Fr. Mayer, plures invenit species aliis id temporis invisas, omniumque liberalitate perrara memet in partem vocare voluit, quo operi meo haud parvi esset emolumenti, neve laborum suorum fructus ditissimus deperiret, praescius fere fati miserrimi, quo paullo postea praeripi debebatur scientiae, cujus incrementa curabat, amicis, quibus inexplebile sui desiderium reliquit, alumnis suis

suavissimis dignissimisque, quorum ingeniis instituendis doctrina illa sua multiplici atque versatili jam tunc temporis multa assecutus, majora etiam cito assecuturum esse omnibus videbatur. Eadem tempestate consequentis anni insulas quasdam occidentales et Dalmatiae litora perlustravit, ac Biokovum adiit illustris Tergestinus botanicus Doct. B. Biasoletto, novisque aliquot stirpibus dalmatam Floram auxit. Hanc modo summo amore, et diligentia prosequitur egr. Jos. Kargl, qui provinciam quaquaversus peregrinatus, magnam undique plantarum copiam collegit. — Species insularum sinus Flanatici proprias diligenter perquisivit Doct. J. W. L. Noè; illas insulae Gissae pharmacopaeus Caj. Brizzi Jadertinus, et Ascrivienses egr. Doct. Dominicus Pappafava, maritimis specialem impendens operam; Tragurienses, And. Andrich; Pharenses clarissimus patriae historiae illustrator, rerumque naturalium studiosus Petr. Nisiteo, et modo solertissimus plantarum perquisitor Alois. Stalio. Qui omnes singulari, qua excellunt, humanitate plantas ab ipsis lectas mihi ostendentes, rariorumque insuper liberalem copiam facientes, collectionem meam speciminum stirpium dalmaticarum plurimum dictavere. Anno denique proxime elapso FRIEDERICUS AUGUSTUS Saxoniae rex, scientiarum praesertim naturalium, et apprime botanices eximie expertus, fautorque splendidissimus, Dalmaticam vegetationem exploraturus, iter per oram maritimam hujusce Regni suscepit, cujus auspiciis fretus, egregius Doct. Biasoletto regii itineris comes, novam stirpium ibidem crescentium collectionem instituit. Atque hic desinit botanicorum series, quos certe scio Dalmatiam investigasse.

Alii vero plantas Dalmaticas descripsere sibi communicatas, quos inter ab antiquis exordiens nominabo Matthiolum, qui Lycium dalmaticum a L. Europaeo diferre autumavit, ficta icone deceptus, ac ad Dioscoridis descriptionem vituperabili artificio accomodata, a quodam Joh. Bapt. Balestro tunc temporis Jadertino pharmacopola, et Matthiolo missa; Camerarium qui in Epitome de plantis ait, Nardum montanam, sive Valerianam tuberosam, in Dalmatia inveniri; Casparem Bauhinum, qui in Phytopinace primus Linariam dalmaticam indicavit sub nomine Linariae latifoliae magno flore, quam postea descripsit in Prodromo. Jacobus Zanonius in sua Historia Botanica Bononiae edita anno MDLXXV. plures plantas e dalmaticis ortas seminibus illustravit, nempe Rumicem tuberosum, Conyzam candidam, Celsiam orientalem, Centauream ragusinam, Linariam dalmaticam, Malvam parvifloram, Thlaspi saxatile, Chrysanthemum Turraeanum, aliasque paucas. Hermannus in Horti Lugdano-Batavi catalogo descriptionem et iconem praebuit Andryalae ragusinae, et Euphorbiae spinosae. Millerus in The Gardeners Dictionary, Isatidem quandam dalmaticam paucis descripsit, quae cel. De Candolleo visa est I. tinctoriae varietas. Petr. Arduinus in Specimine altero animadversionum botanicarum duabus novissimis plantis Dalmaticis amabilem scientiam auxit, nempe Saponaria illyrica, et Cerastio cognomine, quarum semina ex itinere quodam redux Arduino crediderat herbarius quidam in Dalmatiam missus, ea de causa, a veneto patricio Philippo Farsetti: quas tamen plantas nemini in posterum in Dalmatia observatas, probabile est alibi lectas fuisse, et probabilius in Jonii insulis. Novas denique plantas Dalmatiae descripsere, et cognitas enumerarunt Vir clarissimus Nico-

laus Host in opere celeberrimo: Icones et descriptiones Graminum austriacorum: e speciminibus ab ill. Jos. Host, et D. Vaena ibidem lectis, ac cum ipso communicatis; benemeriti Roemer et Schultes pluribus in locis Systematis vegetabilium juxta specimina cll. Virorum Portenschlagi, Schotti, aliorumque; ill. Trattinnick in sua Synodo Botanica juxta eadem; egregius Reichenbach tum in Iconographia botanica, tum in Horto Botanico et in Iconibus Florae germanicae, quarum jam quarti Voluminis Decades eduntur, e speciminibus ill. Virorum Trevirani, Bartling, Welden, Petteri, Tommasinii, Noëi tandem Serenissimi Saxoniae Regis Friederici Augusti; cl. C. B. Presl, qui in Deliciis pragensibus anno MDCCCXXII Pragae editis Cardaminem sive Pteroneurum microphyllum in maritimis Dalmatiae prope Capocerto inventam, Mercurialem ciliatam ibidem lectam Isolepim tenuem in humidis ejusdem provinciae crescentem descripsit; infatigabilis Sieber in Flora, Diario bot. Ratisb. anni 1822. p. 242, et cl. prof. Tausch, qui in eodem opere, Tom. II. anni 1828. p. 240. diagnoses plantarum novarum, aut minus cognitarum in Dalmatia inventarum publici juris fecit. Specialem modo attentionem merentur opera Clarissimorum Nic. Th. Host jam S. A. M. Archiatri, et Lud. Reichenbach Consiliarii aulici Regis Saxoniae, quippe quae prima sint, in quibus deliberate et quadem latitudine actum sit de plantis dalmaticis. Prius Florae Austriacae nomine plantas comprehendit fere omnes in vasto Austriaco Imperio hospitantes, inter quas etiam describit plurimas Dalmatiae proprias, et novas, quarum specimina a Jos. Host, a Fr. de Portenschlag, a Jos. Tommasini et a Weldenio nuper laudatis venerabilis Auctor acceperat. Prodiit pars prima operis anno MDCCCXXVII, altera anno MDCCCXXXI. Opus cl. Reichenbachii, Flora Germanica excursoria inscriptum, Lipsiae ab anno MDCCCXXX. ad MDCCCXXXII. triplici sectione excusum, plantas excipit fere omnes Europae mediae, ideoque etiam dalmaticas, plurimas ex inspectione speciminum ab ill. Weldenio, et prof. Petter aliisque supra laudatis missorum, paucissimas catalogorum fide nostris adscriptas.

Restat postremo ut de peregrinationibus, qua botanicus, a memetipso per patriam aut Florae Dalmaticae studio institutis, deque scriptis patrias plantas spectantibus, quae hucusque edidi, verbum addam. Autumno anni MDCCCXX Sibenicensem ditionem peragravi, Traguriensis litoralem partem trajeci, spalatensem agrum ac Dalmatiam montanam, cursim licet, invisi. Anno MDCCCXXII, eadem tempestate, et hyeme subsequenti accuratius a Sibenico ad Spalatum stirpium examen institui. Autumno A. MDCDCXXIV. praeter loca indicata, quae iterum perlustrans, Mucarum appuli, et Biokovum ascendi, Portenschlagi inventibus apud botanicos celebrem. Vere A. MDCCCXXVI diligentius oram Dalmaticam scrutatus sum, insulam Brattiam adii, Onaei rupes rarissimis laetas stirpibus investigavi, uberrimamque plantarum, atque observationum messem collegi, quarum pars potior in Stirpium Dalmaticarum specimine eodem anno Patavii edito, publicam lucem vidit. Placuit Academicis spectatissimis, Botanicisque clarioribus opus illud insperata benevolentia complecti, quorum humanitate incitatus in patriam reversus sedulo incubui, ac totus in eo fui, ut plantas ejusdam indefesso labore exquire-

rem, atque illustrarem. Igitur vere et aestate A. MDCCCXXVII. ditionem omnem Sibenicensem, Spalatensem, Mucarensem, Naronitanam, Signianam ac Dernisensem, dedita opera, rimatus sum: agrum insuper Jadertinum invisi. Aestate et autumno sequentis anni eadem loca iterum pervestigavi, quibus accessit vallis Imothensis cum viciniis, et insula Pharia. Hisce itineribus plures mihi prodiere species vel novae vel quae priorum peregrinationum curas fefellerant, etsi jam cognitae. Earum diagnoses, seu compendiosas descriptiones ac differentias, dein evulgavi in supplemento Diarii Botanici Ratisbonensis mense Junio MDCCCXXIX (88). Hoc ipso anno, Autumni tempore et hyeme successivo insulas Phariae, et Corcyrae nigrae circumivi, Ragusinam ditionem transii, et Ascrivii diu commoratus rarissimas plantas undelibet mihi comparavi, quarum descriptiones exhibui in eodem Diario botanico Ratisbonensi ineunte anno MDCCCXXX (89). Aestate anni MDCCCXXXI. Alpes bebias conscendi bonam ditionis Argyrunteae partem invisi, dein Scardonitanum, Sibenicensem, Dernisensem, et Verliccensem haud minori solertia investigavi. Autumno insuper anni MDCCCXXXVII Dalmatiam litoralem iterum scrutatus sum, insulas quoque Brattiam, Phariam, et Issaram diligentus rimatus. Herbarum praeterea dalmaticarum collectiones examini subjiciendas esse putavi, si quae forte ibidem essent species, quae oculos, manusque meas latuissent. Hoc proposito herbaria sicca egregiorum virorum Alschinger, Kargl, Petter, Andrich, Tommasini, Biasoletto, Nisiteo, Neumayer, Rubrizii, penes auctores ipsos servata, et praesertim Portenschlagianum tum Graecii in instituto Joannaeo, tum Vindobonae in Imperiali rerum naturalium Museo custoditum, summa, qua potui attentione versavi. Denique ut de plurimis speciebus novis, aut a me nondum in Dalmatia observatis, et in Flora Austriaca benemeriti Host pro Dalmatis enumeratis, certior fierem, ejusdem herbarium in horto Caesareo Florae austriacae dicato servatum Vindobonae accurate perspexi, ex quo quid de plantis illis sentiendum mihi esset, cognovi. Quorum laborum praemium, atque mercedem omnium desideratissimam mihi contigisse putabo: dummodo horum ope patriae vegetationis historiam plenius, atque perfectius botanicis offerre valeam, et ex sententia succedat.

(88) In den Ergänzungsblättern zur Flora oder Botan. Zeitung. 1819. Erster Band; sub titulo: Plantae rariores in Dalmatia recens detectae. (89) In der Botan. Zeitung, N. 4. die 28. Januarii 1830 sub titulo: Plantae Dalmaticae nunc primum editae.

Vegetabilium Vascularium
in Dalmatia crescentium, aut frequentius cultarum
Conspectus.

Plantae cellulis vasibusque conflatae, seminibus pericarpio inclusis, embryone cotyledoneo.

- **Classis I. Cryptogamae.** organis genitalibus nullis vel obsoletis.
- **Phanerogamae.** organis genitalibus utriusque sexus manifestis.
  - **Classis II. Monocotyledones.** cotyledone amplexicauli, aut alternis.
  - **Classis III. Dicotyledones.** cotyledonibus binis oppositis, pluribusve verticillatis.
    - **Subclass. I. Chlamydoblastae.** cotyledonibus sacculo inclusis.
    - **Subclass. II. Gymnoblastae.** cotyledonibus liberis nudis.
      - **Legio I. Monochlamydeae.** Involucro florali unico aut nullo.
      - **Legio II. Dichlamydeae.** Involucro florali duplici.
        - ***Cohors I. Monopetalae.*** Corolla monopetala.
        - ***Cohors II. Polypetalae.*** Corolla polypetala.

Conspectus Ordinum Florae Dalmaticae.

Classis I. Cryptogamae.

I. Characeae L. Cl. Rich.
II. Equisetaceae DeC.
III. Lycopodineae Swartz.
IV. Filices Sw.

Classis II. Phanerogamae Monocotyledones.

V. Gramina Linn.
VI. Cyperoideae Juss.
VII. Junceae R. Br.
VIII. Irideae Juss.
IX. Amaryllideae R. Br.
X. Liliaceae Ach. Rich.
XI. Colchicaceae DeC.
XII. Smilaceae R. Br.
XIII. Dioscoreae R. Br.
XIV. Orchideae Linn.
XV. Callaceae Bartl.
XVI. Typhaceae Juss.
XVII. Najadeae Ach. Rich.
XVIII. Alismaceae L. Cl. Rich.
XIX. Butomeae L. Cl. Rich.
XX. Hydrocharideae R. Br.

Classis III. Phanerogamae Dicotyledones.

Subcl. I. Chlamydoblastae.

XXI. Asarineae R. Br.
XXII. Cytineae Ad. Brogn.
XXIII. Nymphaeaceae Salisb.

Subcl. II. Gymnoblastae.

Leg. I. Monochlamydeae.

XXIV. Coniferae Linn.
XXV. Amentaceae *
XXVI. Salicineae L. Cl. Rich.
XXVII. Juglandeae DeC.
XXVIII. Urticeae Kunth.
XXIX. Santalaceae R. Br.
XXX. Thymelaeae R. Br.
XXXI. Laurineae Vent.
XXXII. Polygoneae Juss.
XXXIII. Phytolacceae R. Br.
XXXIV. Chenopodeae Vent.
XXXV. Amaranthaceae R. Br.
XXXVI. Sclerantheae Bartl.

Leg. II. Dichlamydeae.

Coh. I. *Monopetalae.*

XXXVII. Plantagineae Vent.
XXXVIII. Plumbagineae Vent.
XXXIX. Globularieae DeC.
XL. Dipsaceae Vaill.
XLI. Valerianeae DeC.
XLII. Compositae Adans.
XLIII. Campanulaceae Bartl.
XLIV. Vaccinieae DeC.
XLV. Ericineae R. Br.
XLVI. Styraceae L. Cl. Rich.
XLVII. Ebenaceae L. Cl. Rich.
XLVIII. Samolinae Rafin.
XLIX. Primulaceae Vent.
L. Lentibulariae L. Cl. Rich.
LI. Scrophularinae R. Br.

LII. Orobancheae Juss.
LIII. Verbenaceae Juss.
LIV. Labiatae Juss.
LV. Acanthaceae Juss.
LVI. Convolvulaceae Vent.
LVII. Cuscuteae I. B. Presl.
LVIII. Solanaceae R. Br.
LIX. Borragineae R. Br.
LX. Gentianeae Juss.
LXI. Asclepiadeae R. Br.
LXII. Apocyneae R. Br.
LXIII. Rubiaceae Juss.
LXIV. Caprifoliaceae Ach. Rich.
LXV. Jasmineae Juss.

Coh. II. *Polypetalae.*

LXVI. Lorantheae Rich. et Juss.
LXVII. Umbellatae Linn.
LXVIII. Hederaceae Bartl.
LXIX. Berberideae Vent.
LXX. Paeoniaceae Bartl.
LXXI. Ranunculaceae Bartl.
LXXII. Polygaleae Juss.
LXXIII. Resedaceae DeC.
LXXIV. Fumariaceae DeC.
LXXV. Papaveraceae DeC.
LXXVI. Cruciferae Juss.
LXXVII. Capparideae Vent.
LXXVIII. Cucurbitaceae DeC.
LXXIX. Grossularieae DeC.
LXXX. Cactoideae Vent.
LXXXI. Cistineae DeC.
LXXXII. Violeae R. Br.
LXXXIII. Tamariscineae Desv.
LXXXIV. Hypericineae DeC.
LXXXV. Paronychieae Aug. St. Hil.
LXXXVI. Portulaceae DeC.
LXXXVII. Caryophylleae *
LXXXVIII. Crassulaceae DeC.
LXXXIX. Saxifrageae DeC.
XC. Halorageae R. Br.
XCI. Lythrariae Juss.
XCII. Onagrariae Juss.
XCIII. Granateae Don.
XCIV. Myrteae R. Br.
XCV. Tiliaceae Vent.
XCVI. Malvaceae Bartl.
XCVII. Geraniaceae DeC.
XCVIII. Lineae DeC.
XCIX. Oxalideae DeC.
C. Sarmentaceae Vent.
CI. Meliaceae Juss.
CII. Acerinae DeC.
CIII. Euphorbiaceae R. Br.
CIV. Rhamneae R. Br.
CV. Aquifoliaceae DeC.
CVI. Celastrineae Brogn.
CVII. Dictamneae *
CVIII. Ruteae Adr. Juss.
CIX. Zygophylleae R. Br.
CX. Cassuvieae R. Br.
CXI. Rosaceae Bartl.
CXII. Pomaceae Bartl.
CXIII. Dryadeae Vent.
CXIV. Spiraeaceae Bartl.
CXV. Amygdaleae Bartl.
CXVI. Leguminosae Juss.

Clavis analytica Classium et Ordinum naturalium Plantarum vascularium in Dalmatia crescentium.

1. Organis genitalibus nullis vel obsoletis		Organis genitalibus manifestis	
Cl. I. **Cryptogamae** Vide N.	2	Phanerogamae Vide N.	5
2. Plantae aphyllae	3	Plantae foliatae	4
3. Organis fructificationis sparsis		Organis fructificationis spicatis	
Ordo I. Characeae.		Ord. II. Equisetaceae.	
4. Foliatione recta		Foliatione circinali	
Ord. III. Lycopodiaceae.		Ord. IV. Filices.	
5. Cotyledone amplexicauli aut alternis		Cotyledonibus binis oppositis pluribusve verticillatis	
Cl. II. **Monocotyledones**	6	Cl. III. **Dicotyledones**	21
6. Organis sexus involucratis	7	Organis sexus nudis	
		Ord. XV. Callaceae.	
7. Involucro glumaceo	8	Involucro herbaceo aut petaloideo	11
8. Ovario uniovulato	9	Ovario tri-multiovulato	
		Ord. VII. Junceae.	
9. Seminibus a pericarpio liberis	10	Seminibus pericarpio adnatis	
10. Gluma univalvi		Ord. V. Gramina.	
		Perigonio triphyllo obsoleto	
Ord. VI. Cyperoideae.		Ord. XVI. Typhaceae.	
11. Involucro unico	12	Involucro duplici	19
12. Germine infero	13	Germine supero	16
13. Stylo libero	14	Stylo cum staminibus connato	
		Ord. XIV. Orchideae.	
14. Staminibus sex	15	Staminibus tribus	
		Ord. VIII. Irideae.	
15. Floribus hermaphroditis		Floribus dioicis	
Ord. IX. Amaryllideae.		Ord. XIII. Dioscoreae.	

16. Germine ex tribus ovariis connatis	17	Germine ex ovario unico	18
17. Stylo ex tribus connatis.		Stylis tribus distinctis	
Ord. X. **Liliaceae.**		Ord. XI. **Colchicaceae.**	
18. Staminibus sex		Staminibus 1—4	
Ord. XII. **Smilaceae.**		Ord. XVII. **Najadeae.**	
19. Germine supero	20	Germine infero	
		Ord. XX. **Hydrocharideae.**	
20. Carpellis mono-dispermis		Carpellis polyspermis	
Ord. XVIII. **Alismaceae.**		Ord. XIX. **Butomeae.**	
21. Cotyledonibus sacculo inclusis		Cotyledonibus liberis nudis	
Subcl. I. **Chlamydoblastae**	22	Subcl. II. **Gymnoblastae.**	24
22. Involucro florali unico	23	Involucro florali duplici	
		Ord. XXIII. **Nymphaeaceae.**	
23. Plantae foliatae terrestres		Plantae foliis abortivis, parasiticae	
Ord. XXI. **Asarinae.**		Ord. XXII. **Cytineae.**	
24. Involucro unico aut nullo.		Involucro florali duplici	
Legio I. **Monochlamydeae.**	25	Leg. II. **Dichlamydeae.**	37
25. Floribus amentaceis	26	Floribus non amentaceis	29
26. Floribus monoicis	27	Floribus dioicis	
		Ord. XXVI. **Salicinae.**	
27. Fructu simplici	28	Fructu aggregato.	
		Ord. XXIV. **Coniferae.**	
28. Fructu sicco		Fructu drupaceo	
Ord. XXV. **Amentaceae.**		Ord. XXVII. **Juglandeae.**	
29. Perigonii verticillo unico	30	Perigonii verticillo duplici	
		Ord. XXXII. **Polygoneae.**	
30. Staminibus lobis perigonii oppositis	31	Staminibus lobis perigonii alternis	36
31. Floribus omnibus hermaphroditis	32	Floribus unisexualibus polygamisve	
		Ord. XXVIII. **Urticeae.**	
32. Perigonio omnino viridi, aut extus colorato	33	Perigonio intus colorato extus viridi	
		Ord. XXIX. **Santalaceae.**	
33. Pericarpio sicco	34	Pericarpio carnoso	
		Ord. XXXI. **Laurinae.**	
34. Perigonio nudo	35	Perigonio bracteis involucrato	
		Ord. XXXV. **Amaranthaceae.**	

35.	Staminibus perigonii basi insertis		Staminibus perigonii fauci insertis	
	Ord. XXXIV. **Chenopodeae.**		Ord. XXXVI. **Sclerantheae.**	
36.	Perigonii limbo 4 — 5 fido		Perigonio ad basim 4 — 5 partito	
	Ord. XXX. **Thymelaeae.**		Ord. XXXIII. ***Phytolacceae.***	
37.	Corolla monopetala		Corolla polypetala	
	Cohors I. **Monopetalae.**	38	Coh. II. **Polypetalae**	66
38.	Corolla sub ovario inserta	39	Corolla circa vel supra ovarium	60
39.	Ovario unico	40	Ovariis pluribus	55
40.	Floris receptaculo nudo	41	Florum receptaculo paleaceo	
			Ord. XXXIX. **Globularieae.**	
41.	Staminibus quatuor vel quinque	42	Staminibus duobus	
			Ord. LXV. **Jasmineae.**	
42.	Corolla regulari	43	Corolla irregulari	51
43.	Stigmate unico	44	Stigmatibus pluribus	50
44.	Calyce libero	45	Calyce ovario adnato	
			Ord. XLVIII. **Samolinae.**	
45.	Plantae foliatae	46	Plantae aphyllae	
			Ord. LVII. **Cuscuteae.**	
46.	Staminibus quinque pluribusve	47	Staminibus quatuor	
			Ord. XXXVII. **Plantagineae.**	
47.	Staminibus quinque	48	Staminibus pluribus	
			Ord. XLVII. **Ebenaceae.**	
48.	Staminibus corollae lobis alternis	49	Staminibus corollae lobis oppositis	
			Ord. XLIX. **Primulaceae.**	
49.	Seminibus binis quaternisve		Seminibus indefinitis	
	Ord. LVI. **Convolvulaceae.**		Ord. LVIII. **Solanaceae.**	
50.	Stigmatibus duobus.		Stigmatibus quinque	
	Ord. LX. **Gentianeae.**		Ord. XXXVIII. **Plumbagineae.**	
51.	Fructu uniloculari	52	Fructu bi-quadriloculari	53
52.	Placenta centrali		Placentis parietalibus	
	Ord. L. **Lentibulariae**		Ord. LII. **Orobancheae.**	
53.	Seminibus placentae centrali affixis	54	Seminibus fundo loculi affixis	
			Ord. LIII. **Verbenaceae.**	
54.	Floribus disco vel annulo hypogyno praeditis		Floribus disco et annulo destitutis	
	Ord. LV. **Acanthaceae.**		Ord. LI. **Scrophularinae.**	
55.	Calyce libero	56	Calyce adnato	59

56. Floribus regularibus	57 Floribus irregularibus	
	Ord. LIV. Labiatae.	
57. Folliculis binis	58 Nuculis quatuor distinctis connatisve	
	Ord. LIX. Boragineae.	
58. Corolla hypocrateriformi	Corolla subrotata	
Ord. LXII. Apocyneae.	Ord. LXI. Asclepiadeae.	
59. Foliis verticillatis stipulatisve	Foliis oppositis exstipulatis	
Ord. LXIII. Rubiaceae.	Ord. LXIV. Caprifoliaceae.	
60. Floribus simplicibus, antheris liberis	61 Floribus compositis, antheris coalitis	
	Ord. LXII. Compositae.	
61. Calyce unico	62 Calyce duplici	
	Ord. XL. Dipsaceae.	
62. Calyce ovario adnato	63 Calyce libero	
	Ord. XLV. Ericinae.	
63. Staminibus ab unico ad quinque	64 Staminibus ab octo ad decem	65
64. Fructu submonospermo	Fructu polyspermo	
Ord. XLI. Valerianeae.	Ord. XLIII. Campanulaceae.	
65. Corolla epigyna	Corolla perigyna	
Ord. XLIV. Vaccinieae.	Ord. XLVI. Styraceae.	
66. Corolla sub ovario inserta	67 Corolla supra vel circa ovarium inserta	93
67. Fructu aptero	68 Fructibus binis alatis	
	Ord. CII. Acerinae.	
68. Floribus hermaphroditis	69 Floribus monoicis	
	Ord. CIII. Euphorbiaceae.	
69. Ovario clauso	70 Ovario apice aperto	
	Ord. LIII. Resedaceae.	
70. Staminibus a tribus ad decem	71 Staminibus plurimis	86
71. Filamentis distinctis	72 Filamentis connatis	81
72. Staminibus subaequalibus	73 Staminibus tetradynamis	
	Ord. LXXVI. Cruciferae.	
73. Petalis cum sepalis lobisve calycis alternantibus	74 Petalis sepalis oppositis	
	Ord. LXIX. Berberideae.	
74. Stigmate unico	75 Stigmatibus duobus ad quinque	79
75. Pericarpio sicco	76 Pericarpio baccato	
— — — Ord. C. Sarmentaceae.		

76.	Floribus regularibus	77	Floribus irregularibus	78
77.	Foliis sparsis exstipulatis		Foliis oppositis stipulatis	
	Ord. CVIII. Ruteae.		Ord. CIX. Zygophylleae.	
78.	Foliis simplicibus stipulatis		Foliis pinnatis exstipulatis	
	Ord. LXXXII. Violeae.		Ord. CVII. Dictamneae.	
79.	Seminibus calvis	80	Seminibus comosis	
			Ord. LXXXIII. Tamariscineae.	
80.	Fructu sicco		Fructu carnoso	
	Ord. LXXXVII. Caryophylleae.		Ord. CV. Aquifoliaceae.	
81.	Staminibus monadelphis	82	Staminibus diadelphis	85
82.	Filamentis basi coalitis	83	Filamentis ad apicem usque coalitis	
			Ord. CI. Meliaceae.	
83.	Ovariis connatis in unicum	84	Ovariis distinctis	
			Ord. XCVII. Geraniaceae.	
84.	Staminibus quinque.		Staminibus decem	
	Ord. XCVIII. Lineae.		Ord. XCIX. Oxalideae.	
85.	Calyce pentasepalo persistente.		Calyce disepalo deciduo	
	Ord. LXXII. Polygaleae.		Ord. LXXIV. Fumariaceae.	
86.	Filamentis distinctis	87	Filamentis connatis	92
87.	Petalis quaternis	88	Petalis ternis, quinis pluribusve	89
88.	Calyce disepalo.		Calyce tetrasepalo aut monosepalo	
	Ord. LXXV. Papaveraceae.		Ord. LXXVII. Capparideae.	
89.	Stylis pluribus	90	Stylo unico	91
90.	Stigmatibus simplicissimis		Stigmatibus crassis	
	Ord. LXXI. Ranunculaceae.		Ord. LXX. Paeoniaceae.	
91.	Stigmate unico simplici		Stigmatibus pluribus liberis connatisve	
	Ord. LXXXI. Cistineae.		Ord. XCV. Tiliaceae.	
92.	In fasciculos plures		In fasciculum unicum	
	Ord. LXXXIV. Hypericineae.		Ord. XCVI. Malvaceae.	
93.	Plantae non parasiticae	94	Plantae parasiticae	
			Ord. LXVI. Lorantheae.	
94.	Stigmate unico	95	Stigmatibus binis pluribusve	100
95.	Corolla regulari	96	Corolla papilionacea aut inaequali	
			Ord. CXVI. Papilionaceae.	
96.	Ovario libero	97	Ovario calyci adnato	98
97.	Pericarpio capsulari exsucco		Pericarpio drupaceo	
	Ord. XCI. Lythrariae.		Ord. CXV. Amygdaleae.	

98. Staminibus plurimis	99 Staminibus quinis	
	Ord. LXVIII. **Hederaceae.**	
99. Calyce colorato subcarnoso	Calyce herbaceo	
Ord. XCIII. **Granateae.**	Ord. XCIV. **Myrtaceae.**	
100. Carpellis nudis	101 Carpellis calyce accrescente involucratis	104
101. Fructu tri-polycarpo	102 Fructu dicarpo	
	Ord. LXVII. **Umbellatae.**	
102. Staminum numero indefinito	103 Staminum numero definito	
	Ord. LXXXVIII. **Crassulaceae.**	
103. Carpellis interne dehiscentibus	Carpellis indehiscentibus	
Ord. CXIV. **Spiraeaceae.**	Ord. CXIII. **Dryadeae.**	
104. Staminum numero indefinito	105 Staminum numero definito	107
105. Petalis quinis	106 Petalis plurimis	
	Ord. LXXX. **Cactoideae.**	
106. Stylis duobus ad quinque	Stylis plurimis	
Ord. CXII. **Pomaceae.**	Ord. CXI. **Rosaceae.**	
107. Fructu erostri aut mutico	108 Fructu birostri	
	Ord. LXXXIX. **Saxifrageae.**	
108. Stipulis bracteisque aut nullis aut herbaceis	109 Stipulis bracteisque scariosis	
	Ord. LXXXIX. **Paronychieae.**	
109. Fructu dehiscente	110 Fructu indehiscente	112
110. Foliis membranaceis	111 Foliis carnosis	
	Ord. LXXXVI. **Portulaceae.**	
111. Calyce libero, stipulis deciduis	Calyce adnato, stipulis nullis	
Ord. CVI. **Celastrinae.**	Ord. XCII. **Onagrariae.**	
112. Antheris brevibus rectis	113 Antheris elongatis flexuosis	
	Ord. LXXVII. **Cucurbitaceae.**	
113. Staminibus cum petalis alternantibus	115 Staminibus petalis oppositis	114
114. Lobis calycis aestivatione imbricatis	Lobis calycis aestivatione valvatis	
Ord. LXXIX. **Grossulariae.**	Ord. CIV. **Rhamneae.**	
115. Pericarpio exsucco	Pericarpio drupaceo	
Ord. XC. **Halorageae.**	Ord. CX. **Cassuvieae.**	

Classis I. CRYPTOGAMAE.

Ordo I. CHARACEAE.

L. Cl. Rich. in A. Rich. elem. bot. p. 413.

Organa utriusque sexus approximata ad nodos caulis. Mas, globulus polline vermiculari articulato plenus. Foemina, sporangium (nucula) uniloculare monospermum spiraliter quinquestriatum, striis saepe apice liberis coronam stigmatiformem simulantibus, in germinatione valvis totidem dehiscens, sporam continens ovoideam, perispermate amylaceo.

Herbae in aqua submersae, tracheis et stomatibus destitutae, saepe calcarea excretione incrustatae, caulibus ramosis articulatis fragilibus tubo cylindrico hyalino conflatis intus membrana viridi strato, et fluido circulante globulifero pleno, saepe tubulis connatis spiraliter tortis exterius tecto, ramis ad nodos verticillatis, apicem versus globulos infraxillares nudos et sporangia axillaria spiraliter costata basi bi-tribracteata gerentia.

I. Chara. Ag.

Syst. alg. p. XXVII.

Charact. Sporangia bracteata striis apice liberis coronata. Caules tubulis connatis spiraliter tortis exterius tecti. — *Class.* Cryptogamia. *Ord.* Algae. Syst. sex. —

1. Chara hispida β? **dalmatica.**

Ch. caulis internodiis abbreviatis, ramentis conico-subulatis sparsis, ramulis senis articulatis, articulis supremis hyalinis, terminali acuto, bracteis lanceolatis subquaternis nuculam ovatam breviter pedicellatam subsuperantibus.

Hab. in aquis fluminis Kerka prope Cascata di Scardona. Fructif. aestate. ○

Obs. Differt a specie caulibus internodiisque abbreviatis, ramentis non setiformibus, sed multo crassioribus, quapropter caules non vere hispidi, nucula ovata nec ovali, breviter pedicellata! nec sessili, bracteis lanceolatis nec linearibus. Nucula nigrescens. An forma macrior, contracta, brachyclada? An species distincta? Cum paucissima specimina fructifera hactenus legere contigerit nil certi de specifica stirpis differentia statuere possum. Crusta calcarea glaucescit, denudata planta viridis.

2. Chara fragilis Desv. Reichb. fl. exc. p. 149. (excl. syn. Hedw. et Ag.)

Ch. caule glabro gracili nudo, internodiis elongatis, ramulis octonis articulatis subulatis, articulo terminali hyalino cuspidato, bracteis lanceolatis quaternis nucula ovali sessili subbrevioribus.

Syn. Ch. pulchella Wallr. ann. t. II. Ag. syst. alg. p. 129.

Icon. Bisch. Krypt. Gew. I. tab. s. f. 12—13. (sub Ch. pulchella.)

Hab. in aquis pigris circa Knin. Fruct. aestate. ⊙

II. Nitella Ag.

Syst. alg. p. XXVII.

Char. Sporangia ebracteata ecoronata. Caules exterius nudi. — *Cl.* Cryptogamia. *Ord.* Algae Syst. sex. —

3. Nitella flexilis Ag. l. c. p. 124.

N. diaphana, ramulis elongatis bifurcis, nuculis axillaribus subsolitariis.

Icon. Reichb. Ic. pl. rar. Cent. VIII. tab. 1071.
Bisch. Krypt. Gew. 1. tab. 1. f. 1—3. (sub Ch. flexili.)

Syn. Chara flexilis L. sp. pl. 2. p. 1624. Reichb. fl. germ. exc. p. 148.

Hab. in rivulis lente fluentibus prope Dernis. Fructif. Julio Sept. ⊙

4. Nitella nidifica Ag. l. c. p. 125.

N. diaphana, ramis elongatis, ramulis fructiferis filiformibus conglobatis, nuculis axillaribus subgeminis.

Icon. Reichb. Ic. pl. rar. VIII. tab. 1072. (sub Ch. flexili var.)

Syn. Conferva nidifica Müll. fl. dan. V. p. 6. ?
Chara nidifica Reichb. fl. germ. exc. p. 148.
Ch. flexilis var. nidifica Reichb. Ic. pl. rar. VIII. p. 37.

Hab. ad saxa litoris marini circa Cittavecchia in insula Lesina. Legit et communicavit cl. Nisitèo. Fruct. aestate ⊙

Obs. Icon. Mülleri in fl. dan. vol. V. tab. 760. ramulos exhibet elongatos radiantes, nec fere in capitulum conglobatos ut in nostra, quae in icone cl. Reichenbachii optime repraesentatur.

Ordo II. EQUISETACEAE.

DeC. fl. fr. 2. p. 580.

Organa fructificationis verticillata, verticillis in spicam conicam terminalem digestis, totidem receptaculis peltatis pedicellatis constantia, subtus sporangiis 6—7 in orbem dispositis unilocularibus conicis introrsum longitudinaliter dehiscentibus praedita. Sporae lenticulares aut subglobosae liberae indehiscentes, basi filamentis quatuor teretibus (Elateria), apice clavatis granulosis spiraliter tortis ornatae et arcte circumdatae.

Herbae aphyllae caulibus sulcatis articulatis, silicea excretione in epidermide et lacunis aereis regularibus internis insignibus, ramis conformibus verticillatis, vaginis membranaceis dentatis truncatisve, raro nullis, ad basim articulorum.

III. Equisetum. L.

Gen. pl. ed. II. p. 391.

Char. idem ac ordinis. — *Cl.* Cryptogamia. *Ord.* Filices Syst. sex. —

M **5. Equisetum arvense** L. sp. pl. 2. p. 1516. Reichb. fl. germ. exc. p. 154. Host fl. austr. 2. p. 684. Alsch. fl. jadr. p. 234. Pett. bot. Wegw. n. 361.

E. cauli sterili simpliciter ramoso, ramis tetragonis scabris, fructiferi simplicis vaginis cylindricis incisis, dentibus acutis.

Icon. Matthiol. disc. ed. Valgr. p. 1081.
Fuchs. hist. p. 323.

Dodon. pempt. p. 73. f. 2. 4.
Bisch. Krypt. Gew. tab. 3. f. 1. 2.

Illyr. Konj rep.

Hab. in arvis argillosis. Fructif. Aprili, Majo. ♃.

6. **Equisetum Telmateja** Ehrh. Beitr. 2. p. 159. Reichb. fl. germ. exc. p. 154.

E. caule sterili simpliciter ramoso, ramis octagonis scabris, fructiferi simplicis vaginis infundibularibus amplis brunneis incisis, dentibus unicoloribus cuspidatis.

Syn. E. fluviatile Host fl. austr. 2. p. 684. Alsch. fl. jadr. p. 234. non Linn.

Hab. juxta ripas et umbrosas fossarum margines circa Zara, Dernis, Spalato, Narenta. Fructificat Apr. Majo. ♃.

Obs. Affine E. fluviatili L. sp. pl. 2. p. 1517, a quo differt ramis numerosioribus brevioribus, vaginis rameis albido nec nigro sphacelatis, spica pallidiore oblongo-conica multo longiore, ut in Flor. dan. tab. 1184. Nostrum exhibet juxta cl. Reichenbach icon. Fl. dan. tab. 1469, sed in hac caulis fructifer ramosus pingitur, quod naturae contrarium.

7. **Equisetum palustre** L. sp. pl. 2. p. 1516. Reichb. fl. germ. exc. p. 155. Host fl. austr. 2. p. 685. Alsch. fl. jadr. 234.

E. caule sterili simpliciter ramoso, ramis pentagonis laevibus, fructiferi simplicis vaginis viridibus, dentibus subulatis brunneis margine hyalinis persistentibus.

Icon. Fl. dan. tab. 1183.

Hab. in uliginosis prope Nona, Dernis, Verlika, Sign, Salona, Narenta. Fructif. Junio, Julio. ♃.

8. **Equisetum elongatum** W. sp. pl. 5. p. 8. Reichb. fl. g. exc. p. 155.

E. caule inferne ramoso polygono, ramis subterno-aggregatis octagonis laevibus, vaginis cano-viridibus concoloribus, dentibus persistentibus basi nigris in setam hyalinam deciduam longe productis, spica mucronata.

Hab. ad margines agrorum circa Dernis et Ragusa. Fructif. Aprili, Majo. ♃.

Obs. Differt nostrum a descriptione Willdenowiana caulibus simpliciter ramosis laevibus, dentibus vaginarum basi nigris; a Reichenbachiana ramis non spiciferis, brevioribus: attamen huc certe pertinet, nec specifice distinguendum. Rami non regulariter verticillati, sed circa nodos caulis binatim ternatimve aggregati. Vaginae profunde sulcatae, angulis obtusis.

Ordo III. LYCOPODINEAE

Sw. Syn. filic. p. 173.

Organa fructificationis crustacea sessilia: nunc solitaria in axillis foliorum, nunc bracteata spicata: ut plurimum sporangia polyspora uniformia exhibentia, interdum organa biformia, nempe quaedam bivalvia reniformia pulvere flavo plena (Antherae), quae forsitan masculina, et sporangia sphaerica trivalvia bi-tetraspora, sporis tricostatis, quae videntur foeminea.

Herbae aut suffrutices terrestres aut arboribus affixae, caulibus foliatis saepe repentibus, ramosis, dichotomis, foliis numerosis stipatis parvis acutis simplicibus.

IV. Lycopodium L.

Gen. pl. ed. II. p. 393.

Char. Antherae bivalves reniformes polline plenae. Sporangia sphaerica trivalvia subtetraspora. — *Cl.* Cryptogamia. *Ord.* Musci Syst. sex. —

9. Lycopodium denticulatum L. sp. pl. 2. p. 1569. Host fl. austr. 2. p. 687. Alsch. fl. jadr. p. 234.

L. caule repente ramoso, foliis distichis subcordato-ovatis acutis ciliato-denticulatis, stipulis alternis conformibus, spicis terminalibus abbreviatis sessilibus.

Icon. Dillen. hist. musc. tab. 66. f. I. A.

Clus. hist. 2. p. 249.

Hab. ad saxa et ad terram in umbrosis totius Dalmatiae.

Ordo IV. FILICES

Sw. Syn. filic. 1806.

Sporangia capsularia dorso frondium secus nervos aut nervorum apici inserta, unilocularia polysperma pedicellata definite dehiscentia, in soros nudos aut indusio membranaceo tectos aggregata, rarius in spicam terminalem disposita, sporas globulosas minimas continentia.

Herbae (nostrates) perennes, frondibus petiolatis alternis, vernatione circinatis, simplicibus, integris aut multisectis, spiraliter caudici affixis.

Tribus I. POLYPODIACEAE

Hook. fl. scot. 2. p. 152.

Sporangia annulo elastico articulato longitudinali cincta in dorso frondium disposita.

Clavis analytica generum

1. Soris nudis Vid. Num. 2	Soris indusio tectis Vid. Num. . . 3
2. Soris linearibus	Soris subrotundis
Ceterach V.	Polypodium VI.
3. Soris dorsalibus 4	Soris marginalibus 6
4. Soris linearibus 5	Soris subrotundis
	Aspidium VII.
5. Indusio unico	Indusiis duobus
Asplenium IX.	Scolopendrium VIII.
6. Soris discretis 7	Soris in lineam continuis
	Pteris X.
7. Soris indusio insertis	Soris indusio tectis
Adianthum XI.	Cheilanthes XII.

Tribus II. OPHIOGLOSSEAE
Hook. l. c. p. 158.

Sporangia exannulata in spicas terminales disposita.

Genera

Spica simplici — **Ophioglossum XIII.**

Spica composita — **Botrychium XIV.**

Tribus I. POLYPODIACEAE Hook.

V. Ceterach W.
Sp. pl. V. p. 136.

Char. Sori indusio destituti dorsales lineares transversales. — *Cl.* Cryptogamia *Ord.* Filices Syst. sex. —

10. Ceterach officinarum W. sp. pl. V. p. 136. Vis. stirp. dalm. spec. p. 30.

C. fronde lineari-oblonga profunde pinnatifida, laciniis oblongis alternis obtusis, subtus dense paleaceis.

Icon. Barrel. icon. 1043. 1044.
Blackw. herb. t. 216.
Engl. bot. tab. 1244.

Syn. Asplenium Ceterach L. sp. pl. p. 1538. Pett. bot. Wegw. n. 128.
Scolopendrium Ceterach Sm. brit. 3. p. 1134. Host fl. austr. 2. p. 679.
Gymnogramme Ceterach Spr. syst. veg. IV. p. I. p. 38. Alsch. fl. jadr. p. 234.

Illyr. Paprat ad Kamena. Zlatinjak. Paprat slana. Zlatna paprat. Sljezenicza.

Hab. ad muros agrestes et rupes copiose. Fructif. aestate. ♃.

Usus. Tum frondium decoctum interne sumptum, tum et praecipue cataplasmata earundem extus adhibita in obstructionibus viscerum et praecipue lienis (ex quo postremum plantae nomen vernaculum) ab incolis adhibentur.

VI. Polypodium L.
Gen. pl. ed. II. p. 392.

Char. Sori dorsales subrotundi sparsi indusio destituti. — *Class.* Cryptogamia. *Ord.* Filices. Syst. sex. —

11. Polypodium vulgare L. sp. pl 2. p. 1544. Host fl. austr. 2. p. 673. Alsch. fl. jadr. p. 235.

P. fronde glabra triangulari profunde pinnatifida, laciniis approximatis lineari-lanceolatis obtusis serrulatis, soris biserialibus, caudice paleaceo.

Icon. Matth. disc. ed. Valgr. p. 1355.
Fl. dan. tab. 1070.
Blackw. herb. fr. t. 191.

Illyr. Slatka paprat.

Hab. in umbrosis Vellebith, Svilaja, Biokovo, Sniesniza, et circa Cattaro ad rupes. Fructif. aestate. ♃.

Usus. **Radix inter remedia expectorantia eccoprotica recensetur.**

12. Polypodium Dryopteris L. sp. pl. 2. p. 1555. Host fl. austr. 2. p. 673.

P. fronde triangulari glabra ternato-pinnata, pinnis patulo-deflexis profunde pinnatifidis, laciniis oblongis obtusis subintegerrimis, infimis crenato-pinnatifidis, soris biseriatis submarginalibus, stipite rachique nudis.

Icon. Tabernaem. icon. stirp. p. 794. f. 2.

Moris. hist. pl. 3. sect. 14. t. 4. f. 19.

Hab. in sylvaticis montis Vellebith. Fructif. aestate. ♃.

13. Polypodium calcareum Sm. fl. brit. 3. p. 1117. Host fl. austr. 2. p. 673.

P. fronde triangulari glabra ternato-pinnata, pinnis adscendentibus profunde pinnatifidis, laciniis oblongis obtusis subintegerrimis, infimis crenatis, soris biseriatis submarginalibus, stipite basi paleaceo.

Icon. Clus. hist. VI. p. CCXII.

Hab. ad fissuras rupium montis Vellebith. Fructif. aestate. ♃.

Obs. **Admodum affine praecedenti. Sori variant discreti et confluentes, laciniae infimae nunc levius nunc profundius crenatae in utroque.**

VII. Aspidium Sw.

Syn. filic. p. 3.

Char. Sori dorsales subrotundi sparsi, indusio unico umbilicato, sive centro affixo margine libero; aut laterali, sive uno latere dehiscente tecti. — *Cl.* Cryptogamia. *Ord.* Filices. Syst. sex. —

14. Aspidium Lonchitis Sw. syn. fil. p. 43. Host fl. austr. 2. p. 674.

A. fronde pinnata lanceolato-subfalcata acuminata, pinnis approximatis falcatis acutis serrato-ciliatis, basi sursum acute auriculatis, deorsum cuneatis, subtus, stipite rachique paleaceis, soris biserialibus, indusio umbilicato.

Icon. Engl. bot. t. 797.

Fl. dan. t. 497.

Matth. disc. ed. Valgr. p. 972.

Syn. Polypodium Lonchitis L. sp. pl. 2. p. 1548.

Hab. in umbrosis sylvaticis montis Biokovo. Fructif. aestate. ♃.

Obs. **Variat pinnis brevioribus latis, longioribusque lanceolatis, leviter alteque inciso-serratis, quae habitum plantae summopere immutant.**

15. Aspidium Thelypteris Sw. syn. fil. p. 50. Host fl. austr. 2. p. 674.

A. fronde pinnata, pinnis pinnatifidis lanceolatis subtus nudiusculis, pinnatis oblongis crenulatis, fertilibus margine revolutis acutis, stipite rachique nudis, soris biserialibus submarginalibus demum confluentibus, indusio umbilicato.

Icon. Fl. dan. tab. 760.

Engl. bot. t. 1018.

Syn. Acrostichum Thelypteris L. sp. pl. 2. p. 1528.
Polypodium Thelypteris L. mant. p. 505. Engl. bot. Fl. dan. loc. cit.

Hab. locis palustribus prope Narenta, ubi legit et misit egr. Neumayer. Fructif. aestate. ♃.

Obs. Pinnae steriles obtusae, et evidentius crenulatae ac fertiles. Lacinia infima pinnae reliquis quidquam longior: omnes paleolis linearibus raris subtus adspersae.

16. Aspidium lobatum Sw. syn. fil. p. 53.

A. fronde pinnata, pinnis pinnatifidis lanceolatis, pinnulis ellipticis obtusis mucronato-serratis apice aristatis, infima superiore majore, subtus sparse, stipite rachique dense paleaceis, soris biserialibus demum confluentibus, indusio umbilicato.

Icon. Pluken phyt. t. 180. f. 3.
Engl. bot. t. 1563.

Syn. Polypodium lobatum Huds. angl. p. 459.
Aspidium aculeatum β. Bertol. amoen. ital. p. 427.

Hab. in umbrosis sylvaticis montis Biokovo. Fructif. aestate. ♃.

Obs. Affine A. aculeato, a quo discrepat pinnulis nec falcatis nec acutis, longe aristatis et basi auriculatis. Forsan idem cum A. angulari Kit. W. sp. pl. V. p. 257, quo tantum differt auricula seu pinnula infima superiore magis elongata et altius serrata.

17. Aspidium rigidum Sw. syn. fil. p. 53. Host fl. austr. 2. p. 676.

A. fronde pinnata bipinnataque, pinnulis cordato-lanceolatis pinnatifidis, laciniis obtusis serratis, dentibus acutis mucronatisve, stipite rachique paleaceis, indusio umbilicato.

Icon. Segu. veron. suppl. tab. 1. f. 1.

Syn. Polypodium rigidum Hoffm. germ. II. p. 6.

Illyr. Paprat.

Hab. in umbrosis rupium fissuris in montibus Vellebith, Svilaja, Biokovo frequens, et circa Clissa. Fructif. aestate. ♃.

Obs. Variat pinnulis basi pinnatifidis, et laciniis apice laceris, erosisve.

18. Aspidium Filix mas Sw. Syn. fil. p. 55. Host fl. austr. 2. p. 675. Alsch. fl. jadr. p. 236.

A. fronde pinnata, pinnis profunde pinnatifidis lanceolatis acuminatis, pinnulis oblongis obtusis serratis muticis subtus laevibus, stipite rachique paleaceis, soris biserialibus, indusio umbilicato.

Icon. Matth. disc. ed. Valgr. p. 1352.
Blackw. herb. 2. t. 323.
Bull. herb. fr. tab. 183.
Engl. bot. t. 1458.

Syn. Polypodium Filix mas L. sp. pl. 2. p. 1551.

Illyr. Paprat.

Hab. in umbrosis Vellebith et Biokovo. Fructif. aestate. ♃.

Usus. Radix plantae valde utilis contra taeniam atque lumbricos, forma pulveris aut tincturae aethereae porrecta. Dosis pulveris a drachma dimidia ad tres, tincturae guttarum triginta et amplius.

19. Aspidium fragile Sw. syn. fil. p. 58. Host fl. austr. 2. p. 676. Alsch. fl. jadr. p. 236.

A. fronde bipinnata, pinnis ovatis oblongisve pinnatifidis, laciniis obtusis denticulatis, soris sparsis, indusio laterali, rachi lata, stipite nudo.

Icon. Pluk. phyt. t. 180. f. 5.
Engl. bot. t. 1587.

Syn. Polypodium fragile L. sp. pl. 2. p. 1553.
Cyathea fragilis Sm. fl. brit. 3. p. 1139.

Var. β. Pontederae: pinnis ellipticis obtuse dentatis.

Icon. Segu. veron. suppl. tab. 1. f. 2.

Syn. Filicula alpina foliolis rotundioribus et crenatis Ponted. comp. p. 19. Segu. loc. cit. p. 54.

Hab. species cum varietate in umbrosis montis Biokovo. Fructif. aestate. ♃.

Obs. Varietas recedit tantum a specie characteribus ab ill. Pontedera indicatis. Hinc Asp. Pontederae W. sp. pl. V. p. 273. pinnis lanceolatis, laciniis quoque lanceolatis et acute serratis, infima superiore longiore distinctum, a planta Pontederae Seguieri et nostra certe diversum. Huc quoque pertinet probabiliter A. fragile Vill. delph. 3. p. 847. tab. 53. quoad iconem.

20. Aspidium alpinum Sw. syn. fil. p. 60. Host fl. austr. p. 677.

A. fronde bipinnata tenera, pinnis oblongis inciso-pinnatifidis, laciniis lineari-cuneatis obtusis subbidentatis, soris solitariis, indusio laterali, stipite rachique nudis.

Icon. Segu. veron. suppl. tab. 1. f. 3.
Jacq. icon. rar. 3. tab. 642.

Syn. Polypodium alpinum Jacq. Collect. 2. p. 171.

Hab. in rupium fissuris ad montium vertices Vellebith et Dinara. Fructif. aestate. ♃.

Obs. Alia species quae secundum exactam comparationem cl. Kunze: ad A. affine Fischer et C. A. Meyer in pl. Hohenackerianis pertinet, prope Catarro lecta est a Friederico Augusto Saxon. Seren. Rege. — Rchb.

VIII. Scolopendrium Sm.

Act. taur. 5. p. 410.

Char. Sori dorsales lineares transversales indusio membranaceo supra sorum longitudinaliter dehiscente utroque latere praediti. — *Cl.* Cryptogamia. *Ord.* Filices Syst. sex.

21. Scolopendrium Officinarum W. sp. pl. 5. p. 348. Host fl. austr. 2. p. 679. Alsch. fl. jadr. p. 235.

S. fronde late lanceolata glabra, basi cordata, stipite paleaceo.

Icon. Blackw. herb. t. 138.
Bull. herb. fr. t. 167.
Sm. engl. bot. t. 1150.

Syn. Asplenium Scolopendrium L. sp. pl. 2. p. 1537.
Scolopendrium vulgare Sm. engl. fl. 4. p. 314.
S. Phyllitis Roth. germ. III. pag. 47.

Illyr. Trava slezena.
Hab. in umbrosis saxosis prope Zara, et Macarsca. ♃.

IX. Asplenium L.

Gen. pl. ed. II. p. 391.

Char. Sori dorsales lineares aut oblongi transversales, indusiis membranaceis lateralibus costam versus dehiscentibus tecti. — *Cl.* Cryptogamia. *Ord.* Filices syst. sex.

22. Asplenium Trichomanes L. sp. pl. 2. p. 1540. Vis. stirp. dalm. spec. p. 27. Host fl. aust 2. p. 677. Alsch fl. jadr. p. 235. Pett. bot. Wegw. n. 129.

A. fronde oblongo-lineari pinnata, pinnis subrotundo-oblongis crenatis basi truncato-cuneatis integris stipite rachique tereti nitidis fuscis.

Icon. Engl. bot. t. 576.
Fl. dan. tab. 119.
Bull. herb. fr. t. 185.

Illyr. Kameni paprat. Papratka mala.

Hab. ad muros vetustos, rupium fissuras. Fructif. aestat. ♃.

23. Asplenium viride Huds. fl. angl. p. 385. Host fl. austr. 2. p. 677.

A. fronde oblongo-lineari pinnata, pinnis oblique subrotundis inciso-crenatis, basi cuneatis integris, stipite basi fusco, rachi compressa viridi.

Icon. Fl. dan. t. 1289.

Hab. ad rupes montis Biokovo. Fructif. aestate. ♃.

Legit, et communicavit solertissimus dalmaticae florae indagator Jos. Kargl.

Obs. In icone citata pinnulae nimis acutae.

24. Asplenium germanicum Weiss crypt. p. 299.

A. fronde triangulari basi bipinnata, pinnulis lanceolato-cuneiformibus apice inaequaliter profunde dentatis, stipite, rachique viridibus.

Icon. Breyn. cent. 189. t. 97.
Moris hist. s. 14. tab. 5. f. 25.

Syn. Asplenium alternifolium Sm. fl. brit. 3. p. 1130.
A. Breynii Retz obs. l. p. 32.
Scolopendrium alternifolium Roth. fl. germ. III. p. 53.

Hab. in rupestribus Pakleniza ad montem Vellebith, ubi legit, et communicavit egr. plantarum jadrensium investigator prof. A. Alschinger. Fructif. aestate. ♃.

Obs. Icon Wulfeni in Jacq. misc. 2. p. 51. tab. 5. f. 2. exhibet formam macram simplicissimam hujusce plantae. Nostra convenit cum descriptione cl. Swartzii syn. fil. p. 85. et cum icone Breynii et Morisoni. Affine potius A. Ruta muraria, quam A. Trichomanes. Differt a primo praecipue forma, et longitudine pinnularum.

25. Asplenium Ruta muraria L. sp. pl. 2. p. 1541. Vis. stirp. dalm. spec. p. 27. Host fl. austr. 2. p. 678. Alsch. fl. jadr. p. 236.

A. fronde ovato-oblonga basi bipinnata, pinnis alternis pinnulis rhombeo-oblongis ovalibusve obtusis apice denticulatis, stipite rachique viridibus.

Icon. Blackw. herb. t. 219.
Bull. herb. fr. t. 195.
Camer Epit. p. 785.

Syn. Scolopendrium Ruta Muraria Roth. germ. III. p. 52.

Hab. ad muros et rupes totius Dalmatiae. Fructif. aestat. ♃.

26. Asplenium Adiantum nigrum L. sp. pl. 2. p. 1541. Host fl. austr. 2. p. 678. Alsch. fl. jadr. pag. 236.

A. fronde triangulari-lanceolata bipinnata, pinnis oblongis inciso-pinnatifidis, laciniis apice acute dentatis, stipite inferne atropurpureo nitido.

Icon. Blackw. herb. t. 220.
Engl. bot. t. 1950.
Matth. disc. ed Valgr. p. 1357.

var. *β.* acutum: pinnulis angustioribus, pinnis longissime acuminatis.

Icon. Pollin. fl. ver. 3. tab. II. f. 2.

Syn. Asplenium acutum Bory — W. sp. pl. V. p. 347.
A. Adianthum nigrum *γ.* Poll. loc. cit. p. 288.

Hab. in umbrosis sylvaticis rupestribus tum continentis, tum insularum promiscue cum varietate. Fructif. aestate. ♃.

27. Asplenium fissum Kit. W. Sp. pl. V. p. 348.

A. fronde ovato-oblonga triplicato-pinnata, pinnulis cuneiformibus tripartitis, apice bifidis obtuse incisis, soris in pinnula solitariis binisve.

Syn. Asplenium tenuifolium Gusson. herb. non Don.

Hab. in umbrosis rupium fissuris montis Vellebith. Fructif. aestate. ♃.

Obs. Conf. exactissimam Willdenowii descriptionem loco citato.

X. Pteris L.

Gen. pl. ed. II. p. 391.

Char. Sori marginales lineares continui, indusio e margine frondis reflexo interius dehiscente tecti. — *Cl.* Cryptogamia. *Ord.* Filices syst. sex. —

28. Pteris aquilina L. sp. pl. 2. p. 1533. Host fl. austr. 2. p. 680. Alsch. fl. jadr. p. 235.

P. frondis tripartitae ramis bipinnatis, pinnis subsessilibus lineari-lanceolatis integerrimis, inferioribus pinnatifidis, laciniis oblongis obtusis.

Icon. Engl. bot. t. 1679.
Bull. herb. fr. t. 191.
Matth. disc. ed Valgr. p. 1353.

Illyr. Paprat dubuja.

Hab. frequens in locis argillosis, sterilibus, siccis, praecipue in Dalmatia montana.

XI. Adiantum L.

Gen. pl. ed. II. p. 391.

Char. Sori marginales oblongi aut subrotundi, indusiis membranaceis e margine

frondis, intusque dehiscentibus inserti. — *Cl.* Cryptogamia. *Ord.* Filices syst. sex. —

29. Adiantum Capillus Veneris L. sp. pl. 2. p. 1558. Vis. stirp. dalm. spec. p. 23. Host fl. austr. 2. p. 680.

A. fronde bipinnata, pinnis obovato-cuneatis lobatis, incisisve, laciniis fertilium soro oblongo transverso terminatis, sterilibus denticulatis serratisve, stipite rachique laevissima nitida.

Icon. Bull. herb. t. 247.
Engl. bot. t. 1564.
Jacq. Miscell. 2. tab. 7.
Camer. Epit. 924.

Syn. A. Capillus Sw. Spr. Syst. veg. IV. part. 1. p. 113. Alsch. fl. jadr. p. 236.

Illyr. Paprat mali. Paprat voddeni. Papricza voddena. Ottoka mala.

Hab. ad puteos circa Zara, ad rupes humidas et aquarum stillicidia in Kerka supra Scardona. Fructif. aestate. ♃.

Usus. Ex hujusce plantulae frondibus paratur tum infusum, tum syrupus, quae remediis exspectorantibus accensentur.

Obs. **Habui ex insula Pago formam hujus filicis singularem, elongatam, cubitalem, pinnis pallidioribus, basi longe cuneatis, apice profunde divisis, laciniis late linearibus apice laceris.**

XII. Cheilanthes Sw.

Syn. fil. p. 5.

Char. Sori marginales punctiformes, indusio e margine frondis reflexo squamiformi interius dehiscente tecti. — *Cl.* Cryptogamia. *Ord.* Filices Syst. sex.

30. Cheilanthes odora Sw. syn. fil. p. 127. et 327. Host fl. austr. 2. p. 681.

Ch. fronde ovato-oblonga bipinnata glabra, pinnulis oblongis obtusis crenato-pinnatifidis, laciniis rotundatis subintegerrimis, indusiis subfimbriatis, stipite, rachique strigosis.

Icon. Vivian. fl. ital. fragm. tab. XI. f. 2. 3. 4.

Syn. Polypodium fragrans L. mant. p. 307. non Sp. pl. 2. p. 1550.
Adianthum fragrans Vis. loc. cit. p. 9.
A. odorum DC. fl. fr. V. p. 237.
Pteris acrosticha Balb. add. ad. fl. ped. p. 98.

Hab. ad muros, et in fissuris saxorum insulae Giuppana, aliarumque ditionis Ragusinae, ubi legit egr. Neumayer.

31. Cheilanthes fimbriata *

Ch. fronde ovato-oblonga tripinnata supra glabra, pinnulis ovato-subrotundis integris repandisve, indusiis longissime fimbriatis, fimbriis pinnulas subtus obtegentibus, stipite rachique strigosis.

Hab. in murorum fissuris insulae Giuppana, ubi legit egr. Neumayer praecedenti commixtam. ♃.

Descr. Caudex horizontalis fibris radicalibus elongatis nigrescentibus undique tectus. Stipites rachidesque teretes nitidi strigis paleaceis rubro fuscis conspersi. Frondes ovato-oblongae tripinnatae, pinnulis minutis ovato-subrotundis obtusissimis subrepandis supra glabris, subtus margine squamiformi circum reflexo in indusium longissime fimbriatum producto, fimbriis piliformibus inferiorem pinnulae paginam omnino tegentibus, soris subrotundis sub margine positis. Praecedenti quodammodo similis differt frondibus tripinnatis et praecipue singulari indusiorum forma pubem longam, et copiosissimam simulante.

Tribus II. OPHIOGLOSSEAE Hook.

XIII Ophioglossum L.

Gen. pl. ed II. p. 391.

Char. Sporangia capsularia transverse dehiscentia, connata, in spicam simplicem disticham disposita. — *Cl.* Cryptogamia. *Ord.* Filices syst. sex.

32. Ophioglossum vulgatum L. sp. pl. 2. p. 1518. Host fl. austr. 2. p. 683.

A. fronde ovato-oblonga obtusa arcte reticulata, spica caulina.

Icon. Blackw. herb. t. 416.
Fl. dan. tab. 147.
Engl. bot. t. 108.

Hab. in monte d'Ossero, ubi legit, et communicavit cl. Doct. Biasoletto. Fruct. aestate. ♃.

XIV. Botrychium Sw.

Syn. fil. p. 8.

Char. Sporangia capsularia sublateraliter dehiscentia, globosa, distincta, in spicam compositam digesta. — *Cl.* Cryptogamia. *Ord.* Filices system. sex.

33. Botrychium Lunaria Sw. loc. cit. p. 171. Host fl. austr. 2. p. 682.

B. scapo superne unifrondoso, fronde pinnata, pinnis rotundato-flabelliformibus integerrimis crenulatisve.

Icon. Fl. dan. tab. 18. f. 1.
Blackw. herb. 2. tab. 420.
Engl. bot. t. 138.
Camer. epit. p. 643.

Syn. Osmunda Lunaria L. sp. pl. 2. p. 1519.

Illyr. Misseaeina.

Hab. in pascuis subalpinis montis Biokovo, ubi legit et communicavit cl. Biasoletto. Fructif. aestate. ♃.

Classis II. PHANEROGAMAE MONOCOTYLEDONES.

Ordo V. GRAMINA.

L. Ord. nat. XXIV.

Flores glumacei hermaphroditi, unisexuales aut polygami, singuli bracteolis binis difformibus (glumella) inclusi, nunc solitarii et bracteis binis (gluma bivalvi) involucratis, nunc in spiculas (locustae) bi-multifloras bracteis binis aut unica (gluma bivalvi aut univalvi) involucratas dispositi. Perianthii loco squamulae (paleolae) hypogynae binae, raro ternae vel nullae. Stamina hypogyna ut plurimum tria, raro 1 — 2, filamentis capillaribus, antheris incumbentibus connectivo destitutis. Styli duo liberi vel basi connati, raro tres aut unicus, stigmatibus totidem piliferis, ovario libero uniovulato. Caryopsis pro fructu. Semen pericarpio tenui corticatum, albumine farinaceo, embryone extra albumen posito (excentrico), ipsique vitelli ope adhaerente.

Herbae annuae aut perennes, vel etiam suffrutices, culmo simplici vel rarius alterne ramoso, foliis alternis simplicissimis basi vaginantibus, vagina ad faucem membranula aut pilorum serie (ligula) coronata. Spiculae in spicam aut paniculam digestae.

Clavis analytica generum

1. Floribus hermaphroditis Vid. Num. . 2 Floribus sexu distinctis Vid. Num. . 33
2. Floribus triandris . . . . . 3 Floribus monandris
Psilurus LIII.
3. Spiculis unifloris . . . . 4 Spiculis bi-multifloris 17
4. Spiculis spicatis . . . . . . 5 Spiculis paniculatis 12
5. Spicis solitariis . . . . . . 6 Spicis digitatis
Digitaria XXV.
6. Spicis compositis thyrsoideis . . 7 Spicis subulatis
Rottboellia LII.
7. Glumae valvis subovatis . . . 8 Glumae valvis setaceis
Lagurus XXIII.
8. Glumis muticis . . . . 9 Glumis cuspidatis
Phleum XXXIV.
9. Glumis planis . . . . 10 Glumis alato-carinatis
Phalaris XXXIII.

10. Glumellis basi nudis	11	Glumellis basi lanatis	
		Psamma XLV.	
11. Glumellis aristatis		Glumellis muticis	
Alopecurus XXXV.		**Crypsis XXXVI.**	
12. Glumis pilosis	13	Glumis glabris	14
13. Glumella bivalvi		Glumella trivalvi	
Polypogon XXIV.		**Saccharum XXII.**	
14. Glumis compressis	15	Glumis ventricosis	
		Milium XXIX.	
15. Glumellis basi longe pilosis	16	Glumellis basi pubescentibus	
		Agrostis XXVIII.	
16. Aristis glumella multo longioribus		Aristis glumellam vix excedentibus	
Stipa XXX.		**Calamagrostis XXVII.**	
17. Spiculis spicatis	18	Spiculis paniculatis	22
18. Spiculis omnibus nudis	19	Spiculis involucratis	21
19. Gluma bivalvi	20	Gluma univalvi	
		Lolium LIV.	
20. Valvis linearibus acuminato-aristatis		Valvis lanceolatis muticis vel abrupte aristatis	
Secale LVII.		**Triticum LVI.**	
21. Omnibus involucro pinnato		Infimis bractea ovata	
Cynosurus XLIX.		**Sesleria L.**	
22. Spiculis subbifloris	23	Spiculis multifloris	26
23. Spiculis oblongis	24	Spiculis orbiculatis	
		Beckmannia LI.	
24. Spiculis ovatis	25	Spiculis lanceolatis	
		Avena XXXIX.	
25. Floribus omnibus fertilibus		Flore terminali sterili	
Aira XXXVIII.		**Melica XXXVII.**	
26. Glumellis aristatis acuminatisve	27	Glumellis muticis	30
27. Panicula coarctata	28	Panicula laxa	29
28. Panicula aequali		Panicula secunda	
Koeleria XL.		**Dactylis XLIII.**	
29. Glumellis apice aristatis acuminatisve		Glumellis sub apice aristatis	
Festuca XLII.		**Bromus XLI.**	
30. Glumellis subovatis	31	Glumellis oblongis	32
31. Spiculis ovatis oblongisve		Spiculis latis subcordatis	
Poa XLVI.		**Briza XLVIII.**	

32. Glumella glabra		Glumella basi lanata	
Glyceria XLVII.		**Arundo XLIV.**	
33 Floribus monoicis	34	Floribus polygamis	35
34. Floribus masculis paniculatis		Floribus omnibus spicatis	
Zea XV.		**Heteropogon XXI.**	
35. Flosculo hermaphrodito triandro	36	Flosculo hermaphrodito diandro	
		Anthoxanthum XVI.	
36. Spiculis involucratis	37	Spiculis nudis	38
37. Glumella mutica		Glumella aristata	
Setaria XXXII.		**Hordeum LVIII.**	
38. Glumis inermibus	39	Glumis extus echinatis	
		Lappago XXVI.	
39. Spiculis uni-bifloris	40	Spiculis tri-quadrifloris	
		Aegilops LIV.	
40. Glumellis quibusdam aristatis .	41	Glumellis omnibus muticis	
		Panicum XXXI.	
41. Glumella maris aristata . .	42	Glumella maris mutica	43
42. Spiculis geminatis unifloris		Spiculis sparsis bifloris	
Pollinia XIX.		**Holcus XVII.**	
43. Spiculis spicato-digitatis		Spiculis paniculatis	
Andropogon XX.		**Sorghum XVIII.**	

XV. Zea L.

Gen. pl. ed. II. p. 341.

Char. Flores monoici: masculi racemoso-paniculati, spiculis bifloris, glumis glumellisque bivalvibus; foeminei spicati sessiles confertim axi spadiciformi bracteis vaginato impositi, spiculis unifloris, glumis glumellisque bivalvibus, stylo longissimo filiformi pendulo, stigmate simplicissimo. Caryopsis subrotunda foveae axis adhaerens. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Triandria Syst. sex.

34. Zea Mays L. sp. pl. p. 1133. Vis. stirp. dalm. spec. p. 51. Reichb. fl. germ. exc. p. 54. Alsch. fl. jadr. p. 17.

Z. foliis integerrimis, margine scabris.

Icon. Matth. disc. ed. Valgr. p. 417.
Fuchs. hist. pl. p. 825.
Blackw. herb. 2. tab. 547.
Lam. Enc. bot. Pl. 749.

Illyr. Kukuruz. Golokud.

Var. β. praecox: minor.

Illyr. Berzohod. Berzohodaz.

Hab. in America meridionali, colitur vero ad oeconomicos usus ubique in Dalma-

tia, praesertim montana. Flor. Julio Augusto. Caryopsides, vulgo semina, occurrunt albae, luteae, rubrae et ex his coloribus variae. ⊙.

Usus. **Caryopsides hujusce graminis in farinam molitae et ex aqua coctae nutriens alimentum praebent. Folia libenter absumuntur a ruminantibus.**

XVI. Anthoxanthum L.

Gen. pl. ed. II. p. 14.

Char. Flores polygami paniculato-spicati. Gluma bivalvis triflora, flosculis lateralibus neutris univalvibus, inferiore ad basim, superiore sub apice aristato, medio hermaphrodito diandro, bivalvi, mutico. Stigmata plumosa. — *Cl.* Diandria. *Ord.* Digynia Syst. sex.

35. Anthoxanthum odoratum L. sp. pl. p. 40. Vis. stirp. dalm. p. 25. Host fl. austr. I. p. 65. Reichb. fl. germ. exc. p. 53. Alsch. fl. jadr. p. 8. Pett. bot. Wegw. n. 74.

A. panicula oblonga spiciformi, flosculis subsessilibus arista longioribus, glumellis exterioribus carina ciliatis, vaginis ore barbatis foliisque glabris.

Icon. Host Ic. gram. austr. 1. tab. 5.
Lam. Enc. bot. Pl. 647.
Reichb. Ic. pl. rar. XI. Agrostogr. germ. tab. 106. f. 1722—23.
Engl. bot. t. 647.

Hab. in herbidis, collinis, dumosis totius Dalmatiae copiosa. Floret Aprili Majo. Spica flavescens apice attenuata. ⊙. ♂.

Obs. **Differt ab affini A. gracili Bivon. stirp. sic. manip. I. p. 3. panicula longiore, glumellis ciliatis, aristis glumella brevioribus, foliis glabris dum illud paniculam gerit fere ovatam, glumellas glabras, aristas praesertim florum inferiorum eosdem aequantes, folia undique pilosa.**

XVII. Holcus Beauv.

Agrost. tab. XVII. f. 10.

Char. Flores glumacei polygami paniculati. Spiculae biflorae. Gluma et Glumella bivalvis: haec in flosculo hermaphrodito mutica aut apice breviter aristata, in masculo dorso aristata. Paleolae lanceolatae. Stigmata villosa. Caryopsis oblonga libera. — *Cl.* Polygamia. *Ord.* Monoecia Syst. sex.

36. Holcus avenaceus Scop. fl. carn. 2. p. 276. Host fl. austr. I. p. 121.

H. glaber, flosculo inferiore masculo arista basilari geniculata refracta, superiore hermaphrodito apice brevissime recteque aristato, glumae valvis inaequalibus scariosis.

Syn. Avena elatior L. sp. pl. p. 117.
Arrhenatherum avenaceum Beauv. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 53.

Icon. Host Icon. gr. austr. vol. 2. t. 49.
Reichb. Ic. pl. rar. XI. Agrostogr. germ. tab. 104. f. 1715.
Engl. bot. t. 813.
Leers fl. herborn. t. X. f. 4.

Var. β. nodosus: culmi geniculis villosis, radice tuberosa.

Syn. Avena bulbosa Wild. in nov. act. Soc. berol. 2. p. 116.
Holcus bulbosus Host fl. austr. 1. p. 121.

Icon. Host Ic. gr. austr. vol. 4. t. 30.
Reichb. Ic. pl. rar. XI. Agrostogr. germ. tab. 104. f. 1717.
Scheuchz agrost. t. 4. f. 27. 28.
J. Bauh. Prodr. p. 3. f. exter.

Hab. Species passim cum varietate in pratis agri Petrovopalje dicti prope Dernis, circa Castell' Andreis prope Sebenico, et in agro Spalatensi. Spicula scariosa albida. Floret Julio, Augusto. ♃.

37. Holcus lanatus L. sp. pl. p. 1485. Vis. stirp. dalm. p. 37. Host fl. austr. I. p. 121. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 53. Alsch. fl. jadr. p. 20. Pett. bot. Wegw. n. 482.

H. molliter pubescens, flosculo inferiore hermaphrodito mutico, superiore masculo sub apice arista iucurva gluma inclusa munito, glumae valvis inaequalibus membranaceis, ligula truncata brevi, radice fibrosa.

Icon. Host Ic. gr. austr. vol. I. t. 2.
Engl. bot. t. 1169.
Reichb. Ic. pl. rar. XI. Agrostogr. germ. tab. 105. f. 1718.
Fl. dan. t. 1181.
Leers fl. herborn. t. VII. f. 6.

Hab. in pratis udis et ad fossas circa Zara, Verlika, Knin, et Dugopolje prope Clissa. Spiculae albidae saepe purpurascentes, demum cinereae. Floret a Majo ad Augustum. ♃.

Obs. Affinis H. molli, qui discrepat radice repente, foliis demum glabriusculis, ligula ovata elongata, glumis (calycinis) subaequalibus, arista glumam superante.

XVIII. Sorghum Pers.

Syn. pl. 1. p. 101.

Char. Flores glumacei polygami paniculati. Spiculae uni-biflorae. Gluma bivalvis coriacea clausa. Glumella in flosculo hermaphrodito sessili bivalvis valva exteriore aristata, in neutro mutica univalvis, in masculo pedicellato bivalvis mutica. Paleolae emarginatae. Stigmata aspergilliformia. — *Cl.* Polygamia. *Ord.* Monoecia Syst. sex.

38. Sorghum vulgare Pers. syn. pl. 1. p. 101. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 34. Alsch. fl. jadr. p. 20.

S. panicula coarctata oblonga, gluma valvis obovatis nitidis pilosiusculis apice pubescentibus, fructibus seminibus compressis, foliis lineari-lanceolatis.

Syn. Holcus Sorghum L. sp. p. 1. p. 1484. Vis. stirp. dalm. p. 37.

Icon. Host Ic. gr. austr. vol. 4. t. 2.
Arduin. Sagg. accad. padov. 1. t. 4. f. 1.
Lam. Encl. botan. Pl. 838. f. 1.

Illyr. Sirak. Kittass.

Hab. in India Orientali, colitur in tota Dalmatia praesertim montana. Floret Junio, Augusto. Spiculae rubrae. ⊙.

39. Sorghum saccharatum Pers. syn. pl. 1. p. 101.

S. paniculae effusae ramis patentissimis, glumae valvis oblongis villosis acutis, fructibus compressis, foliis lato-lanceolatis.

Syn. Holcus saccharatus Arduin. sagg. 1. c. L. sp. pl. p. 1484.

Icon. Arduin. loc. cit. t. 4. f. 2.
Host Ic. gr. austr. vol. 4. f. 4.

Illyr. Metlas.

Hab. eodem loco ac praecedens, cum quo promiscue colitur in Dalmatia. Spiculae flavescentes. ⊙.

Usus. Semina (Caryopsides) utriusque speciei avide vorantur a suibus ac volatilibus; culmi et paniculae seminibus excussis scopis conficiendis inserviunt. Ex hac postrema specie elicitur etiam saccharum, sed quantitate non ita magna.

40. Sorghum cernuum W. Enum 2. p. 1036. Host Ic. gr. austr. IV. p. 2. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 34.

S. panicula coarctata ovata pendula, glumae valvis ovatis villosis, fructibus globosis (albis), foliis lanceolatis.

Syn. Holcus cernuus W. sp. pl. IV. p. 930.

Icon. Host Ic. gr. austr. IV. t. 4.
Arduin loc. cit. tab. 3.

Illyr. Sirak bili.

Hab. Colitur, sed rarius ac praecedentia, in Dalmatia montana saepe inter Zeam Maydem obvium. Floret aestate. Panicula albida. ⊙.

41. Sorghum halepense Pers. Syn. pl. 1. p. 101. Host fl. austr. 1. p. 71. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 34. Alsch. fl. jadr. p. 20.

S. paniculae patentis ramis scabris, glumae valvis lanceolatis acutis sericeis nitidis, foliis lanceolatis margine scabris, radice repente.

Syn. Holcus halepensis L. sp. pl. p. 1485. Vis. stirp. dalm. p. 37. Pett. bot. Wegw. n. 481.

Icon. Host Ic. gr. austr. vol. 1. t. 1.
Sibth. fl. graec. Cent. I. t. 68.
Reichb. Ic. pl. rar. XI. Agrostogr. germ. tab. 54. f. 1503.
Scheuchz. Agrost. t. XI. f. 12.

Hab. in herbidis, pratis, locis apricis totius Dalmatiae frequens. Floret Majo, Junio. Spiculae rubentes. ♃.

XIX. Pollinia Spr.

Pl. min. cogn. pugil. II. p. 10.

Char. Flores polygami. Spiculae geminatae uniflorae, altera hermaphrodita sessili gluma bivalvi, valva interiore aristata, glumella bivalvi coriacea, valva interiore aristata; altera mascula pedicellata gluma univalvi glumella bivalvi valva exteriore aristata. — *Cl.* Polygamia. *Ord.* Monoecia Syst. sex.

42. Pollinia Gryllus Spr. loc. cit. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 34. Alsch. fl. jadr. p. 20.

P. stylo unico, panicula effusa patente, ramis verticillatis simplicibus trifloris, pedicellis barbatis, foliis vaginisque villosis.

Syn. Andropogon Gryllus L. sp. pl. p. 1480. Host fl. austr. 1. p. 73. Pett. bot. Wegw. n. 63.

Icon. Host Ic. gram. austr. v. 2. tab. 1.
Sibth. fl. gr. Cent. I. tab. 67.
Reichb. Ic. pl. rar. XI. Agrostogr. germ. tab. 54. f. 1592.
Lamarck Enc. bot. Pl. 840. f. 1.
Scheuchz. Agrost. tab. VI. f. 1. (spiculae.)

Hab. in pascuis siccis et locis apricis incultis asperis circa Zara, Sebenico, Dernis, Knin, Sign, Spalato, Ragusa. Floret Majo, Junio. Spiculae livide purpurascentes, pedicellorum barba lateo-fulva. ♃.

43. Pollinia distachys Spr. l. c. p. 12. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 34.

P. stylis binis, spicis geminis, racheos dentibus barbatis, foliis pilosis.

Syn. Andropogon distachyos L. sp. pl. p. 1481. Host fl. austr. 1. p. 74.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 3. tab. 2.
Jacq. Ic. rar. t. 630.
Sibth. fl. gr. Cent. I. tab. 69.
Reichb. Ic. pl. rar. XI. Agrostogr. germ. tab. 54. f. 1501.
Boccon. Pl. sicul. rar. tab. 11. f. 2.

Hab. in herbidis et locis saxosis insularum circa Zara. Spicae virescentes. Floret Julio, Septembri. ♃.

XX. Andropogon Linn.

Gen. pl. ed. IV. p. 540.

Char. Flores monoici vel polygami spicis digitatis, flosculo fertili sessili gluma bivalvi mutica, glumella univalvi apice bifida et aristata, masculo pedicellato mutico gluma bivalvi, glumella univalvi. Stigmata aspergilliformia. — *Cl.* Polygamia. *Ord.* Monoecia Syst. sex.

44. Andropogon Ischaemum L. sp. pl. p. 1483. Host fl. austr. 1. p. 76. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 33. Alsch. fl. jadr. p. 20.

A. spicis linearibus corymbosis pluribus, flosculis hermaphroditis et foemineis alternis, foliorum ligula piliformi, culmo subramoso.

Syn. A. angustifolius Smith Prodr. fl. gr. 1. p. 47. Petter bot. Wegw. n. 62.

Icon. Host Icon. gram. austr. II. t. 3.
Reichb. Ic. pl. rar. XI. Agrostogr. germ. tab. 54. f. 1500.
Jacquin Flor. austr. t. 384.

Hab. in pascuis siccis, locis asperis, et in graminosis totius Dalmatiae. Floret Julio, Septembri. Spicae fuscae vel sordide rubescentes. ♃.

45. Andropogon hirtus L. sp. pl. p. 1482. Host fl. austr. 1. p. 75. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 33.

A. spicis linearibus geminis, pedunculis apice pilis longis distiche barbatis, flosculis masculis et foemineis alternis villosissimis, foliis glaucis late linearibus elongatis, ligula membranacea oblonga, culmo elato ramosissimo.

Icon. Host Icon. gram. austr. IV. t. 1.
Reichb. Ic. pl. rar. XI. Agrostogr. germ. t. LIII. f. 1498.

Hab. in graminosis apricis in insula Lesina, circa Ragusa, nec non circa Zuppa, Perzagno et monte Vermaz prope Cattaro. Floret Julio. Spiculae purpurascentes. ♃.

46. Andropogon pubescens Vis. pl. rar. dalm. p. 3. in Ergänzungsbl. zur bot. Zeit. 1829. I. B. Reichb. fl. germ. exc. I. p. 33—4. Pett. bot. Wegw. n. 63.

A. spicis linearibus geminis, pedunculis apice pubescentibus, flosculis masculis et foemineis alternis hirsutis, foliis glaucis angustissimis brevibus, ligula membranacea oblonga, culmo subramoso.

Icon. nostra tab. I. f. 2.
Reichb. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 53. f. 1499.

Descr. Radix e fibris validis, crassis composita. Culmi caespitosi erecti bipedales teretes glabri, colore paleaceo, geniculis fuscis. Folia glauca angustissima ad oras scabra, caulina basi latiora vaginantia, vaginis compressis ad oras sparse pilosis ibique scariosis, ligula obtusa erosa vel ciliata vel irregulariter fissa. Spicae in apice sericeo-pubescente cujusque pedunculi binae undique hirsutae, flosculis alterne masculis foemineisque. Flores masculi mutici pedicellati, valvis glumae oblongis integris glumellae subaequalibus extus pilosis, valva glumellae unica obtusa lineari angusta utrinque ciliata, staminibus ternis. Flores foeminei sessiles, valva exteriore glumae oblonga pilosa plana integra, opposita angustiore ciliata apice inaequaliter obtuseque bidentata, valva glumellae unica minima obtusa glabra apice bifida et inter lacinias aristata. Aristae bis infractae basim versus ferrugineo-sericeae, superius attenuatae glabrae. Styli bini stigmatibus aspergilliformibus. Icon. nostra sub litt. *a* exhibet racheos frustulum flosculo masculo et foemineo instructum et auctum, *b* flosculum foemineum, *c* masculum, *d* glumellam floris foeminaei cum arista, omnia vitro aucta.

Hab. in apricis saxosis sterilibus, praesertim ad mare, Spalati in monte Marian, Grippi, Stobrez, Salona, loco Dobarcae dicto prope Vrullia inter Almissa et Macarsca, in insula Curzola, et prope Ragusa in Lapad, et Monte Zarovika. Floret Junio, Augusto. Spiculae e viridi purpurascentes. ♃.

Obs. Affinis A. hirto, qui tamen differt pedunculorum apice pilis longis distiche barbato, foliis late linearibus multo longioribus, caule ramosiore elatiore, totoque habitu robustiore, uti cuilibet plantam iconemque nostram cum A. hirto conferenti facile patebit.

XXI. Heteropogon Pers.

Syn. pl. 2. p. 533.

Char. Flores monoici spicati unilaterales, gluma herbacea glumellaque bivalvibus, valva altera glumellae foemineae arista intorta longissima instructa. Paleolae bilobae turgidae. Stigmata aspergilliformia. — *Cl.* Polygamia. *Ord.* Monoecia. Syst. sex.

47. Heteropogon glaber Pers. loc. cit.

H. spica terminali imbricata glabra, foliis carinatis glaucis, culmo compresso subsimplici.

Syn. H. Allionii K. H. B. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 33.
Andropogon contortum Allion. fl. pedem. 2. p. 260. (exclus. synon.)
A. Allionii DeC. fl. fr. 3. p. 97. Willd. Sp. pl. IV. p. 904.

Icon. Allion. fl. pedem. tab. 91. f. 4.
Reichb. Ic. pl. rar. XI. Agrostogr. germ. tab. 53. f. 1496—97.

Hab. in asperis sterilibus maritimis circa Macarsca, et in insula Brazza, loco Stipansko dicto. Floret Septembri. Spicae virides aristis pallide ferrugineis. ♃.

XXII. Saccharum Linn.

Gen. pl. ed. II. p. 22.

Char. Flores hermaphroditi paniculati spiculis geminatis aristatis, gluma bivalvi uniflora coriacea extus lanata, glumella trivalvi membranacea. Paleolae truncatae. Stigmata aspergilliformia. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

48. Saccharum Ravennae Murray syst. veg. p. 88. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 35.

S. panicula ampliata ramosissima, glumis albam lanuginem subaequantibus, foliis margine inferius setosis, ligula laniformi sericea, caule foliisque radicalibus basi hirtis compressis.

Syn. Andropogon Ravennae L. sp. pl. p. 1481. Host fl. austr. 1. p. 73.

Icon. Host Ic. gram. austr. III. t. 1.
Sibth. fl. graec. Cent. I. t. 52.
Reichb. Ic. pl. rar. XI. Agrostogr. germ. tab. 55. f. 1505.
Scheuchz. Agrost. t. 3. f. 7. A. B. (flos).

Hab. in aquosis subsalsis prope Scardona ad ripas fluminis Kerka, et in insulis Cherso et Sansego, ubi copiose. Floret Septembri, Octobri. Panicula sericea spiculis fusco-purpureis. ♃.

49. Saccharum strictum Spr. syst. veg. 1. p. 282. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 34.

S. panicula stricta contracta, glumis lanuginem subfuscam superantibus, foliis glabris, vaginis ore subpilosis, ligula scariosa obtusa fissa ciliata, caule basi glabro.

Syn. Andropogon strictus Host fl. austr. 1. p. 72.

Icon. Host Ic. gram. austr. II. t. 2.
Reichb. Ic. pl. rar. XI. Agrostogr. germ. tab. 55. f. 1506.

Hab. in pratis sylvaticis prope Slivniza ditionis Jadrensis, in paludibus circa Ombla prope Ragusa, in collibus circa Naljessich prope Cattaro. Floret Junio, Augusto. Panicula sordide rubens vel atrorubens. ♃.

XXIII. Lagurus Linn.

Gen. pl. ed. II. p. 24.

Char. Flores hermaphroditi dense thyrsoidei. Spiculae uniflorae cum rudimento alterius flosculi. Loco glumae setae binae pinnato-plumosae. Glumella bivalvis setis minor, valva exteriore apice biaristata, dorso longissime uniaristata, interiore mutica. Paleolae oblongae. Stigmata plumosa. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

50. Lagurus ovatus L. sp. pl. p. 119. Vis. stirp. dalm. p. 39. Host fl. aust. 1. p. 69. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 24. Alsch fl. jadr. p. 19.

Descr. Gramen molle pedale, caule simplici, foliis lanceolato-linearibus basi latioribus, panicula thyrsoidea ovata conferta mollissima radiatim aristata, glumae fabrica in ordine singulari.

Icon. Host Icon. gram. austr. II. f. 46.
Sibth. Fl. gr. 1. t. 90.
Engl. bot. t. 1334.
Reichb. Ic. pl. rar. XI. Agrostogr. germ. tab. 31. f. 1415.
Lam. Enc. bot. pl. 41.

Illyr. Zeçii rep.

Hab. in sterilibus, arenosis Nona, Sebenico, Forte di S. Nicolo, Trau, Ragusa. Panicula alba. Floret Majo, Augusto. ⊙.

XXIV. Polypogon Desf.

fl. atl. 1. p. 66.

Char. Flores in thyrso lobato. Gluma uniflora bivalvis compressa valvis subaequalibus glumella longioribus aristatis. Glumella bivalvis obtusa denticulata, valva exteriore sub apice aristata. Paleolae obovatae. Stigmata plumosa. Caryopsis glumella tecta. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

51. Polypogon maritimum Willd. nov. act. natur. curios. berol. v. 3. p. 443.

P. thyrso oblongo, glumis calycinis hirsutis oblongo-obovatis ciliatis apice scariosis bifidis, arista terminali triplo brevioribus.

Syn. Milium paniceum Host fl. austr. 1. p. 94. (ex parte) exclus. plerisque synonimis.

Icon. Buxbaum. Pl. rar. Centur. V. t. 66. f. 1.

Hab. in palustribus salsis lacus Marinje prope Sebenico et circa Trau. Floret Majo, Junio. Panicula sericea flavo-virens. ⊙.

Obs. Differt ab hoc P. monspeliense Desf. fl. atl. 1. p. 67. glumis vix pubescentibus, margine glabris, infra apicem integrum seu dorso aristatis, nec arista ex apicis bifidi fissura prodeunte, seu terminali. In descriptione Milii panice cl. Host l. c. binae species videntur confusae. Calyx in anthesi compressus, seminis maturitate tantummodo basi ventricosus evadit: hinc minus apte cum Milio planta haec generice conjungenda, a quo insuper recedit calycibus aristatis, corolla denticulata. Haec non semper mutica, ut ait celeberrimus Sprengel in syst. veg. 1. p. 242, sed in spiculis inferioribus plerumque mutica, in superioribus gradatim longius aristata. — Polyp. monspeliensis iconem conf. in Rchb. Agrostographia germ. 1416.

XXV. Digitaria Scop.

Flor. carn. 1. p. 52.

Char. Flores unilaterales in spicas digitatas dispositi. Gluma bi-trivalvis uniflora valvis inaequalibus. Glumella bivalvis oblonga persistens gluma major, valva inferiore superiorem includente. Stigmata apice plumosa. Caryopsis glumella corticata. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia Syst. sex.

52. Digitaria Dactylon Scop. fl. carn. 1. p. 52.

D. spicis quaternis, flosculis solitariis uniserialibus, gluma bivalvi, culmo adscendente stolonifero, radice repente.

Syn. Cynodon Dactylon Pers. syn. pl. 1. p. 85. Vis. stirp. dalm. p. 33. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 22. Pett. bot. Wegw. n. 317.

Digitaria stolonifera Schrad. fl. germ. 1. p. 165. Host fl. austr. 1. p. 93. Alsch. fl. jadr. p. 19.

Icon. Host Ic. gr. austr. vol. 2. t. 18.
Engl. bot. t. 850.
Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XXVI. f. 1404.
Clus. hist. lib. VI. p. CCXVII.
Schrad. fl. germ. 1. t. 3 f. 7. (flores.)

Illyr. Troskot, Troskotçich.

Hab. in pratis siccis, in cultis, ad vias et ruderata in tota Dalmatia. Floret Julio, Augusto. Spicae purpurascentes. ♃.

Usus. Radix hujusce graminis longe lateque repens pro illa Graminis officinarum vulgo adhibetur, vimque habere diureticam et depurativam putatur ex aqua decocta et in morbis vesicae, in oedemate, in ascite, et in obstructionibus viscerum abdominalium copiose propinata.

53. Digitaria sanguinalis Scop. fl. carn. 1. p. 52. Vis. stirp. dalm. p. 33. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 23.

D. spicis subquaternis, flosculis oblongis alterne subgeminis biserialibus margine glabris, gluma trivalvi, foliorum vaginis punctato-pilosis.

Syn. Panicum sanguinale L. sp. pl. p. 84. Host fl. austr. 1. p. 92.

Icon. Host Ic. gr. austr. vol. 2. t. 17.
Leers fl. herborn. t. II. f. 6.
Reichb. Ic. pl. rar. XI. Agrostogr. germ. tab. XXVII. f. 1407.
Scheuchz. Agrost. p. 101. t. 2. f. 2.

Hab. in cultis, arvis, locisque pinguioribus circa Sebenico, Trau, Spalato, Cattaro. Floret ab aestate in autumnum. Spiculae purpurascentes. ⊙.

54. Digitaria ciliaris Pers. syn. pl. 1. p. 85. Reichb. fl. germ. 1. p. 23.

D. spicis suboctonis, flosculis ovato-lanceolatis alterne geminis biserialibus margine ciliatis, gluma subtrivalvi, foliorum vaginis punctato-pilosis.

Syn. Panicum ciliare Retz, Willd. sp. pl. 1. p. 344. Host fl. austr. 1. p. 93.
Syntherisma ciliare Schrad. fl. germ. 1. p. 160.

Icon. Host Ic. gr. austr. vol. 4. t. 15.
Schrad. fl. germ. 1. t. 3. f. 7.

Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XXVII. f. 1408.

Hab. in herbidis circa Perzagno prope Cattaro. Spicae viridi-purpurascentes. Floret Augusto, Septembri. ⊙.

Obs. Gluma in hac et praecedente specie quandoque trivalvis, valva infima minima, interdum tamen ex Leersi observatione in fl. herborn p. 14. et Pollinii in fl. veron. 1. p. 75. deest etiam in D. sanguinali, ex Hostii descriptione in fl. austr. p. 93. etiam in D. ciliari. Hinc nota haec nullius pretii habenda est pro D. Dactylo a reliquis generice distinguenda.

XXVI. Lappago Schreb.

Beschreib. der Gräs. p. 45.

Char. Flores spicato-racemosi polygami. Spiculae ternae uniflorae, intermedia neutra, lateralibus hermaphroditis. Gluma bivalvis, valva inferiore minima membranacea laevi, superiore majore coriacea echinata. Glumella bivalvis valva inferiore superiorem obvolvente. Paleolae truncatae. Stigmata apicem versus plumosa. Caryopsis glumella tecta. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia Syst. sex.

55. Lappago racemosa W. sp. pl. 1. p. 484. Host fl. austr. 1. p. 70. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 24. Alsch. fl. jadr. p. 18. Pett. bot. Wegw. n. 529.

L. culmo adscendente, foliis ciliatis, valvis glumae inaequalibus echinatis. Spr. syst. veg. 1. p. 265.

Syn. Cenchrus racemosus L. sp. pl. p. 1487.

Icon. Sibth. fl. gr. Cent. 2. t. 101.
Host Iç. gr. austr. vol. 1. t. 36.
Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XXX. f. 1414.
C. Bauh. prodr. p. 2. f. exter.

Hab. in arenosis, sterilibus, maritimis, ad vias circa Zara, Sebenico, Spalato, Salona, Clissa, Breno, Budua. Racemus purpurascens. Floret aestate. ⊙.

XXVII. Calamagrostis Adans.

Famill. des pl. 2. p. 31.

Char. Flores paniculati. Gluma bivalvis uniflora inaequalis laevis. Glumella aristata bivalvis gluma minor basi pilis longis cincta. Paleolae lanceolatae. Stigmata plumosa. Caryopsis. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

56. Calamagrostis Epigejos Roth fl. germ. 1. p. 34. Host fl. austr. 1. p. 102. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 27.

C. panicula stricta lobata, glumis compressis acuminatis glumellae pilos subaequantibus, arista dorsali recta valvae glumellae exterioris pilis breviore.

Syn. Arundo Epigejos L. sp. pl. p. 120.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 4. t. 42.
Engl. bot. t. 402.
Schrad. fl. germ. 1. t. 4. f. 1. (flores)

Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XLII. fig. 1453.
Scheuchz. Prodr. p. 21. tab. 5.

Hab. in devexitatibus montium Vellebith et Promina. Spiculae virescentes omnino, vel purpura adspersae. Floret Junio, Julio. ♃.

XXVIII. Agrostis L.

Gen. pl. ed. II. p. 24.

Char. Flores paniculati. Gluma bivalvis compressa uniflora acuta. Glumella unibivalvis calyce minor pilis brevissimis basi stipata, mutica vel dorso aristata. Paleolae oblongae. Stigmata plumosa. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

57. Agrostis canina L. sp. pl. p. 92. Host fl. austr. 1. p. 99. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 25.

A. paniculae laxiflorae ramulis scabris, valvis glumellae valde inaequalibus, altera dorso aristata, foliis inferioribus fasciculatis setaceis, culmeis planis ligula oblonga laciniata.

Icon. Engl. bot. t. 1856.
Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XXXII. f. 1424.
Host. Ic. gr. austr. v. 4. t. 53.
Scheuchz. Agrost. q. 141. t. 3. f. 9.

Hab. in pascuis et ad sepes prope Dernis. Panicula virens. Floret Junio, Julio. ♃.

58. Agrostis stolonifera L. sp. pl. p. 93. Host fl. austr. 1. p. 100. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 25.

A. paniculae laxiflorae verticillis distantibus, ramis capillaribus elongatis apice floriferis, pedicellis flosculos subaequantibus, glumellis muticis, foliis planis ligula exserta elongata.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 4. t. 56.
Leers fl. herborn. t. 4. f. 3. (excl. descr. ligulae.)
Reichb. Ic pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XXXIV. f. 1430.

Hab. in pascuis, pratis, graminosis ubique. Variat etiam absque stolonibus. Ligula foliorum nunc integra nunc bifida vel multifida, in inferioribus brevior. Spiculae ex viridi purpurascentes. Floret a vere in aestatem. ♃.

59. Agrostis frondosa Tenore fl. neapol. tom. II. p. 322.

A. paniculae oblongae contractae laxe florigerae verticillis distantibus, ramis basi nudis, pedicellis flosculos subaequantibus, glumellis muticis, foliis apice involutis rigidis, ligula exserta elongata.

Syn. A. maritima β. subrepens DeC. suppl. fl. fr. ex Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 140. 2. in add.

Icon. Ten. fl. neapol. tab. CII. f. 1.

Hab. in locis udis circa Sebenico. Spiculae nitidae flavo-virentes. Floret aestate. ♃.

Obs. Characteres ex scabritie pedunculorum, ex culmorum directione vel radicatione, ex glumarum corollae et ligulae integritate vel divisione petitos minime constan-

tes esse observationibus evincitur. In A. frondosa nostra, specimine ab ipso cl. auctore humaniter misso adamussim respondente caulis basi decumbens, ligula primum integra demum fissa, folia inferiora plana, superiora apice involuta, panicula pallide virens, glumae acuminatae carina hispidae. Panicula vero non spiciformis ut in A. maritima Lam. Enc. bot. 1. p. 60. quae eadem ac A. arenaria Gou. illust. p. 8. et haec ex utriusque auctoris descriptione differt a nostra paniculae ramis brevissimis alternis et rhachidi adpressis, ita ut spicam confertam simulet Koeleriae phleoidis, dum in A. frondosa rami longiusculi sunt, basi nudi, verticillati, et laxe erectiusculi, ita ut paniculam oblongam laxifloram conficient inter illas A. stoloniferae et A. verticillatae mediam.

60. Agrostis verticillata Vill. prosp. p. 16. (non Lam.) Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 140. in add.

A. paniculae thyrsoideae lobatae compactae verticillis approximatis, ramis abbreviatis undique densifloris, flosculis brevissime pedicellatis pubescentibus, glumellis muticis, foliis omnibus planis, ligula exserta elongata lacera.

Icon. et *Syn.* A. stolonifera. Engl. bot. tab. 1532. (non L.)
Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XXXV. f. 1435.

Hab. in aquosis et pratis udis circa Sebenico, lacum di Castell' Andreis, Spalato, et S. Trinita prope Cattaro. Panicula flavo-virens. Folia glaucescentia, vaginis subventricosis. Floret Majo, Junio. ☉.

XXIX. Milium L.

Gen. pl. ed. II. p 23.

Char. Flores paniculati. Gluma bivalvis acuta uniflora basi ventricosa. Glumella bivalvis gluma brevior basi glabra. Paleolae lanceolatae. Stigmata plumosa. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

61. Milium lendigerum L. sp. pl. p. 91. Host fl. austr. 1. p. 94.

M. panicula nitida cylindrica spicaeformis, glumis lanceolatis subulato-acuminatis, glumellae valva exteriore sub apice truncato aristata.

Syn. Gastridium lendigerum Gaud. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 24.
G. australe Beauv. Alsch. fl. jadr. p. 17.

Icon. Sibth. fl. gr. Cent. 1. t. 65.
Engl. bot. t. 1107.
Host Ic. gr. austr. v. 3. t. 24.
Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab XXXII. f. 1418.

Hab. in pascuis, et locis herbidis apricis circa Zara et Castel nuovo di Cattaro. Panicula flavo-virens. Floret a Majo in Augustum. ○.

62. Milium multiflorum Cavanill. demonstr. bot. p. 36. Host fl. austr. 1. p. 95. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 28. Pett. bot. Wegw. n. 618.

M. panicula pyramidata erecta ramis gracilibus, glumis ovato-lanceolatis acuminatis, glumellae valva exteriore aristata.

Syn. Agrostis miliacea L. sp. pl. p. 91. Vis. stirp. dalm. p. 24. Alsch. fl. jadr. p. 18.
A. oseroensis Seenus Reise nach Istr. und Dalm. p. 50.

Icon. Milium arundinaceum Sibth. fl. gr. 1. t. 66.

Host Ic. gr. austr. v. 3. t. 45.
Engl. bot. t. 1704.
Reichb. Ic. pl. rar. Cent XI. Agrostogr. germ. tab. XLV. f. 1459.
Barrel. Icon. 754.

Hab. in dumetis, locis asperis, ad sepes et muros. Panicula viridis vel purpurascens. Floret Majo, Junio. ♃. vel basi lignosum.

63. Milium effusum L. sp. pl. p. 90. Host fl. austr. 1. p. 96. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 28.

M. panicula effusa, glumis ovatis glumellisque muticis, culmo vaginisque laevibus.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 3. t. 22.
Engl. bot. t. 1106.
Fl. dan. t. 1143.
Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XLV. f. 1456.
Leers fl. herborn. t. 8. f. 7.

Hab. in herbidis montis Mossor contra Spalatum, unde misit Prof. Petter. Panicula pallide virens. Floret Majo. ♃.

XXX. Stipa L.

Gen. pl. ed. IV. p. 37.

Char. Flores paniculati. Spiculae uniflorae. Gluma bivalvis membranacea acuta. Glumella bivalvis gluma minor basi pilosa, valva exteriore ex apice longe aristata. Paleolae oblongae. Caryopsis glumella corticata. *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

64. Stipa pennata L. sp. pl. p. 115. Vis. stirp. dalm. p. 48. Host fl. austr. 1. p. 67. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 28. Alsch. fl. jadr. p. 18. Pett. bot. Wegw. n. 917.

S. aristis longissimis plumosis, foliis rigidis canaliculatis glaucis.

Icon. Host Ic. gr. aust. v. 4. t. 33.
Lam. Enc. bot. Pl. 41. f. 1.
Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XLVI. f. 1463.
Monti Prodr. p. 57. f. 68. (flos.)

Illyr. Kovilje. Erdobroda.

Hab. in collibus, montibus, locis apricis, asperis, siccis totius Dalmatiae vulgaris. Floret Majo, Junio. Panicula flavo virens aristis sericeo-plumosis. ♃.

65. Stipa Calamagrostis Wahlenb. de veg. et cl. Helv. p. 23.

S. aristis gluma duplo longioribus nudis, antherarum loculis apice piloso-penicillatis, glumellae valva exteriore barbata, foliis planis.

Syn. Agrostis Calamagrostis L. sp. pl. p. 92.
Arundo speciosa Schrad. fl. germ. 1. p. 219. Vis. stirp. dalm. p. 27. Pett. bot. Wegw. n. 117.
Calamagrostis montana Host fl. austr. 1. p. 103.
Lasiagrostis Calamagrostis Link, Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 29.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 4. t. 46.

SCHRAD. fl. germ. 1. t. 5. f. 8. (flores.)

REICHB. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XLVI. f. 1464.

Hab. in rupestribus aridis montis Biokovo, nec non collibus prope Imoschi et Cattaro. Floret Junio, Julio. Panicula viridi-argentea. ♃.

Obs. Discrepat speciosum hoc gramen ab Agrostidum genere arista tortili, glumellae valva altera longe barbata; ab Arundine glumis unifloris; a Calamagrostide, cui propius accedit, gluma membranacea hyalina, valva glumellae altera glabra nec utrisque villosis; a Stipa tantum pubescentia apicis antherarum, quam solam pro novo genere statuendo minime sufficere visum est. Calamagrostis speciosa HOST fl. austr. 1. p. 103. quae ex synonimis ibidem adductis huc quoque pertinere videtur, differt ab ipsa corollis pilis adpressis tectis nec pilis patentibus barbatis.

66. Stipa Aristella L. Syst. nat. ed. XII. v. 3. p. 229. HOST fl. austr. 1. p. 68. REICHB. fl. germ. exc. 1. p. 28. ALSCH. fl. jadr. p. 18.

S. aristis gluma vix duplo longioribus nudis, foliis convoluto-filiformibus.

Syn. Calamagrostis gracilis SEEN. Reise nach Istr. und Dalm. p. 73.

Icon. ALLIONI Auctuar. ad fl. pedem. t. 2. f. 4.

HOST Ic. gr. austr. v. 4. tab. 34.

SIBTH. fl. gr. Cent. 1. tab. 87.

REICHB. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XLVI. f. 1461.

Hab. in dumetis insulae Cherso et ad sepes circa Zara et Stretto di Morter. Panicula contracta virescens. Floret Junio, Julio. ♃.

XXXI. Panicum L.

Gen. pl. ed. II. p. 23.

Char. Flores polygami spicati vel paniculati. Spiculae nudae biflorae. Gluma bivalvis, valva exteriore minima; flosculi hermaphroditi glumella bivalvis, neutri vel masculi uni-bivalvis mutica. Paleolae truncatae. Stigmata aspergilliformia. Caryopsis glumella corticata. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

67. Panicum eruciforme SIBTH. fl. gr. Cent. 1. p. 44.

P. spicis alternis sessilibus pilosis secundis, foliis rigidis planis glabriusculis, culmo ramoso infracte geniculato.

Syn. P. cruciforme ROEM. et SCH, syst. veg. gen. 260. sp. no. 7. SPRENG. syst. veg. 1. p. 309.

Echinochloa eruciformis REICHB. fl. germ. exc. 1. p. 140. in add.

Icon. SIBTH. fl. gr Cent. I. t. 59.

REICHB. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XXIX. f. 1413.

Hab. in graminosis Bergato prope Ragusa. Dom. Neumayer. Spicae virides interdum purpurascentes. ♃.

Obs. Rarum hoc gramen, radice gaudet fibrosa vivace, cultum etiam annua ut habet cl. REICHENBACH loco citato, ex qua plures caules oriuntur basi decumbentes, dein adscendentes graciles pilosi, ad genicula infracti ibique alba lanugine ornati, foliis lanceolatis glabriusculis scabris, ligula piliformi praeditis, superius aphylli, apice spicis alternis secundis sessilibus onusti, flosculis distichis pedicellatis unilateralibus, rachique pilosis. Glumae apice ciliatae glumellaeque glabrae valvae

ovatae muticae, flosculi neutri glumella univalvi exigua acutiuscula. Caryopsis nitida oblonga utrinque obtusa, extus convexa flavida, intus concava virescens. Inflorescentia Beckmanniae, sed gracilior pilosa. Tum in Florae graecae Prodromo, tum in ejusdem Centuriis et Iconibus nomen graminis est P. cruciforme ob inflorescentiae similitudinem cum Beckmannia eruciformi, nec P. cruciforme uti legitur apud clarissimos ROEMER et SPRENGEL.

68. Panicum Crus galli L. sp. pl. p. 84. VIS. stirp. dalm. p. 42. HOST fl. austr. 1. p. 90. PETT. bot. Wegw. n. 678.

P. spicis alternis conjugatisque secundis hispidis breviter pedunculatis, flosculis subaristatis, racheos pentagonae dentibus pilosis, foliis utrinque glabris planis, culmo simplici recto.

Syn. Orthopogon Crus galli SPR. syst. veg. 1. p. 307. ALSCH. fl. jadr. p. 21. Echinochloa Crus galli BEAUV. REICHB. fl. germ. exc. 1. p. 23.

Var. α. spiculis submuticis.

Icon. HOST Ic. gr. austr. v. 2. t. 19.
Engl. bot. t. 876.
REICHB. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XXIX. f. 1411.
MATTHIOL. disc. sopra Diosc. 1. p. 431.

Var. β. spiculis longe aristatis.

Icon. LEERS fl. herborn. t. II. f. 3.
REICHB. l. c. tab. XXIX. f. 1412.

Hab. ad fossas, rivulos in arvis humentibus, cultis, fimetis frequens. Panicula viridis. Floret a Junio ad Septembrem. ⊙.

Obs. Differt a genere Orthopogon cl. R. BROWN spiculis polygamo-bifloris nec unifloris. Quoad genus Echinochloae, parvis videtur et minus firmis characteribus a Panico distinctum. Inflorescentia hujusce speciei robustior, ac similis praecedenti.

69. Panicum miliaceum L. sp. pl. p. 86. VIS. stirp. dalm. p. 42. HOST fl. austr. 1. p. 91. REICHB. fl. germ. exc. 1. p. 29. ALSCH. fl. jadr. p. 21.

P. panicula laxa ramosissima glabra, foliis canaliculatis hirsutis, culmo recto subsimplici apice nutante.

Icon. HOST Ic. gr. austr. v. 2. t. 20.
MATTH. disc. sopra Diocs. p. 429.

Illyr. Prosso.

Seritur et spontanum occurrit ad versuras agrorum, in hortis et cultis. Panicula viridis demum flavescens. Floret Julio, Augusto. ○.

Usus. Semen Milii hominibus avibusque alimentum praebet. Hoc, igne calefacto, in sacculos colligato, et loco dolenti applicito, pro fomentis utuntur rustici.

XXXII. Setaria BEAUV.

Agrost. pag. 51.

Char. Flores polygami spicato-paniculati. Involucellum multisetum spiculis binis suppositum. Spiculae biflorae. Gluma bivalvis valva exteriore minima; flosculi hermaphroditi glumella bivalvis mutica. Paleolae truncatae. Stigmata

aspergilliformia. Caryopsis glumella corticata. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia Syst. sex.

70. Setaria verticilata Beauv. Vis. stirp. dalm. p. 47. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 29. Alsch. fl. jadr. p. 21.

S. panicula spiciformi subverticillata laxa, involucellis bisetis retrorsum scabris flosculos vix superantibus.

Syn. Panicum verticillatum L. sp. pl. p. 82. Host fl. austr. I. p. 87.

Icon. Host Ic. gram. austr. v. 2. t. 13.

Lam. Enc. bot. Pl. 43. f. 1.

Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XLVII. f. 1465.

Illyr. Mouhar.

Hab. in cultis et hortis totius Dalmatiae frequens. Panicula viridis lappacea adhaerens. Floret Julio, Septembri. ⊙.

71. Setaria viridis Beauv. Vis. stirp. dalm. p. 47. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 29.

S. panicula spiciformi cylindracea conferta involucellis multisetis antrorsum scabris flosculos duplo superantibus.

Syn. Panicum viride L. sp. pl. 1. p. 83. Host fl. austr. 1. p. 88.

Icon. Host Ic. gram. austr. v. 2. f. 14.

Engl. bot. t. 875.

Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XLVII. f. 1467.

Leers fl. herborn. t. 2. f. 2.

Hab. in cultis, hortis, pomariis. Panicula viridis laeviuscula. Floret Julio, Septembri. ⊙.

72. Setaria glauca Beauv. Vis. stirp. dalm. p. 47. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 29. Alsch. fl. jadr. p. 21.

A. panicula spiciformi compacta cylindrica, involucellis multisetis antrorsum scabris (sordide flavis) flosculos duplo superantibus, glumellis transverse undulato-rugosis, foliis glaucis.

Syn. Panicum glaucum L. sp. pl. 1. p. 83. Host fl. austr. 1. p. 88.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 2. t. 16.

Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XLVII. f. 1466.

Leers fl. herborn. t. 11. f. 2. ✠ (flores.)

Hab. in arvis, pratis, pascuis, et ad fossas in tota Dalmatia. Panicula pallida. Floret Julio, Semtembri. ⊙.

73. Setaria italica Beauv. Vis. stirp. dalm. p. 47. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 29. Alsch. fl. jadr. p. 21.

S. panicula nutante lobata, pedunculis villosis involucellis subbisetis antrorsum scabris flosculos striatos subsuperantibus.

Syn. Panicum italicum L. sp. pl. p. 83. Host fl. austr. 1. p. 89.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 4. t. 14.

Panico Matth. Discors. sopra Diosc. p. 430.

Illyr. Bar.

Colitur ubique in Dalmatia ob semina farinacea quibus domestica volatilia ves-

cuntur, quibusque etiam, premente annonae defectu, rustici pauperiores panem conficiunt. Oritur etiam sponte ad sepes et agrorum margines, tamen Indiae incola. Panicula viridis ex purpurascente saepius variegata. Floret Julio, Septembri. ⊙.

Obs. In hoc et sequente genere a quibusdam botanicis, immortali LINNAEO praeeunte, flosculus sterilis pro tertia habetur glumae valva, hinc gluma dicitur trivalvis et uniflora.

XXXIII. Phalaris L.

Gen. pl. ed. II. p. 22.

Char. Flores composite spicati. Spiculae uniflorae flosculi alterius rudimento squamiformi. Gluma bivalvis compressa glumella longior, valvis alato-carinatis membranaceis subaequalibus. Glumella bivalvis, squamis accessoriis 1 — 2 minimis. Paleolae oblongae. Stigmata breviter plumosa. Caryopsis glumella tecta. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia Syst. sex.

74. Phalaris canariensis L. sp. pl. 1. p. 79. HOST fl. austr. 1. p. 86. REICHB. fl. germ. exc. 1. p. 32. ALSCH. fl. jadr. p. 19.

P. radice fibrosa annua, spica ovata, spiculis obovatis, glumae valvis navicularibus integris, glumellae accessoriis binis, lanceolatis.

Icon. SIBTH. fl. gr. Cent. 1. t. 55.
HOST Ic. gr. austr. v. 2. t. 38.
REICHB. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 52. f. 1492.
Engl. bot. t. 1310.
LEERS fl. herborn. t. 7. f. 3. ✠

Hab. in agris et cultis insulae Uljan contra Zara. Prof. ALSCHINGER. Floret Junio. Spica e viridi flavescens. ⊙.

75. Phalaris aquatica L. sp. pl. 1. p. 79. SIBTH. fl. gr. 1. p. 42. nec alior.

P. radice nodosa perenni, spica cylindrica, spiculis obovatis, glumae valvis navicularibus denticulatis, glumella accessoria unica subulata minima.

Icon. SIBTH. fl. gr. Cent. 1. t. 57.

Hab. in agris et cultis circa Sebenico, nec non circa Breno prope Ragusa. Spica viridi-flavescens. Floret Majo, Junio. ♃.

Obs. Ex observationibus celeberr. DESFONTAINES, et cl. GUSSONE in fl. sic. prodr. 1. p. 69—70. distingintur a Ph. minore RETZ Obs. 3. p. 8. radice perenni nec annua, glumae ala sub apice deficiente, nec in apicem excurrente. Huic postremae quadrat icon. HOST Ic. gr. austr. 2. t. 39. et ideo etiam synonimon ejusdem Ph. aquatica in Fl. austr. 1. p. 86. et REICHENBACH in Fl. germ. exc. 1. p. 32. et Agrostogr. germ. t. LII. ic. 1493. An sufficienter distinctae?

XXXIV. Phleum L.

Gen. pl. ed. II. p. 22.

Char. Flores composite spicati. Gluma uniflora bivalvis compressa, valvis subae-

qualibus cuspidatis glumella longioribus. Glumella bivalvis truncata mutica. Paleolae lanceotatae acutae. Stylus brevissimus stigmatibus superne plumosis. Caryopsis glumella tecta. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia Syst. sex.

76. Phleum tenue Schrad. fl. germ. 1. p. 191. Host fl. austr. 1. p. 83. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 31. Pett. bot. Wegw. n. 691.

P. spica cylindrica basi truncata, flosculis ovatis glabris, glumis mucronulatis scabris, radice annua.

Syn. Phalaris tenuis Host Ic. gr. austr. v. 2. p. 27.
Ph. subulata Savi fl. pisan. 1. p. 57.
Achnodonton tenue Beauv. Vis. stirp. dalm. p. 23.

Icon. Host Ic. gran. austr. v. 2. p. 36.
Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. L. f. 1481.
Barrel. icon. t. 14. f. 1.

Hab. in graminosis, asperis, vineis totius Dalmatiae litoralis et insularis. Spica viridis, culmi apice saepius rubello. Floret Junio, Julio. ⊙.

77. Phleum pratense L. sp. pl. p. 87. Vis. stirp. dalm. p. 43. Host fl. austr. 1. p. 80. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 31.

P. spica cylindrica basi truncata, flosculis oblongis carina ciliatis, glumis mucronato-aristatis truncatis, aristis gluma duplo brevioribus, culmo recto, radice perenni fibrosa.

Icon. Leers fl. herborn. t. III. f. 1.
Engl. bot. t. 1076.
Host Icon. gram. austr. v. 3. t. 9.
Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. L. f. 1483—84.
C. Bauh. Prodr. p. 10. f. exter.

Hab. in pascuis et ad sepes et agrorum limites in Dalmatia montana, praecipue circa Dernis. Spica viridis. Floret Junio, Julio. ♃.

78. Phleum Bertolonii De Cand. Cat. hort. monsp. 1813. p. 32. Roem. et Schult. syst. veg. 2. p. 379.

P. spica cylindrica basi attenuata, flosculis oblongis carina ciliatis, inferioribus abortivis, glumis truncatis brevissime cuspidatis, culmo adscendente, radice perenni nodosa.

Icon. Leers fl. herborn. t. III. f. 2.?

Hab. in pascuis siccis Dalmatiae montanae, praesertim circa Dernis et Sign. Spica viridis, demum straminea. Floret aestate. ♃.

Obs. Radix bulboso-nodosa plures emittit culmos basi decumbentes, dein adscendentes, ad genicula infractos ibique nigricantes. Folia lanceolata sunt obliqua glabra, ligula membranacea obtusa lacera, vaginis compressis, suprema subinflata. Spica a semipollice ad sesquipollicem longa confertissima, flosculis inferioribus imperfecte evolutis, ut in Phalaride paradoxa, glumis sulcatis, pilis sursum longioribus raris dorso ciliatis, utrinque puberulis, truncatis, et carina in cuspidem quadruplo iisdem breviorem productis. Glumella inclusa glabra. Species Phleo nodoso L. sp. pl. 1. p. 88. admodum affinis, et forsan sola aristarum brevitate, et spica basi attenuata distincta. Icon Leersiana etsi sub P. nodoso citata, nostrum optime repraesentat. Huc plantam dalmaticam duxi ipso consentiente C. Bertolonio.

79. Phleum echinatum Host Icon. gram. austr. vol. 3. p. 8. Vis. stirp. dalm. p. 43. et Plant. rar. dalm. p. 3. Host fl. austr. 1. p. 81. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 32. Alsch. fl. jadr. p. 17. Pett. bot. Wegw. n. 690.

P. spica subovata, flosculis oblongis basi carinae ciliatis, calycibus acuminato-aristatis oblique truncatis, aristis calyce sublongioribus scabris patulis, culmo adscendente, radice fibrosa annua.

Syn. P. felinum Smith fl. gr. prodr. 1. p. 42.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 3. t. 11.
Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. L. f. 1486.

Var. β. elongatum: spica subcylindrica.

Hab. frequentissime in asperis, graminosis, apricis totius Dalmatiae. Floret Aprili, Majo. Spica ex viridi et pallescente varia. ⊙.

Obs. Jam in Plantis rarioribus in Dalmatia recens detectis et in supplemento diarii botanici Ratisbonensis anni 1829 editis demonstravi P. felinum Smithii unum idemque esse cum P. echinato Hostii, cujus accurata descriptio legitur in ejusdem cl. Auctoris Flora austriaca vol. 1. p. 81, in qua tantum sequentia emendari merentur. Culmi utplurimum adscendentes; folia nec ad oras aculeata, ut ipse ait, nec serrulata, ut ejus verba interpretatus est celeberr. Sprengel in Syst. veg. 1. p. 241, sed margine tantummodo, nec semper, scabra; folii supremi vagina inflata; aristae florum inferiorum gluma breviores, superiorum longiores, primum erectae dein divergentes, semper angulatae. Differt a P. alpino, pro cujus varietate a quibusdam habetur, et cui var. β. nostri admodum similis, radice annua, nec perenni, glumis basi tantum nec undique ciliatis aristis longioribus et magis divaricatis, nudis nec extrorsum ciliatis, basi latioribus, ideoque sublanceolato-subulatis, monente etiam celeberr. Smithio in Flor. graecae Prodromo vol. 1. p. 42, praeter stationem omnino contrariam.

XXXV. Alopecurus L.

Gen. pl. ed. II. p. 23.

Char. Flores spicati. Gluma bivalvis uniflora compressa glumellae aequalis, valvis subaequalibus apice conniventibus basi connatis. Glumella univalvis utriculiformis infra medium aristata. Paleolae lineares. Styli connati stigmatibus plumosis. Caryopsis glumella tecta. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia Syst. sex.

80. Alopecurus agrestis L. sp. pl. 1. p. 89. Vis. stirp. dalm. p. 24. Host fl. austr. 1. p. 79. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 30. Alsch. fl. jadr. p. 17. Pett. bot. Wegw. n. 38.

A. spica cylindrica, glumae valvis ultra medium connatis acutis glabris, culmo recto.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 3. t. 12.
Fl. dan. t. 228.
Engl. bot. t. 848.
Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XLIX. f. 1473.
Leers fl. herborn. t. II. f. 5.

Hab. inter segetes et ad margines et versuras agrorum in tota Dalmatia vulgaris.

Spica albo-virescens, quandoque flosculis apice extus purpurascentibus. Floret Majo, Julio.

Obs. Spica apud nos semper cylindrica obtusa (ut in A. cretico Trinii et Reichenb. fl. germ. exc. 1. p. 30, qui etsi Dalmatiae incola praedicatus, nullibi usque adhuc mihi obvius adfuit), nec fusiformis, ut de hac specie ait cl. Reichenbach l. c. et Koch. Valvae glumae nunc usque ad medium, nunc etiam ultra connata, styli coaliti, ut in omnibus congeneribus, et glumella obtusa, quae omnia ex accurata Leersii figura colliguntur adesse etiam in planta germanica. Hinc de stirpe nostra nullum dubium.

81. Alopecurus utriculatus Pers. syn. pl. 1. p. 80. Host fl. austr. 1. p. 79. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 30. Alsch. fl. jadr. p. 17. Pett. bot. Wegw. n. 39.

A. spica ovata, glumae valvis extus callosis basi connatis acutis glabris, culmi adscendentis vagina suprema inflata.

Syn. Phalaris utriculata L. sp. pl. p. 80. Host Ic. gr. austr. v. 3. p. 6. Tozzettia pratensis Savi in Act. Soc. ital. v. 8. p. 477.

Icon. Sibth. fl. gr. Cent. I. t. t. 63.
Host Ic. gr. austr. v. 3. t. 7.
Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XLIX. f. 1472.
Monti Prodr. p. 47. f. 46. (spica.)
Scheuchz. Agrost. tab. II. f. 3. B. D. G. H. (flosculus.)

Hab. in pratis et herbidis circa Zara, Sebenico, Dernis, Knin, Radigne, Salona et Narenta. Spica ex albido et viridi varia. Floret Majo, Junio. ☉.

Obs. Singularis glumae fabrica, valvis a medio ad apicem viridibus lanceolatis, medio callo subrotundo albido protuberante gibbosis in basim excurrente.

XXXVI. Crypsis Ait.

H. Kew. 1. p. 48.

Char. Flores spicati vaginati mutici. Gluma bivalvis compressa uniflora valvis inaequalibus. Glumella bivalvis gluma longior inaequalis. Paleolae truncatae. Stigmata undique plumosa. Caryopsis obovata glumella tecta. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia Syst. sex.

82. Crypsis alopecuroides Schrad. fl. germ. 1. p. 167. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 30.

C. spica subclavato-cylindrica e vagina demum exserta, glumis ciliatis, culmo teretiusculo diffuso subsimplici.

Syn. Heleochloa alopecuroides Host Ic. gr. austr. 1. p. 23. et fl. austr. 1. p. 77.

Icon. Host Ic. gr. austr. 1. t. 29.
Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XLVIII. f. 1471.
Barrel. Icon. t. 54.

Hab. in pascuis siccis et ad vias locis hyeme inundatis circa Dernis et Narenta. Spica nigricans. Floret Junio. Septembri. ☉.

83. Crypsis schoenoides Lam. ill. des genr. n. 855. Reichb. fl. germ. exc. p. 30.

C. spica oblonga vaginata, basi inclusa, floribus triandris, glumis ciliatis, culmis ramosis.

Icon. HOST. gram. austr. 1. tab. 30.
REICHB. Icon. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XLVIII. f. 1470.

Syn. Phleum schoenoides L. sp. pl. 1. 88.
Heleochloa schoenoides HOST l. c. p. 23. et Fl. austr. 1. p. 77.
Crypsis aculeata β. W. sp. pl. 1. p. 158.

Hab. in pascuis udis et subsalsis circa Narenta, unde misit Neumayer. Fl. aestate. ⊙.

84. Crypsis aculeata AIT. H. Kew. I. p. 48. REICHB. fl. germ. exc. 1. p. 30.

C. spica hemisphaerica involucrata inclusa, floribus diandris, glumis glabris, culmis ramosis.

Icon. CAVANILL. Icon. pl. I. tab. 52.
HOST gram. austr. 1. tab. 31.
REICHB. Icon. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XLVIII. f. 1469.

Syn. Anthoxanthum aculeatum L. fil. suppl. p. 89.
Schoenus aculeatus L. sp. pl. 1. p. 53.
Phleum schoenoides JACQ. fl. austr. 5. p. 29.
CAV. loc. cit. p. 39. non L.
Heleochloa diandra HOST fl. austr. 1. p. 77.

Hab. in pascuis udis circa Narenta, unde misit Neumayer. Floret Julio, Aug. ⊙.

XXXVII. Melica L.

Gen. pl. ed. II. p. 24.

Char. Flores paniculati secundi. Spiculae subbiflorae cum rudimento terminali flosculi sterilis. Gluma bivalvis laxa membranacea nitida. Glumella bivalvis cartilaginea mutica. Paleolae truncatae. Caryopsis glumella tecta. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia Syst. sex.

85. Melica uniflora RETZ Observ. 1. p. 10. HOST fl. austr. 1. p. 119. REICHB. fl. germ. exc. 1. p. 41. ALSCH. fl. jadr. suppl. p. 245.

M. floribus laxe paniculatis erectis, glumis ovatis bifloris enervibus, flosculo altero imperfecto, glumellis imberbibus.

Icon. HOST Ic. gr. austr. v. 2. t. 11.
Flor. danic. t. 1144.
Engl. bot. t. 1058.
REICHB. Icon. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 72. f. 1576.

Hab. in pratis subalpinis montium Vellebith, et Crivoscie loco Cerquizze dicto prope Cattaro et in umbrosis ins. Lesina. Spiculae purpurascentes. Floret Junio, Julio. ♃.

86. Melica nutans L. sp. pl. 1. p. 98. HOST fl. austr. 1. p. 119. REICHB. fl. germ. exc. p. 41.

M. panicula secunda subsimplici, ramulis abbreviatis, glumis ovatis nutantibus subtrifloris striatis, flosculo tertio imperfecto, glumellis imberbibus.

Icon. Host gram. austr. 2. t. 10.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 82. f. 1577.

Hab. in umbrosis herbidis insulae Lesina, ubi legit cl. Nisiteo. Floret Junio. Spiculae purpurascentes. ♃.

87. Melica ciliata L. sp. pl. p. 97. Vis. stirp. dalm. p. 41. Host fl. austr. 1. p. 120. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 41. Alsch. fl. jadr. p. 20. Pett. bot. Wegw. n. 604.

M. floribus subspicato-paniculatis patulis, glumis lanceolato-acuminatis nervosis subtrifloris, flosculo tertio imperfecto, inferioris valva glumellae exteriore lanata.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 2. t. 12.
Sibth. fl. graec. Cent. I. t. 70.
Reichb. Icon. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 72. f. 1575.
Scheuchz. Agrost. tab. III. f. 16. G. K. (flos.)

Hab. in sterilibus, saxosis, dumosis, apricis totius Dalmatiae. Spica viridi-flavescens. Floret ab aprili in aestatem. ♃.

XXXVIII. Aira L.

Gen. pl. ed. II. p. 25.

Char. Flores paniculati. Spiculae subbiflorae. Gluma bivalvis nitida mutica flosculis omnibus perfectis. Glumella bivalvis, valva exteriore aristata vel mutica. Paleolae lanceolatae. Stigmata undique plumosa. Caryopsis glumella tecta. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia Syst. sex.

88. Aira praecox L. sp. pl. p. 97. Host fl. austr. 1. p. 116. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 50.

A. panicula spiciformi contracta, glumellae glumam subaequantis valva exteriore bifida, arista geniculata glumam superante, foliis setaceis.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 4. t. 37.
Engl. bot. t. 1296.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 94. f. 1675.

Hab. in sterilibus circa Spalato, ubi collegit b. m. Portenschlag (v. s. in ejusdem herb. Vindobonensi). Habitus Avenae. Panicula albo-virescens. Floret Majo. ⊙.

89. Aira media Gouan ill. et obs. bot. p. 3—4. Pett. bot. Wegw. n. 19.

A. panicula laxa verticillata glumis apice erosis flosculos subaequantibus, glumellae basi pilosae valva exteriore tridentata dorso breviter aristata, interiore bifida, culmo nudiusculo, foliis setaceis glaucis.

Syn. Deschampsia media Roem. et Sch. syst. veget. gen. 330. sp. 7.

Hab. in pascuis siccis agri Petrovopolje dicti prope Dernis, et ad pedem montis Promina et Svilaja. Floret aestate. Panicula nitens ex albido et purpurascente varia, in umbrosis omnino pallida. ♃.

Obs. Radix fibrosa perennis, e qua unicus vel plures culmi exoriuntur, basi foliis setaceis scabris striatis fasciculatis stipati, superius uno alterove folio muniti, in paniculae demum patentis ramos scabros verticillatos et ad divisuras incrassatos partiti. Spiculae in ramorum apice ut plurimum ternae. Glumae apice denticulatae, rarissime integrae, extus glabriusculae, raro scabrae. Valva glumellae exterior arista subaequali et recta dorso munita, interior bifida, interdum fere bipartita, laciniis acutis integris.

90. Aira caryophyllea L. sp. pl. 1. p. 97. Host fl. austr. 1. p. 116. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 50. Pett. bot. Wegw. n. 18.

A. panicula trichotoma divaricata, glumis apice erosis flosculos superantibus, glumellae valva exteriore bifida, arista glumam superante, foliis setaceis.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 2. t. 44.
Krock. fl. siles. t. 22.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 94. f. 1676.
Lam. Enc. bot. Planch. 44.
Engl. bot. t. 812.

Var. β. capillaris: flosculorum altero mutico.

Syn. A. capillaris Host Ic. gr. v. 4. p. 20. et fl. austr. 1. p. 116. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 50.
A. caryophyllea Alsch. fl. jadr. p. 19. (ex herb.)

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 4. t. 35.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 94. f. 1677.
Scheuchz. Agrost. t. 4. f. 23.

Hab. in herbidis asperis apricis, vel etiam arenosis, species circa Lossin in insula Cherso, et circa Dernis, varietas circa Zara, et Arxano. Spiculae ex viridi alboque variae, interdum purpurascentes. Floret Majo, Junio. ⊙.

Obs. A. capillaris non differt ab A. caryophyllea nisi flosculis omnibus aristatis in hac, altero mutico in illa, convenit vero characteribus datis, majoris certe momenti quam aristae alterius defectus. Hanc unicam interesse differentiam elucet non solum ex utriusque graminis attenta comparatione, verum etiam ex amborum descriptionibus in ipsius inventoris clarissimi Flora Austriaca, locis citatis. Cel. Sprengel in syst. veg. 1. p. 277, cl. Bertoloni in Amoen. ital. p. 321, et cl. Gussone in fl. sicul. prodr. 1. p. 64. 65. alias etiam differentias adducunt, sed minime specificas et constantes esse observationibus evincitur. Sic glumae in utrisque erosae sunt et acutae, vaginae scabrae, folia setaceo-linearia, flosculi in nostris semper basi glabri. Postrema haec nota admodum variabilis est, cum pilorum praesentia ex Host et Reichenbach utrisque speciebus communis sit, ex Sprengel et Gussone adsit tantummodo in A. caryophyllea, ex icone Lamarcki desit in hac ipsa, uti in nostris speciminibus. Adde quod aristae praesentia vel defectus notam omnino inconstantem exhibeat, ut pro specifica haberi possit, cum in ipsa A. caryophyllea quandoque flosculos alter muticus sit, et e contra in ipsa A. capillari ex ill. Bertolonio et Reichenbachio in icone citata uterque flosculus interdum aristam habeat. Discrimina reliqua ex majori vel minori ramositate, magnitudine plantae spicularumque, et profundiore glumellae divisione petita, veluti minime specifica, non obstant ut gramen utrumque unicam potius quam binas species constituere rectius censeatur, monente etiam cl. Bernhardi in Flora od. Botan. Zeit. Regensb. 1825. p. 545, et serius assentiente ipso cl. Sprengel in syst. veg. v. 5. p. 32.

91. Aira aquatica L. sp. pl. 1. p. 95. Host fl. austr. 1. p. 114. Alsch. fl. jadr. p. 19.

A. panicula verticillata patente, glumis obtusis erosis, glumellis apice scariosis obtusis muticis gluma longioribus, culmo basi radicante.

Syn. Catabrosa aquatica Beauv. Roem. et Sch. Syst. veg. 2. p. 696.
Glyceria airoides Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 45.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 2. t. 41.
Engl. bot. t. 1557.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 78. f. 1608.

Hab. in aquosis circa lacum Boragnazzo prope Zara. Prof. Alschinger. Spiculae violaceae apicae albidae. Floret aestate. ♃.

Obs. Habitus Poae, cujus genere forte jungenda sub nomime a Koelero proposito (P. airoides). Recedit a Glyceriis et Airis stylis basi nudis, ab illis vero magis spiculis ovatis, compressis nec teretibus, paucifloris nec multifloris, paleolisque acutis nec truncatis. Flosculi variant ab unico ad tres.

XXXIX. Avena L.

Gen. pl. ed. II. p. 27.

Char. Flores paniculati. Spiculae bi-multiflorae. Gluma lanceolata bivalvis. Glumella bivalvis, valvis lanceolatis, exteriore bifida arista geniculata dorsali. Paleolae oblongae. Stigmata undique pennato-pilosa. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

92. Avena sativa L. sp. pl. 1. p. 118. Vis. stirp. dalm. p. 27. Host fl. austr. 1. p. 132. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 52. Alsch. fl. jadr. p. 23.

A. panicula laxa secunda, ramis divisis, glumis pendulis subbifloris, flosculo superiore mutico, utrisque gluma minoribus basi subpilosis.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 2. t. 59.

Illyr. Ovas, Zob, Silj, Pir, Jahri.
Colitur in Dalmatia praesertim montana, et sponte exit ad sepes, agrorum aggeres, et inter segetes. Panicula pallide virens. Floret Majo, Junio. ⊙.

Usus. Semina avenae farinacea sunt, demulcentia, emollientia, ideoque ex aqua decocta et larga copia propinata in morbis inflammatoriis praecipue pectoris, vesicae renumque, nec non in catarrho et tussi utiliter adhibentur. In farinam trita et forma cataplasmatis tumoribus applicita eorundem suppurationem promovent. Deficiente tritico ex ipsis rustici panem conficiunt, qui tamen niger ponderosus et amarus. Constituunt insuper potissimum optimumque equorum et volatilium majorum alimentum.

A. atherantha Presl Enum. pl. vascul. sic. in fl. sic. 1. p. XLIV. Gusson. fl. sic. 1. p. 128. A. panicula laxa secunda, ramis inferioribus divisis, glumis bifloris nutantibus, flosculis aristatis hirsutissimis glumam aequantibus, valva glumellae exteriore setaceo-bifida.

Syn. A. strigosa Vis. stirp. dalm. p. 27. nec Schreb.
A. hirsuta Portenschl. herb. Vind. nec Roth.

Hab. in apricis graminosis incultis circa Zara, Sebenico, Dernis, Spalato, Ragusa. Panicula pallide virens. Floret Majo, Junio. ⊙.

Obs. Differt ab A. strigosa, cui affinior ac caeteris, corollis a basi ultra medium hirsutis nec glabris, binis nec ternis, ab A. fatua panicula secunda nec aequali, flosculis glumae aequalibus nec minoribus, valvae exterioris bifidae laciniis setiformibus elongatis, nec lanceolatis brevibus; ab A. sterili spiculis bifloris nec 5-floris, omnibus nec tantum inferioribus hirsutis aristatisque. Huic postremae etiam nullimode pertinet A. sterilis dalmatica cl. Hostii in fl. austr. 1. p. 133, quae species nondum inventa apud nos, cum planta quae sub hoc nomine olim aderat in herbario Portenschlagiano sit eadem A. atherantha, ex quo forsitan falso nomine falsam etiam patriam desumpsit cl. Host, confer. caeterum de hac specie cl. Gussone fl. sic. prodr. loc. cit.

93. Avena fatua L. sp. pl. 1. p. 118. Host fl. austr. 1. p. 133. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 52. Alsch. fl. jadr. p. 23. Pett. bot. Wegw. n. 145.

A. panicula aequali diffusa ramis simplicibus, glumis bi-trifloris nutantibus, flosculis aristatis basi hirsutis gluma brevioribus, valvae glumellae exterioris bifidae laciniis lanceolatis.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 2. t. 58.
Engl. bot. t. 2221.
Reichb. Icon. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 103. f. 1712.
Leers. fl. herborn. t. IX. f. 4.

Illyr. Divljak.

Hab. in cultis, et inter segetes circa Knin, Dernis, Sebenico, Zara, Spalato. Spiculae pallide virides, demum flavescentes, flosculis nigricantibus. Floret Junio, Julio. ⊙.

94. Avena striata Lamark Enc. botan. 1. p. 328. (edit. Patav.)

A. panicula erecta subsecunda, ramis divisis, glumis nitidis subtrifloris erectis, rachide villosa, flosculis basi pilosis aristatis glumam superantibus valva glumellae exteriore bicuspidata, foliis glaucis convolutis intus striatis, ligula piliformi.

Syn. A. fallax Roem. et Sch. Syst. veg. v. 2. p. 672. Pett. bot. Wegw. n. 144. A. sempervirens Alsch. fl. jadr. p. 24. nec Villars.

Hab. in collibus apricis et locis asperis, inter dumos totius Dalmatiae praesertim litoralis. Spiculae ex albido et purpurascente variae. Floret ab Aprili ad Junium. ♃.

Obs. Spiculae biflorae, triflorae et quadriflorae. Flosculis alternis aristatis supremo saepius sterili. Ligula foliorum quandoque obsoleta, interdum fissa laciniis apice pilosis, saepius e pilorum serie conflata. Differt ab A. sempervirente panicula subsecunda nec aequali, foliis convolutis nec planis, ligula piliformi nec membranacea. Descriptio ill. Lamarki, cujus nomen utpote antiquius recentioribus anteponendum, in nostram optime cadit.

95. Avena pubescens L. sp. pl. ed. II. App. p. 1665. Host fl. austr. 1. p. 126. Reichb. fl. germ. exc. p. 51.

A. panicula nutante aequali, glumis nitidis hyalino-scariosis subtrifloris, flosculis glumam subsuperantibus basi barbatis, aristatis, foliis planis pubescentibus.

Icon. Leers fl. herborn. tab. IX. f. 2.
Fl. dan. tab. 1203.
Host gram. austr. 12. tab. 50.

Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 100. f. 1760.

Syn. A. sesquitertia L. mant. 1. p. 34. (excl. Scheuchz. syn.)
Trisetum pubescens Roem. et Sch. syst. veg. 2. p. 662.

Hab. in pascuis montanis Mavize prope Verlika, et in montibus Dinara, Mossor. Floret aestate. ♃.

XL. Koeleria Pers.

Syn. pl. 1. p. 97.

Char. Flores in thyrso lobato. Spiculae subtriflorae compressae. Gluma bivalvis herbaceo-carinata valvis inaequalibus. Corolla bivalvis nervosa. Paleolae bidentatae. Stigmata plumosa. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

96. Koeleria cristata Pers. syn. pl. 1. p. 97. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 49.

K. thyrso laxo basi interrupto, spiculis sub-trifloris glumellis acuminatis, foliis rigidis ciliatis.

Syn. Aira cristata L. sp. pl. p. 94. Alsch. fl. jadr. p. 19.
Poa cristata Host fl. austr. 1. p. 152.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 2. t. 75.
Krock fl. siles. t. 26.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 93. f. 1668—70.
Leers fl. herborn. t. V. f. 6.

Var. β. canescens: spiculis villoso-canescentibus.

Hab. in herbidis circa Zara, Dernis, Sebenico, varietas in collibus saxosis apricis loco Poljzze prope Sebenico. Spiculae in specie nitidae, in varietate villo albido canescentes. Floret aestate. ♃.

Obs. Var. β. hujusce graminis admodum similis est Koeleriae villosae DeCand. a qua tamen differt thyrso subspicato lobato, non spiciformi cylindrico, flosculis non aristatis, foliis utrinque glabris margine tantum ciliatis, nec undique molliter pubescentibus.

97. Koeleria phleoides Pers. syn. pl. 1. p. 97. Vis. stirp. dalm. p. 39. Alsch. fl. jadr. p. 23.

K. thyrso compacto, spiculis sub-5-floris, glumellae valva exteriore sub apice aristata, foliis vaginisque pilosis.

Syn. Festuca cristata L. sp. pl. p. 111.
F. phleoides Host fl. austr. 1. p. 164. (excl. Ic. gr. 2. t. 75.)
Lophochloa phleoides Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 42.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 3. t. 21.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 73. f. 1581.
Desf. fl. atlant. t. 23.

Hab. in graminosis apricis circa Zara, Sebenico, Spalato, Ragusa. Spiculae nitidae flavo-virentes. Floret Aprili, Majo. ⊙.

XLI. Bromus L.

Gen. pl. ed. II. p. 26.

Char. Flores paniculati. Spiculae compressae multiflorae. Gluma bivalvis inaequalis. Glumella bivalvis, valva exteriore sub apice emarginato aristata, interiore ciliata. Paleolae lanceolatae integrae. Stigmata plumosa. Caryopsis glumella corticata. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex. —

98. Bromus sterilis L. sp. pl. 1. p. 113. Host fl. austr. 1. p. 170. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 42. Alsch. fl. jadr. p. 26. Pett bot. Wegw. n. 162.

B. panicula nutante ramis patulis, spiculis scabris sub-7-floris demum apice latioribus, aristis rectis glumella longioribus, foliis pubescentibus.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 1. t. 16.
Engl. bot. t. 1030.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 73. f. 1583.
Leers fl. herborn. t. XI. f. 4.

Hab. ad vias agrestes, inter segetes, in ruderatis et locis sterilibus totius Dalmatiae vulgaris. Floret Majo, Junio. Spiculae nunc virides nunc purpurascentes. ⊙.

99. Bromus madritensis L. sp. pl. 1. p. 114. Host fl. austr. 1. p. 170. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 42.

B. panicula erecta subcontracta, spiculis scabris sub-6-floris demum apice latioribus, pedunculis apice incrassatis, aristis rectis glumellam subaequantibus, foliis puberulis.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 1. t. 17.
Engl. bot. t. 1006.
Reichb. Ic bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 73. f. 1584.

Hab. ad muros et in sterilibus circa Sebenico, Dernis, et ad rupes arcis Clissa qrope Spalato. Panicula virescens. Floret Majo, Junio.

100. Bromus rigidus Roth Catalect. bot. 1. p. 17. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 42.

B. panicula erecta oblonga, spiculis lanceolatis scabris sub-12-floris, pedunculis apice incrassatis, aristis rectis glumellam subaequantibus, foliis pilosis.

Syn. B. rubens Host fl. austr. 1. p. 171, nec Murray.

Icon. Host Icon. gram. austr. I. t. 18.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 73. fig. 1586.
Sibth. fl. graec. Cent 1. t. 83.

Hab. in collibus aridis circa Lossin piccolo et Ragusa. Spiculae et pedunculi purpurascentes. Floret Aprili, Majo.

101. Bromus arvensis L. sp. pl. 1. p. 113. Host fl. austr. 1. p. 169. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 42. Alsch. fl. jadr. p. 26.

B. panicula laxa nutante ramis divisis, spiculis lanceolatis compressis sub-10-floris, pedunculis apice incrassatis, flosculis imbricatis, aristis rectis glumellam aequantibus, foliis puberulis.

Icon. Host Gr. austr. v. 1. t. 14.
Engl. bot. t. 920. et 1984.
Reichb. Ic. bot. XI. Agrostogr. germ. tab. 74. f. 1587.
Leers fl. herborn. t. XI. f. 3.

Hab. ad sepes et margines fossarum et agrorum circa Zara, Dernis, Sign. Floret Junio, Julio. Spiculae virides, vel ex viridi et purpurascente variae. ⊙.

102. Bromus mollis L. sp. pl. 1. p. 112. Vis. stirp. dalm. p. 28. Host fl. austr. 1. p. 171. Reichb. fl. germ. ezc. 1. p. 43. Alsch. fl. jadr. p. 26.

B. panicula erecta contracta ramis divivis, spiculis oblongo-ovatis compressis pubescentibus sub-8-floris, flosculis imbricatis, aristis rectis glumellam aequantibus, foliis mollissime pubescentibus.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 1. t. 19.
Engl. bot. t. 1078.
Lam. Enç. bot. Pl. 46. f. 1.
Reichb. Ic. bot. XI. Agrostogr. germ. tab. 74. f. 1591—92.
Leers fl. herborn. t. XI. f. 1.

Var. β. nanus: panicula conferta minore, caule vix palmari. Vis. stirp. dalm. spec. p. 28.

Syn. B. nanus Weig. obs. bot. t. 1. g.

Hab. in cultis incultisque frequens: varietas in pascuis siccis, locisque aridis. Spiculae glauco-virentes. Floret Majo, Junio. ○.

103. Bromus erectus Huds. fl. angl. Vis. stirp. dalm. p. 28. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 44. Pett. bot. Wegw. n. 158.

B. panicula erecta ramis subdivisis, spiculis lineari-lanceolatis compressis sub-8-floris scabris, flosculis demum patentibus teretiusculis, aristis rectis glumella brevioribus, foliis radicalibus angustis pilosis.

Syn. B. agrestis Allion. fl. pedem. II. p. 249. Host fl. austr. 1. p. 167.

Icon. Host Ic. gr. austr. 1. t. 10.
Roem. fl. europ. fasc. VI.
Engl. bot. t. 471.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 77. f. 1604.

Var. β. villosus: spiculis villosis.

Syn. Festuca hirta Seenus Reise nach Istr. u. Dalm.

Hab. in collibus et locis asperis graminosis totius Dalmatiae: varietas locis saxosis apricis prope Sebenico. Panicula nunc pallide viridis nunc purpurascens. Floret Junio, Julio. ♃.

104. Bromus secalinus L. sp. pl. sp. 112. Host fl. austr. 1. p. 168. Reichb. fl. germ. exc. p. 44. Alsch. fl. jadr. p. 26.

B. panicula laxa apice nutante ramis subdivisis spiculis oblongo-ellipticis sub-8-floris, flosculis demum patentibus turgidis, aristis erectis flexuosis glumella multo brevioribus, foliis subpilosis.

Icon. Host Ic. gram. austr. v. 1. t. 12.

Engl. bot. t. 1171.

Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 75. f. 1600. — tum var. submutica.

Hab. in graminosis circa Cattaro. Dom. Tommasini. Spiculae pallide virentes.

105. Bromus squarrosus L. sp. pl. 1. p. 112. Host fl. austr. 1. p. 169. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 43. Alsch. fl. jadr. p. 26. Pett. bot. Wegw. no. 161.

B. panicula laxa apice nutante ramis divisis, spiculis oblongo-lanceolatis compressis sub-10-floris, flosculis arcte imbricatis, aristis demum divaricatis, superioribus glumella longioribus, foliis vaginisque villosis.

Icon. Engl. bot. t. 1885.

Scheuchz. Agrost. t. V. f. 11. (spicula.)

Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 75. f. 1598.

Var. β. pubescens: spiculis pubescentibus.

Icon. Host Ic. gram. austr. v. 1. t. 13.

Hab. in agris, inter segetes, locis graminosis totius Dalmatiae. Floret Junio, Julio. Spiculae ex viridi albidoque variae. ♃.

XLII. Festuca L.

Gen. pl. ed. II. p. 27.

Char. Flores paniculati. Spiculae compressae multiflorae. Gluma bivalvis subinaequalis. Glumella bivalvis, valvis acuminatis, vel exterioris apice in aristam attenuato. Paleolae oblongae. Stigmata villosa. Caryopsis glumella corticata. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

106. Festuca duriuscula L. sp. pl. 1. p. 108. Host fl. austr. 1. p. 158. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 38.

F. panicula secunda stricta, spiculis 4-8-floris aristatis foliis setaceis rigidulis scabris glaucis.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. II. t. 83.

Leers fl. herborn. t. VIII. f. 2.

Roem. fl. europ. fasc. VI. ic.

Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 62. f. 1538.

Illyr. Zeçie, berçak.

Hab. in collibus, locis apricis, pascuis praecipue montanis prope Zara, Verlika, Sebenico, Spalato, Cattaro. Floret Majo, Junio. Panicula ut plurimum glaucescens, interdum purpurascens, et talia specimina praebent F. rubram Alsch. fl. jadr. p. 25. non L. Etiam F. ovina Alsch. l. c. et Pett bot. Wegw. n. 411. huc pertinet. ♃.

107. Festuca pratensis Huds. fl. angl. ed. I. p. 37. Host fl. austr. I. p. 155. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 40.

F. panicula secunda erecta, ramulis subgeminatis, spiculis subcylindricis linearibus sub-octofloris, flosculis imbricatis mucronatis, foliis planis scabris.

Syn. F. elatior L. suec. p. 32. Host Ic. gr. austr. II. p. 57.

Icon. Host Ic. gr. austr. II. t. 79.
Leers fl. herborn. t. VIII. f. 6.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 70. f. 1565.
Engl. bot. t. 1592.

Hab. in cultis, graminosis, ad vias agrestes circa Dernis. Spiculae virentes. Floret aestate. ♃.

108. Festuca arundinacea Schreb. spicil. fl. lips. p. 57. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 40.

F. panicula erecta, ramulis subgeminatis, spiculis ovato-oblongis subquinque-floris compressis, flosculis imbricatis aristatis, foliis planis laevibus, radice repente.

Syn. F. elatior Smith fl. brit. 1. p. 124. Host fl. austr. 1. p. 154, an Linn. sp. pl. 1. p. 111?
Bromus litoreus Retz, Host Ic. gr. austr. v. 1. p. 7.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. i. t. 8.
Engl. bot. t. 1593.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 70. f. 1568.
Scheuchz. Agrost. t. V. f. 18.

Hab. in graminosis circa Sebenico, in pratis udis circa Breno prope Ragusa, et in pascuis montanis in Vellebith. Floret Junio. Spiculae e viridi flavescentes. ♃.

109. Festuca Myurus L. sp. pl. p. 109. Host fl. austr. 1. p. 164.

F. panicula longe racemosa gracili subsecunda nutante, spiculis sub 5-floris, glumae valva exteriore acuminata interna duplo breviore, glumellis scabris arista multo brevioribus, foliis convolutis.

Syn. Vulpia pseudo-myurus (Fest. ps. m. Willem.) Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 37.

Icon. Host Ic. gr. aust. v. II. t. 93.
Engl. bot. t. 1412.
Leers fl. herborn. t. III. f. 5.
Scheuchz. Agrost. t. VI. f. 11. (spiculae.)
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 60. f. 1525.

Hab. in pratis humidis circa Narenta, et Verlika. Panicula e viridi flavescens. Floret Majo.

110. Festuca ciliata Link in Schrad. Journ. II. p. 315. Host fl. austr. 1. p. 165. Pett. bot. Wegw. n. 410.

F. panicula racemosa recta secunda, spiculis subquinque-floris, glumae valva exteriore obtusa interna triplo breviore, glumellis basi et margine longe ciliatis, aristam subaequantibus, foliis convolutis.

Syn. Vulpia myurus (Fest. m. Willem.) Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 37. excl. Linn. syn.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. IV. t. 65.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 60. f. 1524.

Var. β. imberbis: corollis scabriusculis nudis.

Hab. locis sterilibus siccis apricis circa Dernis, Zagaric, Sebenico, Spala-

to, Clissa; varietas circa Gradaz prope Dernis, et Mavize prope Verlika. Spiculae flavo-virentes. Floret Majo, Junio. ⊙.

Obs. Varietas β. speciei omnino similis, ciliarum defectu in flosculis tantum diversa. Valva glumae exterior in planta nostra semper obtusa, contra observationes Scheuchzeri in Agrostogr. p. 295. et cl. Willemet in Annal. des scienc. nat. VII. 1826. p. 440. Huc quoque pertinere videtur F. bromoides Alsch. fl. jadr. p. 23.

111. Festuca serotina L. sp. pl. 1. p. 111. Vis. stirp. dalm. p. 35. Host fl. austr. 1. p. 163. Alsch. fl. jadr. p. 26.

F. panicula erecta ramis paucifloris patentibus, spiculis oblongis subquadrifloris breviter aristatis nervosis, foliis lanceolatis distiche patentibus, culmo vaginato.

Syn. Agrostis serotina L. mant. p. 30.
Diplachne serotina Link, Reichb. fl. germ. exc. 1. 41.

Icon. Host Ic. gr. austr. II. t. 92.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 71. f. 1571.
Segu. pl. veron. suppl. t. 3. f. 2.

Hab. ad vias, et locis asperis, et in ruderatis circa Zara, et Sebenico. Spiculae atro-violaceae. Floret Augusto, Septembri. ♃.

XLIII. Dactylis L.

Gen. pl. ed. II. p. 24.

Char. Flores glomerato-paniculati. Spiculae compressae multiflorae. Gluma bivalvis, valva altera glumellam aequante carinata majore. Glumella bivalvis, valva exteriore sub apice aristata. Paleolae obovatae. Stigmata bipinnata. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

112. Dactylis glomerata L. sp. pl. 1. p. 105. Vis. stirp. dalm. p. 33. Host fl. austr. 1. p. 137. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 36. Pett. bot. Wegw. n. 326.

D. panicula pyramidali secunda supradecomposita glomerata, ramulis basi nudis, spiculis puberulis, foliis carinatis viridibus.

Syn. Festuca glomerata Allion fl. ped. II. p. 252. Alsch. fl. jadr. p. 25.

Icon. Host Ic. gr. austr. II. t. 94.
Leers fl. herborn. t. III. f. 3.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 59. f. 1523.
Engl. bot. t. 335.
Lam. Enc. bot. Pl. 44. f. 1.

Illyr. Ostriza.

Hab. in pratis, cultis, locis umbrosis, ad vias. Spiculae pallide virentes. Floret Majo, Julio. ♃.

113. Dactylis hispanica Roth catal. bot. 2. p. 8. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 36.

D. panicula semicylindrica secunda glomerato-spicata basi interrupta, ramulis undique floriferis, spiculis villosis, foliis carinatis glaucescentibus, culmo stricto.

Icon. Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab 59. f. 1521.

Syn. D. glomerata var. villosa Vis. stirp. dalm. p. 33.

D. villosa Tenore.

Festuca phalaroides Lam. ill. des genr. 1. p. 190. Pers. syn. pl. 1. p. 95.

Hab. in collibus asperis, campis aridis, locis siccis in tota Dalmatia litorali, praecipue circa Sebenico, Dernis. Spiculae pallidae. Floret aestate. ♃.

Obs. Praecedente ex omni parte minor, paniculae spiciformis rami brevissimi, spiculae magis pubescentes et pauciflorae, folia breviora angustiora. Panicula flavovirens quondoque purpura adspersa. An varietas macrior?

114. Dactylis litoralis W. sp. pl. 1. p. 408. Host fl. austr. p. 137.

D. spicis strictis secundis compositis, spiculis imbricatis ovatis nervosis, foliisque rigidis distichis, glumella exteriore apice angustata mutica, stolonibus repentibus.

Icon. Host Ic. gr. austr. 4. tab. 28.
Cav. Ic. et descr. 2. tab. 126.
Sibth. fl. gr. 1. tab. 80.
Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 59. f. 1520.

Syn. D. maritima Suffr. foroj. p. 116. Reichb. fl. germ. exc. p. 36. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. p. 24.
D. distichophylla Brign. fasc. foroj. p. 16.
Poa litoralis Gou. fl. monsp. p. 470.
P. maritima Cav. l. c. p. 23.
Festuca litoralis Sibth. l. c.

Hab. ad litora maris prope Ossero, ubi legit D. Noé. Floret Junio, Julio. ♃.

XLIV. Arundo L.

Gen. pl. ed. II. p. 27.

Char. Flores paniculati. Spiculae tri-multiflorae. Gluma bivalvis flosculos aequans. Glumella bivalvis basi pilis persistentibus barbata. Paleolae lanceolatae. Stigmata penicilliformia. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia Syst. sex.

115. Arundo Donax L. sp. pl. p. 120. Vis. stirp. dalm. p. 26. Host fl. austr. 1. p. 123. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 54. Alsch. fl. jadr. p. 27. Pett. bot. Wegw. n. 115.

A. panicula stricta, glumae valvis subaequalibus, spiculis subtrifloris floribus omnibus hermaphroditis barbatis, culmo basi lignoso, foliis lato-lanceolatis.

Syn. Host Ic. gr. austr. IV. t. 38.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. tab. 109. f. 1731.
Lam. Encl. bot. Pl. 46. f. 1.

Illyr. Tarstika, Tarst, Rozga.

Hab. ad catarractas fluminum Kerka, Cettina, Narenta. Floret Octobri, Novembri. Panicula purpurascens. ♄.

Obs. Radix in frusta secta et dosi unciae unius in libro aquae decocta sudorem promovet, urinam ciet, et alvum quandoque leniter solvit. Hinc adhibetur in morbis venereis cutaneisque, et ubi opus sit nimiam lactis secretionem compescere. Artibus quoque, et praesertim rei agrariae plurimos in usus inservit.

116. Arundo Pliniana Turra fl. ital. prodr. p. 63.

A. panicula elongata, sub anthesi patente, glumae valvis subaequalibus, spiculis subunifloris, floribus harmaphroditis barbatis, culmo gracili inferne semifarcto, foliis lato-linearibus.

Icon. Tenor. fl. nap. tab. 108.
Reichb. Icon. bot. Cent. XI. Agrost. germ. tab. 109. f. 1732. planta e loco nostro!
Zanon. ist bot. tab. 24. f. 1.

Syn. A. Plinii Vitm. summ. pl. l. p. 228. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 54.
A. mauritanica Desf. fl. atl. 1. p. 106.
A. collina Ten. fl. neap. 3. p. 101.
Donax mauritanica Presl Cyp. et gram. sic. p. 32.
Calamagrostis mauritanica Spr. Syst. veg. 1. p. 252.

Hab. in maritimis insulae Cherso, ubi mense Novembri florentem legit Doct. Noe. ♃.

Obs. **Icon. cl. Reichenbachii in Agrost. germ. plantam offert quam ultra centenis speciminibus edidit in Fl. germ. exsiccata No. 1205.**

117. Arundo Phragmites L. sp. pl. 1. p. 120. Vis. stirp. dalm. p. 26. Host fl. austr. 1. p. 124. Alsch. fl. jadr. p. 27. Pett. bot. Wegw. n. 116.

A. panicula laxa, glumae valvis inaequalibus, flosculo inferiori masculo nudo, culmo annuo.

Syn. Phragmites communis Trin. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 54.

Icon. Host Ic. gr. austr. IV. t. 39.
Engl. bot. t. 401.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 108. f. 1729.
Schrad. fl. germ. 1. t. 5. f. 4. (spiculae.)
Lam. Enc. bot. Pl. 46. f. 2. (spicula.)

Illyr. Scevar, Tarstica vodena.

Hab. in fluviis locisque inundatis palustribus totius Dalmatiae, praecipue circa Obbrovazzo, Knin, Scardona, Kerka, Almissa, Narenta. Panicula violacea demum rufa. Floret Julio, Augusto. ♃.

Usus. **Radix hujusce graminis iisdem adhibetur usibus ac speciei 115, urinam vero magis urget, et ideo in hydrope utilius ac illa praescribitur. Ejusdem decoctum ad mellis consistentiam leni igne inspissatum, et dosi drachmae unius intus sumptum hoc in morbo laudatur.**

XLV. Psamma Beauv.

Agrost. p. 5.

Char. Flores spicato-compositi, spiculae uniflorae. Gluma bivalvis acuta glumella longior. Glumella bivalvis basi lanata apice mucronata. Paleolae lanceolatae. Stigmata 2—3 plumosa. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia Syst. sex.

118. Psamma arenaria Beauv. R. S. syst. veg. 2. p. 845. Alsch. fl. jadr. p. 27.

P. panicula spicata, glumae valvis acutis, pilis glumella triplo brevioribus, foliis involutis.

Syn. Arundo arenaria L. sp. pl. 1. p. 121.
Ammophila arundinacea Host Ic. gr. austr. 4. p. 24. Fl. austr. 1. p. 106.

Ammophila arenaria LINK, REICHB. fl. germ. exc. 1. p. 28.
Psamma pallida PRESL cyp. et gr. sic. p. 24. R. S. Syst. veg. 2. p. 845.
Icon. Engl. bot. t. 520.
HOST Ic. gr. austr. IV. t. 41.
SCHRAD. fl. germ. 1. t. 5. f. 2. (flores.)
REICHB. Ic. pl. rar. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XLIV. f. 1454.
Hab. in arena mobili ad mare prope Nona. Prof. ALSCHINGER. Panicula pallida. Floret Majo, Junio. ♃.

Obs. **Psammae genus a cl. BEAUVOIS constitutum in sua Agrostographia anno MDCCCXII Lutetiis edita, duobus annis antiquius est Ammophilâ cl. HOST, in Vol. IV. anno MDCCCXIV. edito Iconum graminum austriacorum primum publici juris facta: hinc praeferendum.**

XLVI. Poa L.

Gen. pl. ed. II. p. 25.

Char. Flores paniculati. Spiculae bi-multiflorae muticae compressae basi ovatae. Gluma bivalvis flosculis brevior. Glumella bivalvis, valva exteriore carinata, interiore bicarinata. Paleolae ovales obtusae. Stigmata superne plumosa. Caryopsis glumella tecta. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia Syst. sex.

119. Poa bulbosa L. sp. pl. 1. p. 102. VIS. stirp. dalm. p. 44. HOST fl. austr. 1. p. 144. REICHB. fl. germ. exc. 1. p. 45. ALSCH. fl. jadr. p. 59. PETT. bot. Wegw. n. 713.

P. panicula oblongo-ovata ramulis subgeminatis, spiculis ovatis subquinqueflo-ris, flosculis basi villo nexis, culmo foliorumque fasciculis basi bulbosis, radice perenni.

Icon. HOST Ic. gr. austr. II. t. 16. f. sinistra.
VAILL. bot. paris. t. 17. f. 8.
Engl. bot. t. 1071.
REICHB. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 71. f. 1619.
Var. β. prolifera: flosculis viviparis. VIS. stirp. dalm. l. c.
Icon. HOST Ic. gr. austr. II. t. 65. f. dext.
REICHB. l. c. f. 1620.
C. BAUCH. prodr. p. 6.
Hab. in graminosis, collibus, pascuis apricis, ad vias et muros cum varietate. Spiculae ex albido et rubello variae. Floret Aprili, Majo. ♃.

120. Poa collina HOST Ic. gr. austr. v. II. p. 48. Fl. austr. 1. p. 144.

P. panicula oblongo-ovata laxiuscula ramulis subgeminatis, spiculis late ovatis 5-9-floris, flosculis basi sericeis villo nexis, culmo basi subaequali, radice perenni.

Syn. P. badensis W. sp. pl. 1. p. 392.
P. cenisia β. REICHB. fl. germ. exc. 1. p. 46.
P. alpina ALSCH. fl. jadr. p. 24. an L.?
Icon. HOST Ic. gr. austr. v. II. t. 66.
REICHB. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 73. f. 1625.

Hab. in collibus et locis saxosis apricis circa Sebenico frequens, nec non in montibus Vellebith et Biokovo. Floret Aprili — Junio. Spiculae nitidae ex albido purpureoque variae. ♃.

Obs. Planta a quibusdam habita pro P. alpina, ab aliis pro P. cenisia. Mihi quidem aegre et vix a praecedente distinguitur, discrimen inter utrasque constituentibus tantummodo flosculorum numero, et crassitie baseos culmi. Hae tamen notae admodum variant, nam flosculi ludunt ex ipso cl. stirpis auctore in fl. austr. 1. p. 145. ab unico ad sex, et culmus apud nos locis siccioribus frequenter basi incrassatur, ut in P. bulbosa.

121. Poa annua L. sp. pl. 1. p. 99. Vis. stirp. dalm. p. 44. Host fl. austr. 1. p. 144. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 46. Alsch. fl. jadr. p. 24.

P. panicula subsecunda ramulis geminatis demum divaricatis, spiculis oblongo-ovatis 3-5-floris, flosculis basi nudis, culmo obliquo subcompresso radice annua.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. II. t. 64.
Leers fl. herborn. t. VI. f. 1.
Engl. bot. t. 1141.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 72. f. 1621.

Hab. ad vias, in cultis, ruderatis ubique. Spiculae ex viridi alboque variae. Floret toto anno. ⊙.

122. Poa compressa L. sp. pl. 1. p. 101. Host fl. austr. 1. p. 148. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 47. Alsch. fl. jadr. p. 24.

P. panicula subsecunda pauciflora contracta ramulis subgeminatis, spiculis oblongo-ovatis sub-5-floris, flosculis villo nexis, culmo obliquo compresso, radice perenni repente.

Syn. P. rubens Alsch. fl. jadr. p. 24. (non Moench nec Lam.) excl. descript.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. II. t. 70.
Engl. bot. t. 365.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 85. f. 1636.
Vaill. bot. paris. t. 18. f. 5.
Leers fl. herborn. t. V. f. 4.

Hab. in pratis et pascuis apricis circa Zara, Dernis, Mavize, Verlika. Floret Majo, Junio. Panicula viridis vel purpurascens, quae postrema varietas P. rubentem sistit fl. jadr. e specimine ab egr. Auctore communicato. ♃.

123. Poa trivialis L. sp. pl. 1. p. 99. Host fl. austr. 1. p. 143. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 48.

P. panicula aequali laxa ramulis subquinatis semiverticillatis erectis, spiculis ovatis subtrifloris, flosculis villo nexis quinquenervibus, culmo erecto tereti vaginisque scabris, ligula oblonga, radice perenni.

Icon. Host Ic. gr. austr. II. t. 62.
Engl. bot. t. 1072.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 79. f. 1653—54.
Leers fl. herborn. t. VI. f. 5.

Var. β. Koeleri: culmis laevibus De C. syn. fl. gall. n. 1607.

Hab. in pratis et pascuis apricis et sylvaticis praecipue circa Dernis. Floret Aprili, Majo. Panicula atro-purpurea, in siccis et post anthesin stricta. ♃.

124. Poa pratensis L. sp. pl. 1. p. 99. Vis. stirp. dalm. p. 44. Host fl. austr. 1. p. 143. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 47.

A. panicula aequali laxa, ramulis subquinatis semiverticillatis erecto-patulis, spiculis ovatis sub-5-floris, spiculis villo nexis quinquenervibus, culmo erecto tereti vaginisque laevibus, ligula obtusa abbreviata, radice perenni repente.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. II. t. 61.
Engl. bot. t. 1073.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 88. f. 1650.
Scheuchz. Agrost. t. III. f. 17. A. (spiculae.)

Var. β. angustifolia: foliis radicalibus angustioribus

Syn. P. angustifolia Pollich Hist. pl. Palat. n. 89. Leers fl. herborn. p. 27. (excl. descr.) non L.?

Icon. Leers fl. herb. t. VI. f. 3.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 88. f. 1648.

Hab. in pratis circa Dernis, Knin, Sebenico, et alibi. Floret Majo, Junio. Spiculae nunc pallide virentes, nunc flavidae, nunc rubro variegatae. ♃.

125. Poa serotina Ehrh. gram. 82. Koel. descr. gram. p. 173.

P. panicula aequali laxa ramulis subquinatis semi-verticillatis erecto-patulis, spiculis ovali-lanceolatis sub-trifloris, flosculis villo nexis obsolete nervosis culmo erecto tereti vaginisque laevibus, ligula truncata brevi, radice subrepente perenni.

Syn. P. fertilis Host Ic. gr. austr. III. p. 10. Fl. austr. 1. p. 149.
P. angustifolia Wahlnb. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 47. an Linn.?
P. palustris Koel. descr. gram. p. 155. Pers. syn. pl. p. 89.
P. trivialis et pratensis Leers fl. herb. p. 26—27. non L.

Icon. Host Ic. gr. austr. III. t. 14.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 87. f. 1646—47.
Leers fl. herborn. t. VI. f. 2.

Hab. in pratis udis circa Narenta et Verlika. Spiculae flavescentes. Floret aestate. ♃.

Obs. Ligula foliorum omnium in planta nostra brevis est et truncata, ut in descriptione Leersii l. c., et ill. Sprengelii syst. veg. 1. p. 339. Praecedente multo gracilior.

126. Poa Eragrostis L. sp. pl. 1. p. 100.

P. panicula aequali ramis alternis patentibus, spiculis linearibus 10-20-floris, flosculis obtusis nervosis basi nudis, culmis decumbentibus, vaginis ore barbatis, radice annua.

Syn. Eragrostis minor Host fl. austr. 1. p. 135.
E. poaeformis Link, Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 48.

Icon. Host Ic. gr. austr. II. t. 69.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 91. f. 1661.
Scheuchz. Agrost. t. IV. f. 2.

Hab. ad vias et in hortis et agris Dalmatiae montanae, circa Dernis. Floret Julio. Spiculae virides lividae vel purpureae. ⊙.

Obs. Paniculae rami in planta nostra basi glabri, observantibus idem in propria cl. Marsch. Fl. taur. cauc. 3. p. 67. Gaud. Agrost. helv. 1. p. 172. et Gusson. Fl. sic. prodr. 1. p. 95.

127. Poa megastachya Koel. descr. gram. p. 151.

P. panicula aequali ramis alternis patentibus, spiculis subcordato-lanceolatis 15-30-floris, flosculis basi nudis nervosis obtusis, culmo erecto, vaginis ore barbatis, radice annua.

Syn. Briza eragrostis L. sp. pl. p. 103.
Eragrostis major Host gr. austr. 4. p. 14. Fl. austr. 1. p. 135.
E. megastachya Link, Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 48.
Poa Eragrostis Alsch. fl. jadr. p. 25. non L.

Icon. Host Ic. gr. austr. IV. t. 24.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 91. f. 1662.
Scheuchz. Agrost. t. IV. f. 4.

Hab. copiose in agris Dalmatiae litoralis circa Zara, Sebenico, Spalato, Cattaro. Floret aestate. Spiculae ut plurimum livide purpureae, in genere maximae. ⊙.

128. Poa rigida L. sp. pl. 1. p. 101. Vis. stirp. dalm. p. 44. Host fl. austr. 1. p. 150. Alsch. fl. jadr. p. 24. Pett. bot. Wegw. n. 714.

P. panicula secunda rigida, rachi subalato-marginata, ramis alternis erectis, spiculis linearibus 4-8-floris, flosculis basi nudis subenervibus distinctis teretibus, culmo erecto, radice annua.

Syn. Sclerochloa rigida Presl, Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 36.

Icon. Host Ic. gr. austr. II. t. 74.
Vaill. bot. paris t. XVIII. f. 4.
Engl. bot. t. 1371.
Reichb. Ic. bot. Agrostogr. germ. XI. tab. 1518.

Var. β. patens: paniculae ramis patentibus, spiculis 4-floris.

Syn. Sclerochloa patens. Presl Cyp. et gram. sic. p. 44.
S. rigida β. major Presl fl. sic. in Enum. p. XLV.
P. rigida c. patens Gusson. fl. sic. prodr. 1. p. 97.

Hab. ad muros, vias, locis siccis circa Zara, Sebenico, Spalato, Ragusa, varietas circa Cattaro. Spiculae virides vel purpurascentes. Floret aestate. ⊙.

Obs. Varietas β. Poam divaricatam quodammodo refert, a qua tamen differt paniculae ramis brevioribus, crassioribus, rigidis.

129. Poa dura Scop. fl. carn. t. 1. p. 70. Vis. stirp. dalm. p. 44. Host fl. austr. 1. p. 151.

P. panicula spicata secunda compacta rigida simplici, spiculis sessilibus alternis lanceolatis obtusis 3-5-floris, flosculis nudis nervosis, culmis rigidis caespitosis depressis, radice annua.

Syn. Cynosurus durus L. sp. pl. 1. p. 105.

Sclerochlea dura Beauv. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 36.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. II. t. 73.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 58. f. 1516.
Krock fl. siles. t. 28.

Hab. frequens ad vias et in siccis circa Verlika, Sebenico, Spalato, in monte Mariañ et alibi. Floret Majo, Junio. Spiculae virides. ☉.

XLVII. Glyceria R. Brown.

Prodr. Fl. Nov. Holl. p. 179.

Char. Flores paniculati. Spiculae teretes multiflorae muticae. Gluma et glumella bivalvis obtusa margine membranacea. Paleolae connatae truncatae. Stigmata undique plumosa. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

130. Glyceria fluitans R. Br. loc. cit. Reichb. fl. exc. 1. p. 43.

Gl. panicula longissima secunda nutante, spiculis linearibus sub-7-floris, flosculis imbricatis margine nitidis septemnervibus, radice repente.

Syn. Festuca fluitans L. sp. pl. 1. p. 111. Host Ic. gr. austr. II. p. 55.
Hydrochloa fluitans Host fl. austr. 1. p. 141.

Icon. Host Ic. gr. austr. II. t. 77.
Leers fl. herb. t. VIII. f. 5.
Engl. bot. t. 1520.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 80. f. 1615.
Fl. dan. t. 237.

Hab. ad fossas et in aquosis circa Dernis, Knin. Floret aestate. Panicula viridis. ♃.

131. Glyceria aquatica Wahlenb. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 45.

G. panicula ramosissima aequali erecta, spiculis oblongo-linearibus sub-6-floris, flosculis imbricatis septemnervibus, culmo elato firmo foliis latis, radice repente.

Syn. Poa aquatica L. sp. pl. 1. p. 98. Host fl. austr. 1. p. 142. Alsch. fl. jadr. p. 24.

Icon. Host Ic. gr. austr. II. t. 60.
Engl. bot. t. 1315.
Leers fl. herborn. t. V. f. 5.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 80. f. 1614.

Hab. in pratis humidis circa Zemonico, prope Zara. Prof. Alschinger. Spiculae virides vel ex purpureo variae. Floret aestate. ♃.

132. Glyceria distans Wahlenb. fl. upsal. p. 36. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 45.

G. panicula erecta inaequali, ramis demum divaricatis, spiculis linearibus sub-5-floris, flosculis distinctis obsolete nervosis, radice fibrosa.

Syn. Poa distans L. mantiss. p. 32. Host fl. austr. 1. p. 149.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. II. t. 63. (nec 62.)
Engl. bot. t. 986.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 79. f. 1609.

Hab. in salsis maritimis prope Zara, Sebenico circa lacum Morinje, Trau, Spalato ai Paludi, Salona, Ragusa, Cattaro. Floret Majo, Junio. Spiculae colore virescente et atro purpureo pictae. ♃.

133. Glyceria festucaeformis Heynhold in Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 45.

G. panicula elongata erecta aequali, spiculis lanceolato-linearibus 5-7-floris nitidis, flosculis imbricatis obsolete nervosis, radice repente.

Syn. Festuca palustris Seenus Reis. nach Istr. u. Dalm. p. 72.
Poa festucaeformis Host Ic. gr. austr. v. III. f. 12.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. III. t. 17.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 80. f. 1613.

Hab. in pratis udis circa Zemonico prope Zara, Prof. Alschinger. Primum speciem detexit in palustribus insulae Utjan contra Zara positae nob. de Seenus. Spiculae e viridi flovoque variae. Floret Majo, Junio. ♃.

Obs. In planta nostra ligula glabra acuta, nec pubescens, glumellae glabrae et vix nervosae, quod videmus etiam in specimine ex insulis circa Venetias nobis a cl. Jan humaniter communicato.

XLVIII. Briza L.

Gen. pl. ed. II. p. 25.

Char. Flores paniculati. Spiculae cordato-ovatae compressae muticae multiflorae. Gluma bivalvis, valvis ovatis obtusis convexis subaequalibus. Glumella bivalvis, valva exteriore ventricosa basi cordata, interiore ovato-oblonga. Paleolae acutae. Stigmata undique plumosa. Caryopsis glumella corticata. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

134. Briza maxima L. sp. pl. 1. p. 103. Vis. stirp. dalm. p. 28. Host fl. austr. 1. p. 134. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 49. Alsch. fl. jadr. p. 25. Pett. bot. Wegw. n. 157.

B. panicula apice nutante subsimplici, spiculis cordato-oblongis sub-13-floris, glumis flosculos subaequantibus.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. II. t. 30.
Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 92. f. 1666.
Sibth. fl. gr. Cent. I. t. 77.
Jacq. obs. bot. t. 60.
Lam. Enc. bot. Pl. 45. f. 2.

Hab. in collibus, et locis herbidis apricis circa Zara, Dernis, Sebenico, Spalato, Almissa, Ragusa, Cattaro, nec non in insulis. Floret Majo, Junio. Spiculae nitidae e viridi flavescentes, calycibus saepe basi fusco-ferrugineis. ⊙.

Obs. Ligula in planta nostra semper inaequaliter erosa, in sequente longissima integra.

135. Briza media L. sp. pl. 1. p. 103. Host fl. austr. 1. p. 134. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 49.

B. panicula erecta rara, spiculis subrotundo-ovatis subseptemfloris, glumis flosculis brevioribus.

Icon. Host gram. austr. v. 2. t. 29.

Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 92. f. 1665.

Hab. in graminosis sylvaticis circa Mavize prope Verlika, in monte Dinara, et in ins. Lesina. Floret Majo, Julio. Glumae purpurascentes. ⊙.

136. Briza virens L. sp. pl. 1. p. 103. Reichb. fl. exc. 1. p. 48.

B. panicula erecta ramosissima, spiculis ovato-rubrotundis sub-5-floris, glumis flosculos aequantibus.

Icon. Reichb. Ic. bot. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 92. f. 1664.

Hab. in pratis humidis circa Narenta. D. Neumayer. Spiculae ex albido viridique variae. Floret Majo, Junio. ⊙.

XLIX. Cynosurus L.

Char. Flores racemoso-spicati secundi. Spiculae involucro distiche pinnato suffultae. Gluma bivalvis 3—4 flora. Glumella bivalvis, valvis lineari-lanceolatis apice aristatis. Paleolae oblongae. Stigmata undique plumosa. Caryopsis glumella corticata. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

137. Cynosurus echinatus L. sp. pl. 1. p. 105. Host fl. austr. 1. p. 136. Reichb. fl. germ. exc. p. 17. Pett. bot. Wegw. n. 320.

C. racemo coarctato ovato, involucri pinnis longe aristatis, foliis lanceolatis.

Syn. Chrysurus echinatus Beauv. Alsch. fl. jadr. p. 20.

Icon. Host Icon. gr. austr. II. t. 95.

Engl. bot. t. 1333.

Sibth. fl. gr. Cent. I. t. 78.

Reichb. Ic. pl. crit Cent. XI. tab. VII. f. 1349—50.

Scheuchz. Agrost. t. II. f. 8. BebD. (flores.)

Hab. in pascuis locisque graminosis apricis Selve, Uljan, Zara, Dernis, Sebenico, Spalato, Ragusa, Cattaro. Spiculae pallide virides, aristis fuscis. Floret Majo, Junio. ⊙.

138. Cynosurus cristatus L. sp. pl. p. 105. Host fl. austr. 1. p. 136. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 17. Alsch. fl. jadr. p. 25. Pett. bot. Wegw. n. 319. (falsa habit.)

C. racemo lineari elongato, involucri glumis muticis, foliis linearibus.

Icon. Host Ic. gr. austr. II. t. 96.

Engl. bot. t. 316.

Reichb. Ic. pl. crit Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. VII. f. 1351—52.

Scheuchz. Enc. bot. Pl. 47. f. 1.

Leers fl. herborn. t. VII. f. 4.

Hab. in pratis prope Zara, copiose circa Dernis, nec tamen in montibus. Spica virens. Floret Majo, Junio. ⊙.

L. Sesleria Scop.

Fl. carn. ed. I. p. 189.

Char. Flores spicati. Spiculae tri-multiflorae, inferiores bracteis involucratae. Gluma bivalvis acuminata. Glumella bivalvis, valva exteriore obtusa, apice denticulata aut aristata. Paleolae acuminatae. Stigmata longissima tenuissime plumosa. Caryopsis glumella tecta. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

139. Sesleria cylindrica DeC. fl. fr. suppl. p. 279.

S. spica compacta oblongo-cylindrica, bracteis integris, spiculis bi-trifloris subsessilibus, gluma cuspidata, glumellae valva exteriore tridentato-mucronata, dente medio aristato, foliis rigidis planis, apice cuspidatis, margine scabris.

Syn. Cynosurus cylindricus Balb. addit. ad. fl. pedem. p. 86.

Hab. ad rupium fissuras circa Priko prope Almissa, et in saxosis apricis circa Ragusa. Spica pallida. Floret Aprili, Majo. ♃.

Obs. Affinis hinc S. caeruleae, illinc S. elongatae. Differt ab illa foliis planis acutissime cuspidatis, nec complicatis obtusis; ab hac spica multo breviore crassiore, spiculis brevissime pedicellatis, foliis planis, nec canaliculatis. Habitus omnino S. albae Sibth. a qua tamen diversa glumellae valva exteriore tridentata nec integra. Affinis quoque S. nitidae Tenor. fl. nap. 3. p. 57. differt culmo laevi, foliis cuspidatis. Spica tamen ut in illa.

140. Sesleria elongata Host Ic. gr. austr. II. p. 69. Fl. austr. 1. p. 139. Vis. stirp. dalm. p. 47. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 35. (excl. syn. Savi et DeCand.) Alsch. fl. jadr. p. 23. Pett. bot. Wegw. n. 868. (excl. syn. DeC.)

S. spica lineari elongata, basi laxa, bracteis glabris subdivisis, spiculis subtrifloris pedicellatis, gluma cuspidata, glumellae valva exteriore tridentato-mucronata, dente medio aristato, foliis rigidis acuminatis canaliculatis margine scabris.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. II. t. 97.

Reichb. Ic. pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 56. f. 1511.

Var. β. montana: culmo abbreviato folia acutissima subaequante.

Hab. in dumetis, collibus, locisque asperis circa Zara, Sebenico, Dernis, Spalato, Brazza, Lesina, Ragusa. Spica nunc coerulescens nunc pallida. Floret aestate. Varietas oritur in saxosis montis Biokovo. Spicam habet caerulescentem, densos constituit caespites et floret Majo. ♃.

141. Sesleria juncifolia Host Ic. gr. austr. v. IV. p. 13. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 35.

S. spica oblonga basi laxa, bracteis ciliatis integris, spiculis subtrifloris pedicellatis confertis, gluma cuspidata flosculis breviore, glumellae valva exteriore 3-5 dentata, dente medio aristato, foliis rigidis cuspidatis canaliculatis junceis, culmo sulcato teretiusculo dimidio brevioribus.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. IV. t. 22.

Reichb. Ic. pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 57. f. 1514.

Hab. in rupestribus montis Biokovo, Promina, et insulae Lissa. Floret Majo. Spica atro-coerulea. ♃.

142. Sesleria interrupta *

S. spica pauciflora elongata interrupta, bracteis integris glabris, spiculis alternis bi-trifloris sessilibus, gluma cuspidata flosculos superante, glumellae valva exteriore tridentata, dente medio aristato, foliis gracilibus filiformibus cuspidatis canaliculatis, culmo setaceo sulcato-triquetro paullo brevioribus.

Icon. nostra Tab. II. f. 1. *a* spicula, *b* flosculus, *c* glumella, *d* bractea.

Hab. in rupestribus loco Turnasa dicto secus flumen Cettina prope Almissa. Floret Aprili. Spica colore paleaceo. ♃.

Descr. Gramen glaucum glabrum sesquipedale. Radix fusca fibris jubata validis Culmi anguloso-triquetri sulcati, basi vagina fibroso-reticulata turgida cum foliis inclusi, ideoque fere bulbosi, undique laeves, erecti graciles. Folia cacanaliculata laevia apice cuspidata, radicalia culmo parum breviora, culmeum brevissimum vel nullum; ligula truncata minima multifido-ciliata. Spica racemosa rara pauciflora, sive ex spiculis 4-6-constans, glabra. Spiculae inferiores bractea lanceolata, vel ovali-lanceolata acuminata scariosa glabra munitae, nitidae, flavescentes, ovatae vel obovatae, bi-triflorae. Glumae valvae bracteis similes, longius acuminatae, glabrae, flosculos superantes. Glumellae valvula exterior oblongo ovata nervosa, nervo medio in aristam, lateralibus in denticulos seu mucrones excurrentibus, margine scariosa, intus basi ciliata, extus glabra; interior oblonga, apice bifida, margine et carina ciliata.

Obs. Affinis S. tenuifoliae Schrad. fl. germ. 1. p. 272. tab. 6, f. 4. a qua tamen videtur differre culmo basi bulboso, recto, enodi, nec basi binis tribusve geniculis intercepto, ut de sua ait cl. Auctor, longitudine foliorum culmum paene adaequantibus, spiculis sessilibus nec distincte pedicellatis ut in illa, et bracteis glumisque glabris, nec apice ciliatis, ut in icone citata. Magis autem differt a S. juncifolia cum qua S. tenuifolia a pluribus consociatur, quaeque distinguitur brevitate et rigiditate culmi foliorumque, bracteis ciliatis, spiculis pedicellatis, spica oblonga compacta, totoque habitu.

Cl. Trachsel in diario botanico Ratisbonensi anni 1830. p. 506. cognominem plantam descripsit. Haec tamen a nostra notis pluribus videtur diversa; et praecipue characteribus culmi loco citato indicatis.

LI. Beckmannia Host.

Icon. gram. Austr. v. III. p. 5.

Char. Flores racemoso-paniculati secundi. Spiculae bifariam imbricatae orbiculatae biflorae. Gluma bivalvis, valvis navicularibus flosculos subaequantibus. Glumella bivalvis valva exteriore oblonga, flosculi superioris mutica, inferioris aristata. Paleolae lanceolatae. Stigmata undique plumosa. Caryopsis libera. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

143. Beckmannia erucaeformis Host l. c. et Fl. austr. 1. p. 113. Reichb. fl. germ. exc. p. 22.

Syn. Phalaris erucaeformis L. sp. pl. 1. p. 80.

Cynosurus erucaeformis Ait. H. Kew. 1. p. 161.

Joachimia phalaroides Tenor fl. nap. t. 1.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. III. t. 6.
Tenor. fl. napol. t. 5.
Reichb.. Icon. pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 25. f. 1402—3.

Hab. prope Dernis in fossa quadam secus viam regiam dextrorsum, nec alibi usque adhuc inventa in Dalmatia. Spiculae ex viridi et albo lineatae. Floret Junio. ♃.

Descr. Gramen hoc elegantissimum altitudinem assequitur bipedalem et tripedalem. Radix fibrosa nec repens. Culmi erecti teretes laeves, nodis crassis interstincti, basi bulbosi. Folia plana tres lineas lata lineari-lanceolata acuta glabra, supra nervosa et retrorsum scaberrima, margine et dorso minus scabra. Ligula membranacea lanceolata acuta. Panicula spiciformis stricta secunda, rachi angulata scabriuscula. Rami alterni secundi dorso rachidi adpressi erecti, demum divergentes, quorum infimi basi duobus tribusve ramulis aucti. Ramos a basi ad apicem ornant spiculae distichae compressae orbiculatae pedicellatae glabriusculae unilaterales. Gluma cujusque spiculae bivalvis, valvis subaequalibus navicularibus, margine albo-scariosis, dorso viridibus lineisque obliquis parallelis pallidis variegatis, flosculos binos fovens, iisdemque tantillo brevior. Glumella quaeque constat valvis duabus, quarum exterior pubescens altero in flore constanter mutica, altero saepius breviter aristata, oblonga concava compressa, interior mutica planiuscula glabra pellucida. Flosculi vel ambo hermaphroditi fertiles, vel altero foemineo sterili. Stamina tria longe exserta glabra, antheris linearibus utrinque bifidis. Stigmata bina plumosa stylo brevi suffulta, glumella paullo longiora. Caryopsis oblongo-ovata: hinc sulcata, inde convexa.

LII. Rottböllia L. fil.

Amoen. acad. X. p. 22. et suppl. p. 13.

Char. Flores arcte spicati in racheos articulatae foveolis immersi. Spiculae uniflorae lanceolatae muticae. Gluma lateralis bivalvis uniflora. Glumella bivalvis membranacea. Paleolae lanceolatae. Stigmata plumosa. Caryopsis birostris libera. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

144. Rottböllia incurvata L. fil. suppl. p. 114. Host fl. austr. 1. p. 112. Alsch. fl. jadr. p. 21.?

R. spica tereti subulata incurvata, glumis trinervibus, foliis planis glabris, culmo diffuso.

Syn. Lepturus incurvatus Trin. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 16.
Aegilops incurvata L. sp. pl. 2. p. 1490.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. I. t. 23.
Sibth. fl. gr. Cent. I. t. 91.
Cavan. Ic. pl. rar. III. t. 213.
Reichb. Ic. pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. II. f. 1333.
Scheuchz. Agrost. tab. II. f. 1. A. B. (spica.)

Hab. in arenosis maritimis prope Lossin circa Zlozella, in insulis Crappano

et Lesina, et prope Ragusa. Spica pallide virens. Floret Majo, Junio. ⊙.

Obs. Planta Florae jadrensis admodum dubia, cum in saxosis montanis provenire dicatur, quod nunquam in planta genuina.

145. Rottböllia pannonica W. En. H. Berol. 1. p. 129. Host fl. austr. I. p. 113.

R. spica tereti subulata recta, gluma bivalvi biflora margine scariosa, foliis planis glabris, culmo diffuso.

Icon. Host gram. austr. tab. 24.
Reichb. Ic. pl. crit. XI. Agrostogr. germ. tab. 3. f. 1336.

Syn. R. biflora Roth n. Beytr. 1. p. 121.
Pholiurus pannonicus Reichb. fl. germ. exc. p. 16.

Hab. locis salsis maritimis circa Trau, ubi legit A. Andrich. Floret aestate. ⊙.

LIII. Psilurus Trin.

Agrost. p. 93.

Char. Flores arcte spicati in racheos filiformis articulatae foveolis immersi. Spiculae uni-biflorae. Gluma uni-bivalvis. Glumella bivalvis, valva exteriore aristata. Stamen unicum. Stigmata bina a basi plumosa. Caryopsis glumellae adnata. — *Cl.* Monandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

146. Psilurus nardoides Trin. l. c. Host fl. austr. 1. p. 112. Reichb. fl. exc. p. 15. Alsch. fl. jadr. p. 2.

Icon. Cav. Ic. rar. 1. tab. 39. f. 1.
Host Ic. gram. austr. 4. t. 39.
Reichb. Ic. pl. crit. XI. Agrostogr. germ. tab. 1. f. 1832.
Boccon. Mus. piant. rar. tab. 57.

Syn. Nardus aristata L. sp. pl. 1. p. 78.
Rottböllia monandra Cav. l. c. p. 27.
Asprella nardiformis Host l. c. p. 17.

Hab. in collibus et pascuis sterilibus circa Zara et Dernis. Floret Majo, Junio. Spica straminea. ⊙.

Obs. Gramen filiforme spica longa flexuosa, spiculis rachidi arcte adpressis, gluma extante. Spiculae nunc omnes uniflorae, nunc inferiores biflorae. Gluma terminalis bivalvis, reliquae univalves. Culmus angulosus. Folia longissima, supra vaginam angustissima involuta brevia, caulem tegentia usque ad exortum spicae.

LIV. Aegilops L.

Gen. pl. ed. II. p. 382.

Char. Flores spicati polygami cum rachide plana continua alterne basi concreti. Spiculae ventricosae ovatae distichae tri-quadriflorae, flosculo intermedio masculo, lateralibus hermaphroditis. Gluma coriacea bivalvis flosculis longior, valvis ventricosis nervosis multi-aristatis. Glumella bivalvis, valva exteriore aristata. Paleolae ovato-lanceolatae. Stigmata undique plumosa. Caryopsis glumellae adnata. — *Cl.* Polygamia. *Ord.* Monoecia. Syst. sex.

147. Aegilops ovata L. sp. pl. 2. p. 1489. Host fl. austr. 1. p. 174. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 17. Alsch. fl. jadr. p. 23. Pett. bot. Wegw. n. 12.

A. spica ovata, spiculis tribus, glumis 3-5-aristatis, aristis glumae illas glumellae subaequantibus.

Icon. Host Ic. gr. austr. II. t. 5.
Sibth. fl. gr. Cent. 1. t. 93.
Lam. Enc. bot. Pl. 839. f. 1.
Reichb. Ic. pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. VIII f. 1353.

Hab. frequens in siccis graminosis, et locis apricis asperis circa Zara, Sebenico, Spalato, Ragusa, nec non in insulis. Spica viridis demum fusca. Floret Majo. ⊙.

148. Aegilops triuncialis L. sp. pl. 2. p. 1489. Host fl. austr. 1. p. 175. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 17. Alsch. fl. jadr. p. 23. Pett. bot. Wegw. n. 13.

A. spica cylindrica, spiculis 4-6, glumis bi-triaristatis, aristis glumae illis glumellae multo longioribus.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. II. f. 6.
Lam. Enc. bot. Pl. 839. f. 3.
Reichb. Ic. pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 1355.

Hab. in siccis et ad margines agrorum simul cum praecedente. Variat calycibus glabris et pubescentibus. Spica virens demum fusca. Floret Majo. ⊙.

LV. Lolium L.

Gen. pl. ed. II. p. 28.

Char. Flores composite spicati. Spiculae tri-multiflorae planae, rachim alterne excavatam margine spectantes. Gluma univalvis exterior. Glumella bivalvis, valvis lanceolatis. Paleolae bidentatae. Stigmata undique plumosa. Caryopsis glumellae adnata. — *Cl.* Trindria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

149. Lolium arvense Wither arrang. brit. pl. III. p. 167. Host fl. austr. 1. p. 178. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 16.

L. spica plana, spiculis oblongis submuticis glumam aequantibus, culmo laevi, radice annua.

Icon. Host Ic. gr. austr. III. t. 25.
Engl. bot. t. 1125.
Reichb. Ic. pl. rar. Cent. XI. tab. IV. f. 1337 — 38.

Hab. ubique in arvis et satis circa Dernis, Sebenico. Spiculae virides. Floret Aprili, Majo. ⊙.

Obs. Spiculae 3-5 florae, inferiores muticae, superiores breviter aristatae. Gluma nunc adpressa, nunc erecto-patens.

150. Lolium subulatum *

L. spica subulata longissima, spiculis oblongo-lanceolatis trifloris muticis gluma adpressa brevioribus, culmo laevi, radice annua.

Icon. nostra Tab. II. f. 1. *a* pars spicae. *b* spicula. *c* flosculus.

Hab. in satis circa Bergato prope Ragusa. D. Neumayer. Floret vere. Spica pallide virens. ⊙.

Descr. Radix fibrosa annua. Culmus a dodrante ad pedem altus, undique laevis, strictus, vaginis foliorum deorsum, spiculis sursum tectus. Folia lanceolato-linearia laevia glabra, ligula oblonga obtusa integra. Spica plantae totius dimidium obtinet, subulata est, sed ex tereti compressiuscula, laevis, et apice obtusa. Spiculae alternae remotae. Gluma lanceolata acuta nervosa. Flosculi tres in quaque gluma alterne axi flexuoso affixi, lanceolati, nervosi, mutici; glumellae valva inferiore integra glabra, superiore apice ciliata utrinque unidentata. Stigmata plumosa.

Obs. Differt a L. stricto Presl. cyp. et gram. sic. p. 46. minori flosculorum numero; et majori glumae longitudine.

151. Lolium robustum Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 139. in add.

L. spica plana, spiculis oblongis sexfloris glumam subaequantibus, flosculis crassis ellipticis breviter mucronato-aristatis, culmo scabro, radice annua.

Syn. L. speciosum Link. Mert. et Koch (nec Bieberst.)

L. arvense var. major asperior Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 16.

Icon. Reichb. Ic. pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. IV. f. 1340.

Hab. in pratis circa Narenta. D. Neumayer, apud quem siccam plantam vidi. Spica virens. Floret aestate. ○.

Obs. Differt ab hoc L. speciosum Bieb. fl. taur. cauc. 1. p. 80. et 3. p. 89, observante cl. Reichenbach: gluma flosculos superante (quod tamen variat etiam in hac specie ex cl. Gussone fl. sic. prodr. 1. p. 152), spiculis angustioribus, omnibus ab invicem remotis, nec infimis approximatis, culmo laevi, foliis duplo latioribus, colore glauco.

152. Lolium temulentum L. sp. pl. 1. p. 122. Vis. stirp. dalm. p. 40. Host fl. austr. 1. p. 178. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 16. Alsch. fl. jadr. p. 23.

L. spica plana, spiculis oblongis sexfloris gluma sub-brevioribus, flosculis crassis ellipticis longe aristatis, culmo superne scabro, radice annua.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. 1. t. 26.

Engl. bot. t. 1124.

Lam. Enc. bot. Pl. 48. f. 2.

Reichb. Ic. pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. V. f. 1342—44.

Illyr. Ljulj, Uljka, Vrat.

Hab. copiose inter segetes totius Dalmatiae. Floret a Majo in aestatem. Spica virens. ⊙.

Vires. Pani immixtum temulentiam, vertigines, artuum tremores, ebrietatem, gastrodyniam et plura alia veneficii symptomata comedentibus gignit, quibus medetur larga aquae potio aceto vel succo citreo acidulatae.

153. Lolium perenne L. sp. pl. 1. p. 122. Vis. stirp. dalm. p. 40. Host fl. austr. 1. p. 177. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 16. Alsch. fl. jadr. p. 23. Pett. bot. Wegw. n. 566.

L. spica plana, spiculis oblongis suboctofloris muticis gluma brevioribus, culmo laevi, radice perenni.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. I. t. 25.
Lam. Enc. bot. Pl. 48. f. 1.
Engl. bot. t. 315.
Reichb. Ic. pl. crit Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. VI. f. 1346.
Leers. fl. herborn. t. XII. f. 1. sup.

Var. β. ramosum: spica ramosa, spiculis multifloris.

Icon. Leers fl. herborn. t. XII. f. 1. inf.

Hab. species ubique in pratis, agris, et locis herbidis, varietas locis iisdem pinguioribus circa lacum Morinje prope Sebenico. Floret aestate. Spica viridis. ♃.

LVI. Triticum L.

Gen. pl. ed. II. p. 28.

Char. Flores composite spicati. Spiculae tri-multiflorae rachim alterne dentatam facie spectantes. Gluma et glumella lanceolatae bivalves. Paleolae ovatae integrae. Stigmata plumosa. Caryopsis glumellae adnata vel libera. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

* Spiculis sessilibus brevibus arcte spicatis.

154. Triticum vulgare Vill. hirt. des pl. du Dauph. 2. p. 153. Host fl. austr. 1. p. 182. Reichb. fl. exc. germ. 1. p. 21. Alsch. fl. jadr. p. 22.

T. spica compacta spiculis quadrifloris, glumae valvis truncatis mucronatis, glumellis ventricosis, rachi tenaci margine pilosa.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. III. t. 26.

Var. α. aestivum L. sp. pl. 1. p. 126. Vis. stirp. dalm. p. 50.
T. v. spiculis glabris aristatis.

Icon. Blakw. herb. t. 40. f. 4. 5.
Lam. Enc. bot. Pl. 49. f. 2.

Illyr. Jahri Psenizza.

Var. β. hybernum L. sp. pl. 1. p. 126. Vis. stirp. dalm. p. 50.
T. v. spiculis laevibus muticis.

Icon. Blackw. herb. t. 40. f. 1. 2. 3.
Lam. Enc. bot. Pl. 49. f. 1.

Illyr. Ozimi. Ozima psenizza.

Colitur in agris totius Dalmatiae ob oeconomicos usus cuique notissimos. Floret Majo, Junio. Spica viridis vel glauca demum paleacea, aristis concoloribus vel nigricantibus. ⊙.

155. Triticum monococcum L. sp. pl. 1. p. 127. Reichb. fl. exc. 1. p. 22. Alsch. fl. jadr. p. 22.

T. spica densa compressa nitida, spiculis trifloris, glumae valvis tridentatis, flosculo unico aristato fertili, rachi fragili glabra.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. III. t. 32.
Dodon. hist. frum. p. 34. ic.

Colitur in Dalmatia praesertim montana. Floret Majo, Junio. Spica virens demum flavescens. ○.

156. Triticum Spelta L. sp. pl. 1. p. 127. VIS. stirp. dalm. p. 50. REICHB. fl. germ. exc. 1. p. 21. ALSCH. fl. jadr. p. 22. (non HOST.)

T. spica laxa imbricata spiculis sub-quadrifloris, glumis truncatis cuspidatis, flosculis lateralibus fertilibus, rachi fragili margine glabra.

Syn. T. Zea HOST Ic. gr. austr. v. III. p. 20.

Icon. HOST Ic. gr. austr. v. III. t. 29.

Illyr. Pir ozimi.

Colitur in tota Dalmatia. Spica glauca vel viridis. Floret Majo. ⊙.

Usus. Semina hujusce graminis decorticata inter juscula locum obtinent, et premente egestate etiam ad panificia adhibentur.

Obs. T. Spelta HOST Ic. gr. austr. v. III. t. 30. ad T. diccocum SCHRANK a recentioribus amandatur, una cum T. atrato ejusdem auctoris.

157. Triticum villosum BIEBERST. REICHB. fl. germ. exc. 1. p. 22. ALSCH. fl. jadr. p. 22.

T. spica compacta spiculis trifloris, flosculo medio pedicellato sterili, glumis obovato-emarginatis longissime aristatis fasciculato-ciliatis, rachi fragili articulata margine pilosa.

Syn. Secale villosum L. sp. pl. 1. p. 124. HOST fl. austr. 1. p. 176. REICHB. Ic. pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. 24. f. 1399.

Icon. HOST Ic. gr. austr. v. II. t. 47.
SIBTH. fl. gr. Cent. I. t. 97.

Hab. ad agrorum margines, et in arvis locisque sterilibus circa Zara, Sebenico, Spalato, Ragusa, Cattaro, nec non in insulis Dalmatiae, et locis montanis. Floret Junio. Spica viridis albo colore variegata. ⊙.

158. Triticum repens L. sp. pl. 1. p. 128. VIS. strip. dalm. p. 50. HOST fl. austr. 1. p. 179. PETT. bot. Wegw. n. 976.

T. spica laxe imbricata compressa disticha rigida, spiculis sub-5-floris, glumae valvis sub-5-nervibus flosculisque muticis, foliis planis supra scabris, radice repente.

Syn. Agropyrum repens BEAUV. REICHB. fl. exc. 1. p. 20.

Icon. HOST Ic. gr. austr. v. II. t. 20.
REICHB. Ic. pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XX. f. 1384.
Engl. bot. t. 909.

Illyr. Troskot.

Hab. ad sepes, in agris arenosis, locis sterilibus totius Dalmatiae nimis frequens. Spica viridis vel cum tota planta glaucescens. Floret aestate. ♃.

Usus. Species haec genuinam radicem praebet Graminis officinarum verno tempore colligendam, cui virtus eadem tribuitur, immo fortior ac in Digitaria Dactylo, quam confer. Paratur decoctum ex unciis duabus ad quatuor radicis hujus in aquae libris duabus ad consumptionem dimidii, nec non extractum.

159. Triticum pungens PERS. syn. 1. p. 109.

T. spica aequali rigida, spiculis subseptemfloris remotis, glumae valvis quinquenervibus flosculisque muticis, foliis basi planis, apicem versus involuto-pungentibus, supra scaberrimis, glaucescentibus, radice repente.

Icon. REICHB. Ic. pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XXII. f. 1392.

Syn. Agropyrum pungens R. S. Syst. veg. gen. 347. sp. 7. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 20.

Hab. ad rupes maritimas circa Spalato, nec non in arenosis circa lacum salsum di Morinje prope Sebenico. Floret Majo, Junio. Totum glaucum. ♃.

Obs. Huic, nisi praecedenti, referendum est T. junceum Fl. jadr. p. 22, quod verum hactenus in Dalmatia non vidi. Huius veri figuram conf. apud. Rchb. l. c. ic. 1394.

160. Triticum caninum L. sp. pl. ed. 1. p. 86. Host fl. austr. 1. p. 181.

T. spica disticha nutante subtereti, spiculis 3-5-floris remotis, glumae valvis subtrinervibus muticis, flosculis aristatis, foliis planis supra scaberrimis radice fibrosa perenni.

Syn. Elymus caninus L. sp. pl. 1. p. 124.
Agropyrum caninum R. S. syst. veg. gen. 347. sp. 12. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 20.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. II. t. 25.
Engl. bot. t. 1372.
Reichb. Ic. pl. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XIX. f. 1381.

Hab. ad sepes et in dumetis circa Dernis, Verlika. Floret Majo, Junio. Spica virens. ♃.

161. Triticum loliaceum Sm. fl. brit. 1. p. 159. Host fl. austr. 1. p. 182. Pett. bot. Wegw. n. 775.

T. pusillum, spica unilaterali rigida basi subramosa, rachi incrassata, spiculis 5-7-floris approximatis, glumae valvis trinervibus flosculisque muticis, foliis convolutis laevibus, culmo adscendente basi ramoso.

Syn. T. unilaterale Host Ic. gr. austr. v. II. p. 21.
Catapodium loliaceum Link, Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 19.

Icon. Engl. bot. t. 221.
Host Ic. gr. austr. II. t. 27.
Roem. fl. europ. fasc. X. ic.
Vivian. fl. ital. fragm. I. t. XXIII. f. 1.
Reichb. Pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XV. f. 1370.

Hab. in siccis, et in arenosis maritimis prope Zlosella, in insula Crappano prope Sebenico, circa Spalato, in insula Curzola loco dicto alla Badia, et prope Ragusa. Floret Majo. Spica pallide virens. ⊙.

** Spiculis racemosis elongatis breviter pedicellatis.

162. Triticum ciliatum DeC. fl. fr. 3. p. 85. Alsch. fl. jadr. p. 22.

T. spica rigida spiculis subgeminis lanceolatis multifloris, infimis brevissime pedicellatis, flosculis aristatis ciliatis aristis valva acuminata duplo longioribus, foliis planis pilosis, culmo basi geniculato, radice fibrosa annua.

Syn. Bromus distachyos L. sp. pl. p. 115. Host Ic. gr. austr. 1. p. 16. et fl. austr. 1. p. 172.
Trachynia distachya Link H. Ber. 1. p. 43. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 19.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. I. t. 20.
Reichb. Pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XIV.
Gerard. fl. galloprov. t. 3. f. 1.

Hab. in asperis siccis apricis sirca Zara, Sebenico, Spalato, Ragusa, et in insulis. Floret Aprili, Majo. Spiculae virentes, saepius binae, non raro ternae vel quaternae, rarius unica, cujus formae specimina sistunt Festucam monostachyam DESF. fl. alt. 1. p. 92. t. 24. f. 2. ⊙.

Obs. Glumellae valva exterior tum in hoc tum in T. sylvatico in aristam attenuatur, hinc genere sejungi nequeunt. Arista autem in hoc et sequentibus ex glumellae apice nunc retuso nunc acuto constanter oritur saltem apud nos, nec infra apicem incipit: hinc Trachyniae genus hoc unico nec sufficienti nec constanti charactere distinctum a Triticis hujusce sectionis minime separandum.

163. Triticum sylvaticum MOENCH meth. no. 103. SPR. syst. veg. 1. p. 326.

T. spica subnutante, spiculis pluribus lanceolatis multifloris pedicellatis erectis, flosculis aristatis ciliatis aristis glumella acuta longioribus, foliis planis vaginisque pilosis, culmo recto, radice fibrosa perenni.

Syn. Bromus gracilis WEIG. WILLD. sp. pl. 1. p. 428.

B. sylvaticus POLL. hist. pl. palat. 1. p. 118. HOST Ic. gr. austr. 1. p. 17. et fl. austr. 1. p. 172.

Brachypodium gracile BEAUV. REICHB. fl. germ. exc. 1. p. 19.

Icon. HOST Ic. gr. austr. v. I. t. 21.

Engl. bot. t. 729.

REICHB. Pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XVI. f. 1373 — 75.

Hab. ad sepes et in dumetis in Zagarie prope Dernis, et circa Sign. Floret Majo, Junio. Spiculae virides nunc glabrae nunc pubescentes. ♃.

164. Triticum pinnatum MOENCH, SPR. syst. veg. 1. p. 325.

T. spica erecta, spiculis pluribus lanceolatis multifloris pedicellatis demum patentibus, flosculis aristatis ciliatis, aristis glumella retusa brevioribus, foliis planis, culmo basi ramoso, radice repente.

Syn. Bromus pinnatus L. sp. pl. 1. p. 115.

Brachypodium pinnatum BEAUV. REICHB. fl. exc. 1. p. 19.

Var. α. glabrum spiculis foliisque glabris.

Syn. B. rupestris HOST Ic. gr. austr. v. IV. p. 10. Fl. austr. I. p. 173.

Icon. HOST Ic. gr. austr. IV. t. 17.

REICHB. Pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XVI. f. 1376.

Var. β. pubescens spiculis pubescentibus, foliis ciliatis.

Syn. Bromus pinnatus HOST Ic. gr. austr. I. p. 18. Fl. austr. 1. p. 173. PETTER bot. Wegw. n. 159.

Icon. HOST Ic. gr. austr. I. t. 21.

Engl. bot. t. 730.

REICHB. Pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XVII. f. 1376.

LEERS fl. herborn. t. X. f. 3.

Hab. in dumetis, ad sepes, locis sylvaticis prope Dernis, Verlika, Clissa, Salona. Floret Majo, Junio. Spiculae virides. ♃.

165. Triticum ramosum *

T. spica erecta, spiculis subternis lanceolatis multifloris pedicellatis erectis,

flosculis aristatis ciliatis, aristis glumella retusa brevioribus, foliis glaucis angustis patentibus involutis rigidis, culmo ramoso, radice repente.

Syn. Bromus Plukenetii Host. Ic. gr. austr. IV. p. 11.

Pett. bot. Wegw. n. 160.

B. ramosus Host fl. austr. 1. p. 174. Sibth. fl. gr. 1. p. 66. an L.?

B. retusus Pers. syn. pl. 1. p. 196. Vis. stirp. dalm. p. 28.

Brachypodium Hostii Link Enum. I. p. 40. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 20.

Triticum caespitosum Alsch. fl. jadr. p. 22. an DeC.?

Icon. Host Ic. gr. austr. v. IV. t. 19.

Sibth. fl. gr. Cent. I. t. 84.

Reichb. Pl. crit. Cent. XI. Agrostogr. germ. tab. XVIII. f. 1379.

Hab. in sterilibus saxosis calcareis, et in fruticetis et vineis Dalmatiae totius litoralis et insularis. Totum glaucum, spica flavida. Floret Majo, Junio. ♃.

Obs. Species hujusce sectionis a Bromis discrepant spiculis spicatis nec paniculatis, gluma corollina exteriore integra quandoque retusa, nunquam vero emarginata, apice nec infra apicem aristata, paleolis ovatis nec lanceolatis; a Festucis itidem inflorescentia spicata, glumellae valva interiore obtusa truncata nec utrisque acuminatis, paleolis ovatis nec oblongis. Festucis tamen affiniores videntur ac Bromis, et inter utraque genera fere mediae. Ex hac observatione ortum est, hisque speciebus componitur genus Brachypodium cl. Beauvois, quod etiamsi species comprehendat habitu admodum similes, ideoque sat naturale videatur, certis bonisque notis adhucdum caret, quibus ab affini Tritico discriminetur, nam racheos intervalla plus minusve plana vel excavata, spiculae omnino sessiles vel subsessiles parvi sane momenti discrimina exhibent, nec pro novo genere statuendo sufficiunt. Quoad aristae exortum terminalem, vel infra apicem, confer quae diximus sub T. ciliato.

Hinc etiam Triticis accensendum putavimus Bromum ramosum Hostii et Sibthorpii, qui ex prioris auctoris verbis, et ex iconum utriusque comparatione, unicam speciem sistunt, ab icone Festucae caespitosae Desf. fl. atl. t. 24. habitu alienam, a B. caespitoso Host Ic. gr. IV. t. 18. foliis non villosis, culmo ramoso; a B. Pluckeneti All. ped. 2. p. 250. valva glumellae exteriore multinervi nec trinervi, foliis tenuioribus aliisque notis diversam, quas conf. in Reichb. fl. germ. exc. p. 20. et 140. et in eius Agrostographia germanica.

Num huc quoque pertineat Bromus ramosus L. mant. p. 34. extricatu difficile ob spiculas ab immortali Viro sessiles dictas, et in nostro distincte pedicellatas. Icon Sibthorpi optima.

LVII. Secale L.

Gen. pl. ed. II. p. 28.

Char. Flores composite spicati. Spiculae biflorae, rachin pilosam facie spectantes. Gluma bivalvis aequalis acuminato-aristata flosculis brevior. Paleolae ovales. Stigmata plumosa. Caryopsis libera. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex.

166. Secale cereale L. sp. pl. 1. p. 124. Vis. stirp. dalm. p. 47. Host fl. austr. 1. p. 177. Reichb. fl. germ. exc. 1. p. 22. Alsch. fl. jadr. p. 22.

S. rachi tenaci continua, glumis ciliatis, radice annua.

Icon. Host Ic. gr. austr. v. II. t. 48.
Lam. Enc. bot. Pl. 49.

Illyr. Rox, Ozimiza.
Colitur in Dalmatia praecipue montana, et illic sponte occurrit ad sepes et vias agrestes. Floret Majo, Junio. Spica virens. ⊙.

Usus. Seminum hujusce graminis farina nutrit, et pro pane conficiendo, tritico deficiente, adhibetur. Panis hujus fermentum pro sinapismis inservit.

167. Secale dalmaticum. *
S. rachi fragili articulata, glumis glabris, radice perenni.

Hab. in dumetis montis Villebith, nec non montis illius cui superstructa est arx St. Johannis supra Cattaro. Floret Julio. Spica pallide virens demum paleacea. ♃.

Descr. Gramen ulnae altitudinem assequens, interdum superans, radice fibrosa perenni, culmis saepe pluribus erectis nodosis simplicibus glabris laevibus; foliis latis lanceolato-linearibus glaucis, margine et facie scabriusculis, ligula lata abbreviata obtusa, erosa vel integra; spica terminali elongata compressa dense imbricata, rachi utrinque pilosa, spiculis bifloris, glumae valvis lineari-acuminatis, superne in brevem aristam attenuatis, glumellae lanceolatis, valva exteriore arista ipsi aequali vel longiore munita, carina ciliata, interiore complicata mutica bicarinata, apicem integrum versus margine membranacea, brevissime ciliata. Antherae tres lineares filamentis longiores. Stigmata bina plumosa, stylo brevissimo. Cariopsis (immatura) subprismatica basi acuta, apice obtusa villosa. Differt a Secale fragili Bieberst. quae Secale sylvestris Host gluma acuminata nec longissime aristata, flosculis breviore nec longiore, glumellae valva interiore apice integra nec bifida, culmo undique glabro nec apice pubescente. Affinior S. montano Gusson. ind. sem. H. Boccadif. 1825 p. 11, at differt foliis multo latioribus, spiculis duplo majoribus, bifloris nec cum flosculo intermedio abortivo glumis aristatis, glumellis brevissime ciliatis. Conf. cl. Bertolonii Fl. ital. I. p. 794.

LVIII. Hordeum L.

Gen. pl. ed. II. p. 29.

Char. Flores composite spicati polygami. Spiculae distichae alternae triflorae Gluma cuique flosculo involucri formis bitrivalvis, valvis setaceis. Glumella bivalvis, valva exteriore apice aristata. Paleolae obovatae conniventes. Stigmata plumosa. Caryopsis glumellae adnata. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Digynia. Syst. sex. —

168. Hordeum vulgare L. sp. pl. 1. p. 125. Vis. stirp. dalm. p. 37. Host. fl. austr. 1. p. 110. Reichb. fl. exc. 1. p. 18.
H. spica subcompressa flosculis omnibus| hermaphroditis aristatis quadrifariis, seriebus duabus erectioribus, radice fibrosa annua.

Icon. Host. Ic. gr. austr. III. t. 34.
Dodon. hist. frum. p. 54.
Lam. Enc. bot. Pl. 49.

Illyr. Jeaeam. Xitto. Ozimaz.
Colitur in tota Dalmatia, cum ex ejusdem seminibus panem vulgatiorem conficiant rustici. Oritur etiam huc illuc sponte ad agrorum margines. Floret Majo. Spica glauco-virens, demum paleacea. ⊙.

Usus. **E seminibus Hordei praeter panem, paratur decoctum mucilaginosum demulcens, ideoque in morbis faucium et pectoris opportunissimum; paratur etiam cerevisia, vulgo birra; extrahi potest acetum fermentatione, alcohol destillatione.**

169. Hordeum bulbosum L. sp. pl. I. p. 125. Host. fl. austr. I. p. 107. Reichb. fl. exc. I. p. 18. Alsch. fl. jadr. p. 18. Pett. bot. Wegw. no. 483.

H. spica compressa, flosculis bifariis, intermedio aristato fertili, lateralibus sterilibus muticis, radice tuberosa perenni.

Syn. H. strictum Desf. fl. atl. I. p. 113. Pett. bot. Wegw. no. 485.

Icon. Sibth. fl. gr. Cent. I. t. 98.
Desf. fl. atl. I. t. 37.
Host. Ic. gr. austr. v. IV. t. 13.
Reichb. Pl. crit. Cent. XI. tab. XII. f. 1365.

Hab. ad sepes et margines agrorum et viarum circa Zara, Sebenico, Salona, Ragusa. Floret Majo, Junio. Spica pallide virens. ♃.

Obs. **In planta nostra spicae rachis fragilis margine ciliato-scabra; glumae trisetae, setis exterioribus longioribus scabris, interiori multo breviore; flosculi laterales pedicellati masculi (nec neutri) mutici, antheris caeruleo-violaceis; glumae seta interiori inaequaliter pilosa; intermedius foemineus (nec hermaphroditus) sessilis, stigmatibus plumosis, valva exteriore glumellae apice in aristam longam producta, interiore mutica; glumae seta interiori subulata glabra.**

170. Hordeum murinum L. sp. pl. I. p. 214. Vis. stirp. dalm. p. 37. Host. fl. austr. I. p. 107. Reichb. fl. exc. I. p. 18. Alsch. fl. jadr. p. 18. Pett. bot. Wegw. n. 484.

H. spica compresso-tereti, flosculis bifariis, omnibus aristatis, lateralibus sterilibus, glumae valvis exterioribus setaceis scabris, intimis lineari-lanceolatis ciliatis, radice fibrosa annua.

Icon. Host. Ic. gr. austr. v. I. t. 32.
Fl. dan. t. 629.
Engl. bot. t. 1971.
Reichb. Pl. crit. Cent. XI. tab. XI. f. 1362.

Illyr. Vlasulja Stoklasa.

Hab. ad vias, in ruderatis, ad muros totius Dalmatiae. Floret Majo, Junio. Spica viridis. ⊙.

171. Hordeum pratense Huds. fl. angl. I. p. 56. Reichb. fl. exc. I. p. 18.

H. spica compressa, flosculis bifariis omnibus aristatis, lateralibus sterilibus, glumae valvis omnibus setaceis scabris, radice fibrosa perenni.

Syn. H. Secalinum Schreb. spic. fl. lips. p. 148. Host. Ic. gr. austr. I. p. 26. Fl. austr. 1. p. 108.

H. murinum β. Linn. sp. pl. 1. p. 126.

Icon. Engl. bot. t. 409.

Host. Ic. gr. austr. v. I. t. 33.

Reichb. Pl. crit. Cent. XI. tab. XI. f. 1363.

Hab. in pratis et ad fossas prope Dernis, circa lacum Morinje prope Sebenico, et circa Salona.

172. Hordeum maritimum With. syst. arrang. brit. pl. 3. p. 172. Host. fl. austr. 1. p. 108. Reichb. fl. exc. 1. p. 18.

H. spica compressa flosculis bifariis, omnibus aristatis, lateralibus sterilibus, glumae valvis scabris, intima flosculorum lateralium semi-lanceolata, reliquis setaceis, radice fibrosa annua.

Syn. H. geniculatum Allion. fl. ped. II. p. 259.

Icon. Engl. bot. t. 1205.

Allion. fl. ped. t. 91. f. 3.

Host. Ic. gr. austr. v. 1. f. 34.

Reichb. Pl. crit. Cent. XI. tab. XI. f. 1364.

Hab. ad vineas et in graminosis circa Sebenico, in pratis circa Salona. Floret Majo. Spica pallide virens, demum fuscescens. ⊙.

173. Hordeum distichon L. sp. pl. 1. p. 125. Host. fl. austr. 1. p. 109. Reichb. fl. exc. 1. p. 18. Alsch. fl. jadr. p. 18.

H. spica plana disticha, flosculo intermedio fertili adpresso longissime stricte aristato, lateralibus sterilibus obtusis muticis, radice fibrosa annua.

Icon. Host. Ic. gr. austr. III. t. 36.

Illyr. Pir noktas.

Colitur frequens cum aliis cerealibus et iisdem inservit usibus. Floret aestate. Spica viridis. ⊙.

Ordo VI. CYPEROIDEÆ.

Juss. gen. pl. p. 26.

Flores glumacei hermaphroditi aut unisexuales, spicati et tunc singuli sessiles in axilla bracteolae vel glumae, raro solitarii in gluma bivalvi aut multivalvi. Perianthium (Perigynium) vel nullum (flores nudi), vel utriculare apice pervium, vel e setis hypogynis conflatum. Stamina tria, raro unum vel duo, hypogyna, antheris erectis connectivo destitutis. Stylus unicus stigmatibus tribus binisve, interdum bifidis, ovario libero uniovulato. Carcerula saepius trigona, raro complanata, quibusdam styli basi rostrata. Semen liberum, albumine farinaceo, embryone in basi axis albuminis posito, centrico.

Herbae annuae, aut rhizomate perennantes, aut tuberosae, culmo simplicissimo, basi foliato aut vaginato, raro ramoso foliato, foliis alternis simplicibus vaginantibus, ligula nulla. Spicae solitariae, aut fasciculatae aut umbellatae aut spicatae aut capitatae, saepius bracteatae.

Clavis analytica generum.

1 Floribus hermaphroditis Vide No.	2	Floribus unisexualibus **Carex**.	
2 Glumis distichis	3	Glumis undique imbricatis	5
3 Perianthio nullo	4	Perianthio setoso **Blysmus**.	
4 Spicis uni-trifloris **Schoenus**.		Spicis multifloris **Cyperus**.	
5 Carcerula sicca	6	Carcerula drupacea **Cladium**.	
6 Stylo basi filiformi deciduo . .	7	Stylo basi bulbosa persistente **Heleocharis**.	
7 Perianthio nullo	8	Perianthio setoso **Scirpus**.	
8 Stylo tripartito	9	Stylo bipartito **Dichostylis**.	
9 Floribus spicatis **Isolepis**.		Floribus globoso-capitatis **Holoschoenus**.	

LIX. Carex L.

Gen. pl. ed. II. p. 342.

Char. Flores monoici spicati imbricati, singuli bracteola suffulti. Perianthium utriculare apice pervium persistens. Stamina tria. Stigmata bina vel terna. Carcerula perianthio tecta. — *Cl.* Monoecia *Ord.* Triandria Syst. sex. —

* Stigmatibus binis, carcerula complanata.

Vignea Beauv. Reichb. flor. exc. p. 55. Nees Gen. pl. fasc. IX.

174. Carex divulsa Good. trans of linn. soc. II. p. 60. Host. fl. austr. 2. p. 582. Alsch. fl. jadr. p. 221. Pett. bot. Wegw. n. 204.

C. spica subramosa laxa elongata, spiculis androgynis sessilibus ovatis alternis superne masculis, supremis approximatis, infimae bractea elongata angustissima, fructibus ovatis plano-convexis enerviis bidentatis laevi-marginatis erectiusculis, bracteolis ovatis acutis.

Syn. Vignea divulsa Reichb. flor. exc. p. 59.

Icon. Schk. hist. des car. tab. DD. et W. w. n. 89.
Micheli nov. gen. pl. t. 33. f. 10.
Engl. bot. t. 629.

Hab. ad sepes et locis umbrosis circa Zara, Sebenico, Dernis, Spalato, Ragusa et in insula Lesina. Spiculae flavo-virentes, aut virides. Fl. Majo. ♃.

175. Carex muricata L. sp. pl. 2. p. 1382. Host. flor. austr. 2. p. 581.

C. spica subcylindrica, spiculis androgynis sessilibus ovatis confertis superne masculis, fructibus stellatim divergentibus plano-convexis ovato-acuminatis bidentatis obsolete nervosis ciliato-serratis, bracteolis ovatis cuspidatis.

Syn. Vignea muricata Reichb. fl. exc. p. 57. Nees. loc. cit.

Icon. Host. Ic. gr. aust. 1. t. 54.
Engl. bot. t. 1097.
Nees. loc. cit. fig. 1—10.
Scheuchz. Agrost. t. XI. f. 5.

Hab. in graminosis et ad sepes circa Sebenico et Dernis. Spicularum bracteolae ferrugineae. Fl. Aprili, Majo. ♃.

Obs. C. divulsa, muricata et virens tam parvis notis, nec constantibus, ab invicem distinguuntur, ut rectius unam eamdemque speciem constituere videantur. Huc quoque et praesertim C. divulsae pertinere arbitror C. nemorosam dalmaticam Link H. berol. 2. p. 327. non Rebent.

176. Carex vulpina L. sp. pl. 2. p. 1382. Host. fl. austr. 2. p. 583. Alsch. flor. jadr. p. 221. Pett. bot. Wegw. n. 310.

C. spica oblonga ramosa compacta, spiculis androgynis sessilibus ovatis congestis superne masculis, fructibus patentibus compresso-triquetris ovato-acuminatis bidentatis nervosis, margine apicis scabris, bracteolis ovatis cuspidatis, culmi angulis membranaceis.

Syn. Vignea vulpina Reichb. fl. exc. p. 59.

Icon. Host. Ic. gr. austr. I. t. 56.
Engl. bot. t. 307.
Schk. hist. des Car. tab. C. f. 10.
Leers. fl. herb. t. 14. f. 15.

Hab. ad fossarum margines et sepes humidas totius Dalmatiae. Flor. Apr., Majo. Spiculae ferrugineae. ♃.

177. Carex divisa Good. trans. of linn. soc. II. p. 157. Host. fl. austr. 2. p. 576. (err. 676.). Alsch. fl. jadr. p. 221.

C. spica abbreviata compacta, spiculis androgynis sessilibus oblongis alternis congestis superne masculis, basi bracteatis, fructibus erectis ovatis convexo-concavis bidentatis nervosis scabro-marginatis, bracteolis ovatis mucronatis.

Syn. C. schoenoides Host. flor. austr. 2. p. 576. ic. gr. 1. p. 35.
Vignea divisa Reichb. fl. exc. p. 58.

Icon. Schk. hist. des car. tab. D. n. 18.
Engl. bot tab. 1096.
Host. Ic. gr. austr. 1. tab. 45.

Hab. in arenosis siccis in Insula Ossero, et circa Zara, Dernis, Salona, Ragusa. Spiculae ferrugineae. Flor. Majo, Junio. Rhizoma articulatum repens. ♃.

Obs. Differentiae adductae a cl. Koch in Syn. fl. helv. et germ. p. 750. C. schoenoidem a divisa minime distinguunt, nam fructus in utraque ovatos et nervosos esse ex ipsius Hostii descriptione et icone luculenter evincitur.

* * stigmatibus ternis, carcerula subtrigona.

Carex BEAUV. REICHB. fl. exc. p. 61. NEES. Gen. pl. fasc. IX.

178. Carex Linkii SCHK. hist. des Car. W. sp. pl. IV. p. 223. (1805). REICHB. fl. exc. p. 62. ALSCH. fl. jadr. p. 221. PETT. bot. Wegw. n. 208. (excl. syn.)

C. spicis alternis subternis distantibus androgynis sessilibus linearibus superne masculis, infima pedunculata, fructibus ovato-triquetris binervibus laevibus, utrinque acuminatis, apice subbifidis, bracteolis oblongo-lanceolatis in fructu patulis, bractea basilari foliacea.

Syn. C. gynomane BERTOL. rar. pl. ital. dec. II. ed. I. p. 43. (1806.)
C. tuberosa LOIS. fl. gall. II. p. 629.

Icon. SCHK. loc. cit. t. Bbb. f. 117—118.

Hab. in collibus, et graminosis circa Sebenico, Ragusa, et in montibus Velebith et Biokovo. Fl. Apr. Majo. Spicularum bracteolae margine ferrugineae. ♃.

Obs. Nomen SCHKUHRII prioritatis jure caeteris anteferendum.

179. Carex alpestris ALLION. fl. ped. II. p. 270. REICHB. fl. exc. p. 65. ALSCH. fl. jadr. p. 222.

C. spica mascula solitaria tereti pedunculata, foemineis ternis bi-quinquefloris, binis approximatis subsessilibus, infima radicali longissime pedunculata, fructibus obovato-triquetris apice inaequaliter bidentatis multinervibus laevibus, bracteolis ovalibus mucronatis, bractea basilari setacea.

Syn. C. diversiflora HOST. ic. gr. austr. I. p. 53. fl. austr. 2. p. 593.
C. gynobasis VILL. hist. des pl. du Dauph. 2. p. 206. SCHK. hist. des Car. p. 92.

Icon. HOST. ic. gr. austr. 1. t. 70.
SCHK. loc. cit. tab. G. n. 35.

Hab. in collibus et locis asperis insulae Cherso, circa Zara, Sebenico et Salona. Flor. Apr. Majo. Spicae dilute ferrugineae. ♃.

180. Carex digitata L. sp. pl. p. 1384. HOST. fl. austr. 2. p. 587. REICHB. fl. exc. p. 63.

C. spica mascula tereti solitaria, foemineis subternis pedunculatis linearibus demum distantibus, fructibus obovato-triquetris apice emarginatis binervibus pubescentibus nitidis, bracteolis obovato-truncatis, bractea basilari spathaeformi margine membranacea.

Icon. HOST. Ic. gr. austr. I. tab. 60.
Engl. bot. t. 615.
SCHK. l. c. tab. H. n. 38.
MICHEL. nov. gen. pl. t. 32. f. 9.
LEERS fl. herborn. t. XVI. f. 4.

Hab. in sylvaticis montium circa Verlika. Floret Martio, Aprili. Spicae pallide ferrugineae. ♃.

Obs. Spica mascula sessilis proxima foeminea pedunculata brevior est, hinc potius lateralis quam terminalis videtur. C. ornithopoda W. ab hac aegre et vix quidem distinguitur.

181. Carex humilis Leyss. fl. hal. p. 235. Host. fl. austr. 2. p. 588. Reichb. fl. exc. p. 63.

C. spica mascula oblonga solitaria pedunculata, foemineis ternis remotis subtrifloris incluse breviterque pedunculatis, fructibus obovato-triquetris hirsutis tristriatis brevissime rostratis subintegris, bracteolis scariosis oblongis obtusis, inferioribus majoribus, bractea basilari vaginante setaceo-mucronata obtusa, margine membranacea.

Syn. C. clandestina Gooden. Trans. of Linn. soc. II. p. 167. W. sp. pl. IV. p. 254. Schk. hist des Car. p. 104.

Icon. Host Ic. gr. austr. 1. t. 67.
Engl. bot. t. 2124.
Schk. l. c. tab. K. n. 43.
Michel. nov. gen. pl. XXXII. f. 8.

Hab. in herbidis montis Biokovo ubi legit Tommasini. Fl. Majo. Spicae ex albo et ferrugineo variae. ♃.

182. Carex verna Vill. hist des pl. du Dauph. 2. p. 204. (nec Schkr.). Pett. bot. Wegw. n. 209.

C. spica mascula subclavata pedunculata solitaria, foemineis geminis approximatis oblongis subsessilibus, fructibus obovato-trigonis pubescentibus integris, bracteolis ovatis acutis, bractea basilari setacea basi dilatato-vaginante scariosa.

Syn. C. praecox Jacq. fl. austr. t. 446. Schkr. l. c. p. 87. Host. fl. austr. 2. p. 591. Reichb. l. c. p. 64. Alsch. fl. jadr. p. 222.
C. filiformis Leers fl. herb. p. 204. (nec L.).

Icon. Host. Ic. gr. austr. 1. t. 68.
Engl. bot. t. 1099.
Schk. l. c. tab. J. n. 27.
Leers. l. c. tab. XVI. t. 5.

Hab. in pratis et collibus circa Zara, Dernis, Sebenico, Spalato, Clissa et Ragusa. Fl. Martio, Aprili. Spicae ferrugineae. ♃.

LX. Blysmus Panz.

In R. et Sch. syst. veg. mant. 2. p. 41.

Char. Flores hermaphroditi bracteolati in spicam compositam terminalem distiche imbricati, spiculis multifloris bractea suffultis. Perianthium e setis hypogynis subsenis. Stamina tria. Stylus filiformis bipartitus. Carcerula in styli basim teretem articulatam attenuata. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Monogynia. Syst. sex.

183. Blysmus compressus Panz. l. c. Reichb. fl. exc. p. 74.

B. culmo angulato, spiculis 6—8 floris, foliis planiusculis subtus carinatis.

Syn. Carex uliginosa L. sp. pl. 1381 et Mant. alt. p. 494.
Schoenus compressus L. l. c. 65 et Mant. alt. p. 311.
Scirpus compressus Pers. syn. pl. I. p. 66.
S. Caricis Retz prodr. p. 16. W. sp. pl. 1. p. 292. Host. Ic. gr. austr. 3. p. 39. Fl. austr. 1. p. 55.

Icon. Host. Ic. gr. III. t. 57.
Flor. dan. tab. 1622.
Nees. Gen. pl. fasc. IX. (Blysmus) fig. 1 — 12.
Leers. fl herborn. t. 1. f. 1.

Hab. in pascuis montium Villebith. Floret Julio, Aug. Spica castanea. ♃.

Obs. **Differt ab affini Blysmo rufo Lk. characteribus datis, et setis perianthii retrorsum aculeatis, nec erecto-puberulis, ut recte monuit cl. Koch Syn. fl. germ. et helv. 2. p. 744.**

LXI. Schœnus Beauv.

in Lestib. Ess. sur les Cyper.

Char. Flores hermaphroditi nudi in spicam terminalem compositam bracteis suffultam capitato-congesti, spiculis uni-paucifloris, bracteolis distichis, inferiorum pluribus minoribus sterilibus. Stamina tria. Stylus basi teres deciduus; stigmatibus ternis. Carcerula styli basi mucronata. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

184. Schoenus nigricans L. sp. pl. p. 64. Host. fl. austr. 1 p. 50. Reichb. fl. exc. p. 74. Alsch. fl. jadr. p. 16.

S. foliis subulatis, spica ovata bracteis binis erectis, altera spicam superante, involucrata.

Icon. Host. Ic. gr. austr. III. tab. 54.
Engl. bot. t. 1121.
Lam. Enc. bot. Pl. 38. f. 1.
Nees. Gen. pl. fasc. IX. (Schoenus) fig. 1 — 14.

Hab. in arenosis et saxosis maritimis tum continentis tum insularum. Floret Majo, Junio. Spica nigricat. ♃.

185. Schoenus mucronatus L. sp. pl. p. 63. Host. fl. austr. 1. p. 49—50. Reichb. fl. exc. p. 74.

S. foliis planis, spica hemisphaerica capitata, bracteis 3 — 6 patentissimis spiculas multo excedentibus involucrata.

Icon. Host. Ic. gr. austr. IV. t. 70.
Sibth. Fl. gr. cent. 1. t. 43.
Scheuchz. Agrostogr. tab. 8. f. 1.
Nees. Gen. pl. fasc. IX. l. cit. f. 15 — 16.

Hab. in arenosis maritimis prope Nona Prof. Alschinger. Floret Junio, Julio. Glumae e rubro spadiceae margine pallidae. ♃.

LXII. Cyperus L.

Gen. pl. ed. II. p. 20.

Char. Flores harmaphroditi nudi in spicas bracteis radiantibus involucratas digesti, spiculis multifloris compressis, bracteolis distiche imbricatis, infimis (binis) sterilibus. Stamina 2 — 3. Stylus bi-trifidus basi teres deciduus. Carcerula crustacea. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

186. Cyperus flavescens L. sp. pl. p. 68. Vis. stirp. dalm. p. 33. Host. fl. austr. 1. p. 52. Alsch. fl. jadr. p. 17.

C. stylo bifido, spicis subcomposite umbellatis involucro triphyllo brevioribus, spiculis confertis oblongis, bracteolis erectis obtusis, foliis angustissimis, radice fibrosa.

Syn. Pycreus flavescens Beauv. Reichb. fl. exc. p. 72.

Icon. Host. Ic. gr. austr. III. tab. 72.
Sibth. Fl. gr. Cent. I. tab. 47.
Lam. Enc. bot. Pl. 38. f. 1.
Nees. Gen. pl. IX. (Pycreus) fig. 14—16.

Hab. in pratis locisque udis, palustribus circa Zara, Dernis, Salona, Budua. Floret Julio, Septembri. Spiculae flavescentes demum badiae. ⊙.

187. Cyperus fuscus L. sp. pl. p. 69. Host. fl. austr. 1. p. 52. Reichb. fl. exc. 1. p. 72. Alsch. fl. jadr. p. 17.

C. stylo trifido, spicis subcomposite umbellatis involucro triphyllo brevioribus, spiculis confertissimis lineari-lanceolatis, squamis patentibus acutiusculis foliis late linearibus, radice fibrosa.

Icon. Host. Ic. gr. austr. III. tab. 73.
Leers. Fl. herborn. t. 1. f. 2.
Sibth. Fl. gr. Cent. I. t. 48.
— var. *β.* virescens: spiculis basi virescentibus.

Syn. et *Icon.* C. viridis Krock. fl. sil. 1. tab. 13. (rudis).
C. virescens Hoffm. fl. germ 1. p. 21. Reichb. fl. exc. p. 72.

Hab. in locis udis, aquosis circa Zara, Sebenico, Dernis, Knin; varietas prope Budua. Floret Septembri. Spiculae in specie atrofuscae. ⊙.

Obs. Fructus in hoc albi nitidi laeves elongati, utrinque acuminati, acute triquetri: in praecedente sublenticulares, obtuse triquetri, punctulato-scabri et nigri. Cfr. Sm. fl. gr. prodr. 1. p. 32. et Gusson. fl. sic. prodr. 1. p. 41.

188. Cyperus olivaris Targion. in Mem. della Soc. Ital. tom. 13. p. 338. Reichb. fl. exc. p. 73.

C. stylo trifido spicis composite umbellatis involucro subtetraphyllo brevioribus, foliisque apicem versus margine et carina serrulato-scabris, spiculis alternis distantibus lineari-elongatis acutis, bracteolis ovatis obtusis, infimis discoloribus radice repente tuberibus subovatis.

Syn. C. radicosus Sibth. et Sm. fl. gr. prodr. I. pag. 30. Fl. gr. 1. p. 32.

Icon. Sibth. fl. gr. Cent. I. tab. 45.

Hab. ad fossas secus vias circa Ragusa et Budua. Floret a Majo ad Novembrem. Spiculae ferrugineo-rubescentes. ♃.

189. Cyperus longus L. sp. pl. p. 67. Host. fl. austr. 1. p. 54. Reichb. fl. exc. 1. p. 73. Alsch. fl. jadr. p. 16. Pett. bot. Wegw. n. 521.

C. stylo trifido, umbella supradecomposita, involucro 4—6 phyllo longissimo carina et margine serrulato-scabro, spiculis linearibus acutis bracteolis arcte imbricatis obtusis, radice repente.

Icon. Jacq. Ic. rar. 2. tab. 297.
Host. Ic. gr. austr. III. tab. 76.
Scheuchz. Agrost. tab. 8. f. 12.

Hab. ad fluviorum ripas, loca palustria, et in pratis uliginosis circa Zara, Trau, Castelli, Salona, Ragusa, Cattaro, et in insulis. Floret Junio, Julio. Spiculae badiae. ♃.

190. Cyperus badius Desf. fl. atl. 1. p. 45. Reichb. fl. exc. p. 73.

C. stylo trifido, umbella supradecomposita, involucro tri-hexaphyllo longissimo, carina et margine scabro, spiculis in radiorum apice subcapitatis congestis lanceolato-linearibus, bracteolis arcte imbricatis obtusis, radice repente.

Icon. Desf. l. c. tab. 7. f. 2.
Nees. Gen. pl. fasc. IX. sub Cypero thermali fig. 1—12.

Hab. locis udis insularum Lesina, et Curzola, et in palustribus circa Narenta. Spiculae badiae. Floret Junio, Julio. ♃.

Obs. A praecedente, cum quo a quibusdam conjungitur, differt spiculis brevioribus, latioribus, in apice radiorum congestis, nec laxe racemosis, ut in illo. Icon Desfontainesii quoad spicularum formam minus bona.

191. Cyperus difformis L. sp. pl. p. 67. Reichb. fl. exc. p. 73.

C. stylo trifido umbella decomposita, involucro subtetraphyllo elongato, spiculis lanceolato-linearibus sessilibus pedunculatisque dense capitatis globosis, bracteolis arcte imbricatis obtusis, radice fibrosa.

Icon. Sibth. fl. gr. Cent. I. tab. 46.
Rottb. Descr. et Icon. tab. IX. f. 2.

Hab. in coenosis ad Naronis ripas inter Viddo et Vergoraz. Floret Julio, Sept. Spicae ex viridi et badio variae. ♃.

Obs. Icon Plukenetii Phyt. tab. 192. f. 3. ab omnibus huc citata, discrepat evidenter capitulis oligostachyis laxis. Icon Rottboelli plantam exhibet immaturam.

192. Cyperus glaber L. mant alt. p. 179. fl. exc. p. 179. Reichb. fl. exc. p. 73.

C. stylo trifido, umbella decomposita, involucro subtetraphyllo longissimo, spiculis lineari-elongatis laxe capitatis, bracteolis emarginato-mucronulatis, radice fibrosa.

Icon. Segu. pl. veron. suppl. t. II. f. 1.
Reichb. Icon. bot. III. tab. 347 (opt.).

Hab. in hortis et cultis in insula Lesina. Al. Italio. Fl. Aug. Sept. Spiculae dorso spadiceae margine virentes. Specimina dalmatica cubitalia et ultra. ⊙.

193. Cyperus Monti L. fil. suppl. p. 102. Host. fl. austr. 1. p. 54.

C. stylo bifido, umbella decomposita, involucro subtetraphyllo longissimo, spiculis oblongo-linearibus laxe spicatis, bracteolis obtusis demum remotiusculis, radice repente.

Syn. Pycreus Monti Beauv. Reichb. fl. exc. p. 72.

Icon. Mont. Stirp. Bonon. prodr. tab. 1. f. 2.
Host. Ic. gr. austr. iv. tab. 67.

Hab. in aquosis circa Budua. Jos. Tommasini. Spiculae rufo-ferrugineae. Flor. Septembri. ♃.

LXIII. Cladium Patr. Browne.

Hist. of Jam. p. 114.

Char. Flores hermaphroditi nudi in fasciculos paniculatos e spiculis uni-bifloris constantes dispositi, bracteolis multifariam imbricatis, inferioribus minoribus sterilibus. Stamina 2—3. Stylus bi-tripartitus filiformis deciduus. Carcerula styli basi tereti mucronulata, drupacea. *Cl.* Triandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

194. Cladium Mariscus Hook. Brit. fl. p. 13. Reichb. fl. exc. p. 75.

C. culmo tereti, superne ramoso triquetro, fasciculis axillaribus terminalibusque longe paniculatis, bracteis foliaceis basi vaginantibus, foliisque carina et margine antrorsum aculeatis.

Syn. Cladium germanicum Schrad. fl. germ. 1. p. 75. Pett. bot. Wegw. n. 265. Schoenus Mariscus L. sp. pl. p. 62. Host. fl. austr. 1. p. 49. Alsch. fl. jadr. p. 6.

Icon. Host. Ic. gr. austr. III. tab. 53.
Fl. dan. t. 1202.
Engl. bot t. 950.
Nees. Gen. pl. fasc. IX. Cladium.

Hab. in aquosis circa Boccagnazzo, Kerka, Sign, Verlika, Narenta. Fl. Julio, Aug. Spiculae ferrugineae, aut fuscae. ♃.

Obs. **Herba altissima rigida, radice repente, culmo fistuloso septato, apice angulato, foliis in cuspidem triquetram longissime attenuatis. Carcerula acuta spadicea, substantia alba in vivo carnosa, in sicco fragili, corticata.**

LXIV. Heleocharis Lestib.

Ess. sur la fam. des Cyp.

Char. Flores hermaphroditi in spicam simplicem terminalem basi nudam aut unibibracteatam digesti, bracteolis multifariis subaequalibus. Perianthium e setis hypogynis subsenis. Stamina tria. Stylus bi-tripartitus, basi incrassata carcerulam siccam coronante persistens. — *Cl.* Triandria, *Ord.* Monogynia, *Syst.* sex.

195. Heleocharis palustris Roem. et Sch. Syst. veg. 2. p. 151. (corr.) Reichb. fl. exc. p. 77.

H. radice repente culmo tereti basi vagina aphylla circumdato spica ovato-cylindrica bibracteata, bracteolis acutis apicibus patulis, stylo bipartito.

Syn. Scirpus palustris L. sp. pl. p. 70. Host. fl. austr. 1. p. 54. Alsch. fl. jadr. p. 16.

Icon. Host. Ic. gr. austr. III. tab. 55.
Lam. Enc. bot. Pl. 38. f. 1.

Engl. bot. tab. 131.
Leers. fl. herb. t. 1. f. 3.
Nees. Gen. pl. fasc. IX. (Eleocharis) fig. 1—16.

Hab. in uliginosis et ad aquas lente fluentes circa Zara, Sebenico, Dernis, Knin, Salona et alibi. Floret a vere in autumnum. Spicae ferrugineae. ♃.

LXV. Isolepis R. Br.

Prodr. fl. nov. Holl. p. 221.

Char. Flores hermaphroditi nudi in spicas sublaterales simplices, bracteis binis deciduis superiore longiore involucratas digesti, bracteolis multifariis, subaequalibus fertilibus. Stamina tria. Stylus tripartitus, filiformis, deciduus. Carcerula trigona styli basi mucronata. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

196. Isolepis tenuis Presl. Delic. Prag. 1. p. 144—45. Roem. et Sch. syst. veg. Mant. in Vol. II. p. 475.

I. culmo basi radicante triquetro vaginato foliisque setaceis, spica solitaria sessili subterminali ovata, bracteis erectis, superiore spica longiore, bracteolis ovatis carinatis apicibus patulis, fructibus acute triquetris punctulatis.

Hab. in locis aquosis prope Petrovosello, in collibus supra Malfi ditionis Ragusinae, et circa Perzagno prope Cattaro. Habuit ex humidis Dalmatiae cl. Presl. Floret a vere in Autumnum. Spicae ex viridi et ferrugineo variae. ⊙. vel ♃.

Obs. Herba ab uncia ad palmum assurgens, culmis erectis setaceis angulato-triquetris, e nodis inferioribus radices agentibus, vaginis in folia setacea productis. Spica ovata sessilis constanter unica, involucri foliolo superiore setaceo culmi apici inserto spicam excedente deciduo, inferiore squamaeformi ovato concavo. Bracteolae ovatae spadiceae, extus viridi carinatae, concavae obtusiusculae, omnes floriferae. Stamina tria. Stylus filiformis deciduus, basi aequali in fructus apice persistente, supra medium trifidus. Carcerula nuda acuta triquetra, styli basi apiculata, nitidula, spadicea, demum fusca, tenuissime punctulata.

Planta admodum affinis I. Savianae Roem. et Sch. l. c. p. 53. a qua videtur culmo triquetro, et spica solitaria tantum differre. Spica ante delapsum bracteolae superioris videtur lateralis, sed reapse terminalis est, cum foliolum illud minime sit culmi continuatio, quod ejusdem caducitate probatur, et tunc spica culmi apici insistit.

LXVI. Scirpus Nees ab Es.

Cyper. in Linnaea IX. p. 293.

Char. Flores hermaphroditi in spicas laterales terminalesve fasciculatas bracteis involucratas digesti, bracteolis multifariis subaequalibus. Perianthium e setis hypogynis subsenis. Stamina tria. Stylus bi-tripartitus basi aequalis deciduus. Carcerula styli basi apiculata, plano-convexa. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

197. Scirpus lacustris L. sp. pl. p. 72. HOST. fl. austr. I. p. 57. REICHB. fl. exc. 1. p. 78. ALSCH. fl. jadr. p. 16. PETT. bot. Wegw. n. 839.

S. radice repente, culmo tereti, basi vaginis foliiferis tecto, spicis ovatis terminalibus aggregatis, bracteis subbinis erectis inaequalibus, bracteolis ovatis glabris, stigmatibus ternis pubescentibus.

Icon. Engl. bot. t. 666.
Flor. danic. tab. 1142. (styl. bifid.!)
NEES. Gen. pl. fasc. IX. (Scirpus) fig. 1—11.

Illyr. Brulla.

Hab. in aquosis circa Zara, Scardona, Salona, Almissa, Knin et Narenta. Floret Majo, Junio. ♃.

Usus. Culmi hujus plantae storeis contexendis inserviunt.

198. Scirpus glaucus SM. engl. fl. 1. p. 57. (non LAM. ill. 1. p. 142.)

S. radice repente, culmo tereti basi vaginis foliiferis tecto, spicis ovatis terminalibus congestis subsessilibus, bracteis binis erectis inaequalibus, bracteolis emarginatis fimbriatis, stigmatibus binis glabris.

Syn. Heleogiton glaucum REICHB. fl. exc. p. 77.

Icon. NEES Gen. pl. loc. cit. fig. 14—15.

Hab. in aquosis lacus subsalsi Morinje dicti prope Sebenico. Floret Junio, Julio. Spiculae ferrugineae squamis rubro variegatis. ♃.

Obs. Involucri bractea altera elongata foliacea viridis, altera abbreviata spadicea margine albo scarioso. Spicae breviter pedunculatae, nec omnino sessiles, ut in Engl. bot. t. 2321; Flor. dan. t. 454, et HOST. Ic. gr. austr. III. t. 61.

199. Scirpus maritimus L. sp. pl. p. 74. HOST. fl. austr. 1. p. 59. REICHB. fl. exc. p. 79. ALSCH. fl. jadr. p. 16.

S. culmo triquetro folioso superne retrorsum aspero, spicis ovato-oblongis fasciculatis terminalibus multibracteatis, bracteolis mucronatis, stigmatibus ternis pubescentibus.

var. α. laxus: cyma laxa, spiculis pedunculatis sessilibusque.

Icon. HOST. Ic. gr. austr. III. tab. 67. f. dext.
ROEM. fl. europ. fasc. XII. ic.
Engl. bot. t. 542.

var. β. compactus: cyma densa spiculis omnibus sessilibus.

Icon. HOST. Ic. gr. austr. l. c. f. sinistr.
KROCK. fl. sil. tab. XV.

var. γ. macrostachys: spicis cylindricis elongatis.

Syn. Sc. macrostachys W. En. H. BEROL. 1. p. 78.

Icon. SCHEUCHZ. Agrost. p. 398. tab. 9. f. 7—8.

Hab. in pratis udis, inundatis, maritimis ubique frequens. Floret Julio, Augusto. Spicae ferrugineae, fuscae. ♃.

LXVII. Dichostylis Nees ab Es.

Cyper. in Linnaea IX. p. 289.

Char. Flores hermaphroditi nudi, spicis multifloris in capitulum terminale compositum bracteis foliaceis involucratum congestis, bracteolis multifariam imbricatis subaequalibus. Stamina tria. Stylus basi vix crassiore persistens, bifidus, stigmatibus glabris. Carcerula trigona styli basi mucronata. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

200. Dichostylis Micheliana Nees loc. cit. et in Gen. pl. fasc. IX.

D. culmis trigonis prostratis foliatis, involucro polyphyllo, bracteolis ovato-lanceolatis adpressis.

Icon. Tilli Cat. hort. pisan. tab. 20. f. 5.
Host Ic. gr. austr. III. tab. 69.
Nees Gen. pl. fasc. IX.

Syn. Scirpus Michelianus L. sp. pl. p. 76. Host. fl. austr. 1. p. 61.
Isolepis Micheliana Roem. et Sch. Syst. veg. 2. p. 114.
Fimbristylis Micheliana Reichb. fl. exc. p. 75 (excl. syn. Linkii).

Hab. in locis udis, aquosis insularum Veglia et Ossero. Doct. Noe. Capitulum pallide virens. Floret Aug. Sept. ⊙.

Obs. Cyperus Michelianus Delile in Roem. et Sch. syst. veg. Mant. in vol. II. p. 67 (1824). Link. in H. berol. 1. p. 203 (1827) et Savi in Mem. della Soc. Ital. tom. XXI, est planta omnino alia, et vera Cyperi species, ut jam monuit cl. Bertolonius in Flor. ital. 1. p. 304, et cl. Nees in Gen. pl. loc. cit. Planta haec aegyptiaca, quam habui a cl. Savi ex herbario ill. Raddi, collata cum Dichostyli Micheliana, cujus authentica specimina ex herbario Michelii etiam debeo liberalitati ejusdem clarissimi professoris, differt ab hac habitu robustiore elatiore, capitulo e spicis solitariis nec fasciculatis composito, spicis planissimis, bracteolis distichis utrinque decem, infima duplo longiore, omnibus lanceolato-subulatis apicibus patulis, quapropter spicae pectinatae videntur. Carcerula in utraque ovali-oblonga trigona styli basi persistente et vix crassiore apice mucronata, stylus filiformis bifidus, stigmatibus glabris. Ideo planta aegyptia Dichostylis esset ni bracteolarum dispositio eam Cyperis, et inter hos Pycreis conjungeret. Affinis est C. pygmaeo Rottb. descr. et ic. p. 20. tab. XIV. f. 5, qui tamen differt parvitate omnium partium, spicis in capitulo fasciculatis minimis, bracteolis utrinque quinis senisve apice subspinosis, infima spicam suam superante, dum in illo duplo brevior. Hinc stirps aegyptia falso nomine, utpote quod falsis synonimis superstructo, hactenus insignita et ad confusionem tollendam noviter et aliter nuncupanda, nomine Auctoris, qui primam ejusdem mentionem fecit, deque flora aegyptia meritissimus est, salutabitur Cyperus Delilei.

Culmi D. Michelianae in speciminibus Michelianis longiores ac in planta patavina et dalmatica, ac fere ut in illis iconis cl. Nees supra citatae, in qua tamem caules erecti, quod nec in nostra nec in planta italica usuvenit.

LXVIII. Holoschœnus Link.

Hort. bot. Berol. 1. p. 293.

Char. Flores hermaphroditi nudi, spicis multifloris subrotundis in capitula sphaerica circa unum sessile pedunculata, sublateralia, bracteis foliaceis, terminali

culmum continuante, involucrata, densissime conglobatis, bracteolis multifariam imbricatis fertilibus, superioribus minoribus. Stamina tria. Stylus filiformis deciduus trifidus, stigmatibus pubescentibus. Carcerula trigona mucronulata. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

201. Holoschoenus vulgaris Link. loc. cit. Nees gen. pl. fasc. IX.
H. capitulis tuberculato-globosis, stigmatibus exsertis, vaginis culmi integris, infima aphylla.

Icon. Scheuchz. Agrost. tab. 8. f. 2—5.
Dalech. hist. lugd. 1. p. 987. fig. super.
Engl. bot. t. 1612.
Nees. Gen. pl. fasc. IX. (Holoschoenus.)

Syn. Scirpus Holoschoenus L. sp. pl. p. 72. Host fl. austr. 1. p. 57. Alsch. fl. jadr. p. 16. Pett. bot. Wegw. n. 438.
Holoschoenus Linnaei Reichb. fl. exc. p. 76.

var. β. romanus: capitulis omnibus subsessilibus.

Icon. Scheuchz. Agrost. tab. 8. f. 6.

Syn. Scirpus romanus L. sp. pl. p. 73.

Hab. in pratis udis, locis aquosis, palustribus totius Dalmatiae. Capitula fusca: herba glauca. Floret Junio, Augusto. ♃.

Ordo VII. JUNCEÆ.

R. Brown Prodr. fl. nov. Holl. p. 257.

Flores glumacei hermaphroditi, aut abortu unisexuales, cymosi spicati aut capitati, rarissime solitarii, singulis bracteola scariosa suffultis. Perianthium hexaphyllum aut sexpartitum biseriale persistens, phyllis interioribus interdum subpetaloideis. Stamina 6 perianthii phyllis basi inserta, et opposita; raro tria, antheris terminalibus introrsis, loculis parallelis longitudinaliter dehiscentibus. Pistillum ovario triloculari vel uniloculari, placentis nerviformibus, tri-pluriovulato, stylo simplici, stigmatibus tribus distinctis, rarissime connatis. Capsula uni-trilocularis, trivalvis, valvis medio septiferis, tri-polysperma. Semina erecta anatropa, embryone basi albuminis carnosi incluso prope hilum sito.

Herbae perennes rarius annuae, rhizomate repentes, culmo nodoso foliato vel vaginato, foliis alternis simplicibus integris basi vaginantibus.

LXIX. Juncus DC.

Fl. fr. III. p. 162.

Char. Perianthium glumaceum, basi bibracteatum. Stamina sex, interdum tria, phyllis externis opposita. Stigmata tria plumosa. Capsula trivalvis trilocularis polysperma. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

202. Juncus glaucus Ehrh. calam. n. 85. Host. fl. austr. 1. p. 445. Alsch. fl. jadr. p. 83. Reichb. fl. exc. p. 93.

J. culmo nudo striato glauco, medulla interrupta farcto, cyma laterali suberecta, capsulis stylo persistente mucronatis perianthio brevioribus.

Syn. Juncus infexus Leers fl. herb. p. 87.

Icon. Engl. bot. t. 665.
Fl. dan. tab. 1159.
Host. Ic. gr. austr. III. tab. 81.
Leers. loc. cit. tab. XIII. f. 3.

Illyr. Sitta, Zukva.

Hab. in aquosis et ad fossarum margines ubique frequens. Fl. Junio, Augusto. ♃.

203. Juncus acutus L. sp. pl. p. 463. (excl. var. β.) Vis. stirp. dalm. p. 38. Host. fl. austr. 1. p. 445. Reichb. fl. exc. p. 93. Alsch. fl. jadr. p. 83. Pett. bot. Wegw. n. 514. excl. syn.

J. culmo nudo, foliisque radicalibus teretibus pungentibus, cyma terminali compacta erecta, involucri foliolo infimo cymae subaequali pungente, capsula subrotundo-ovata acuminata perianthio longiore.

Icon. Host Ic. gr. austr. IV. t. 97.
C. Bauh. prodr. p. 21.
Moris hist. pl. ox. sect. 8. tab. 10. f. 15.
Barrel. ic. pl. tab. 203. f. 2.

Illyr. Sitta, Zukva.

Hab. in maritimis litoralis circa Zara, et in insula Lesina. Flores nitidi ferruginei. Fl. Majo, Junio. ♃.

204. Juncus maritimus Lam. Enc. bot. ed. Pat. 3. p. 253. Host. fl. austr. 1. p. 445. Reichb. fl. exc. p. 94. Alsch. fl. jadr. p. 83. Pett. bot. Wegw. n. 517.

J. culmo nudo foliisque radicalibus teretibus pungentibus cyma terminali laxa elongata prolifera, involucri foliolo infimo cymam multo superante pungente, capsula oblongo- elliptica mucronata perianthium subaequante.

Syn. I. acutus β. L. sp. pl. p. 464.
Schoenus coarctatus Seenus Reise nach Istr. u. Dalm. p. 74. Roem. et Sch. syst. veg. 2. p. 63.

Icon. Host. Ic. gr. austr. III. tab. 80.
Fl. dan. tab. 1689.
Engl. bot. t. 1725.
Moris. hist. pl. ox. sect. 8. tab. 10. f. 14.

Illyr. Brulla. Sitta. Kossan.

Hab. priore frequentior in maritimis totius Dalmatiae. Flores straminei, capsulis pallide castaneis. Fl. aestate. ♃.

Obs. Schoenus coarctatus Seen. l. c. nil est nisi Juncus maritimus junior, ut recte alii etiam suspicati sunt. Cfr. Roem. et Sch. syst. veg. vol. II. Mant. p. 41.

205. Juncus insulanus Vivian. fl. cors. sp. nov. diagn. p. 5. Gusson. fl. sic. prodr. 1. p. 436. Roem. et Sch. syst. veg. 7. p. 1. pag. 227—28.

J. culmis foliatis bifidis, folia linearia filiformia tenuia subaequantibus, floribus in dichotomia solitariis, apice fasciculatis subternis, perianthio capsula obtusa longiore.

Hab. circa lacum subsalsum Morinje dictum prope Sebenico. Floret Aprili, Majo. Flores pallide virides. ⊙.

Obs. **Admodum affinis J. bufonio, a quo vero recedit praesertim inflorescentia, nam in illo flores unilaterales solitarii secus cymae ramos dispositi, in hoc flos solitarius in ramorum dichotomia, in apice vero bini vel terni aggregati, ramis ipsis caeterum nudis: hinc habitus plantae florentis satis diversus. Folia canaliculata in utrisque. Utrum huc pertineat, vel ad J. bufonium, planta sub hoc nomine in Alsch. fl. jadr. p. 83. enumerata, me latet, cum specimina authentica adhuc non viderim.**

206. Juncus lampocarpos Ehrh. calam. n. 126. Alsch. fl. jadr. p. 83.

J. culmis foliatis foliisque nodulosis tereti-compressis, cyma decomposita divergente perianthii phyllis subaequalibus, exterioribus acutis interioribus obtusis, capsula ovato-triquetra acuta mucronata brevioribus.

Syn. J. articulatus *β.* L. sp. pl. p. 465. Pett. bot. Wegw. n. 515.
J. adscendens Host. Ic. gr. austr. III. p. 58. Fl. austr. 1. p. 448.
J. lamprocarpos Reichb. fl. exc. p. 95.

Icon. Host Ic. gr. austr. III. t. 87.
Engl. bot. t. 2143.
C. Bauh. prodr. p. 12. f. inf.

Hab. in pratis et locis aquosis humidis, totius Dalmatiae. Flores straminei, capsulae castaneae nitidae, unde nomen Ehrhartianum (a λάμπω niteo).

Obs. **Affinis J. obtusifloro Ehrh. calam. n. 76.; qui differt phyllis omnibus obtusis capsulam subaequantibus, et J. acutifloro Ehrh. l. c. n. 66. qui discrepat phyllis omnibus acuminatis aristatis, interioribus longioribus, capsula brevioribus. Interdum occurrit viviparus, nempe involucris floralibus in folia imbricata lanceolato-subulata elongatis, quem statum plantae morbosum a C. Bauh. in prodr. p. 12. icone adumbratum minime pro varietate habendum esse, sed a larvae morsu pendere insecti cujusdam Chermes Junci vocati, jam ostenderunt cl. Schrank in Baiersch. Fl. 1. p. 615; et cl. Schlecht. in Fl. berol. 1. p. 198.**

207. Juncus bulbosus L. fl. suec. ed. II. p. 113. sp. pl. ed. II. p. 466. Host Ic. austr. III. p. 59. Alsch. fl. jadr. p. 83.

J. culmis foliatis compressis, fol. linearibus canaliculatis, cyma decomposita erecta, perianthii phyllis obtusis, interioribus subbrevioribus, capsula subglobosa stylo brevi apiculato perianthio longiore.

Syn. J. compressus Jacq. en. vind. p. 60. et 235. Host. fl. austr. 1. p. 448. Reichb. fl. exc. p. 95. (non Humb. B.K. nov. gen. 1. p. 235.; nec E. Mey. syn. junc. p. 16.)

Icon. Host. Ic. gr. austr. III. tab. 89.
Leers. fl. herb. t. 13. f. 7.
Fl. dan. t. 431.
Barrel. Ic. tab. 747.

Hab. in pascuis humidis circa Zara, Dernis, Knin, Narenta. Fl. Junio, Julio. Capsulae castaneae nitidae. ♃.

15

LXX. Luzula DC.

Fl. fr. III. p. 170.

Char. Perianthium glumaceum basi bibracteatum. Stamina tria. Stigmata tria plumosa. Capsula trivalvis unilocularis tri-disperma. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

208. Luzula campestris DC. fl. fr. III. p. 161. (excl. varr.) Reichb. fl. exc. p. 91. Alsch. fl. jadr. p. 84.

L. radice repente, foliis lanceolato-linearibus margine pilosis demum glabratis, spicis ovatis umbellatis pedunculatis, centrali sessili, perianthii phyllis acuminatis capsula subrotundo-trigona obtusa mucronata longioribus, filamentis anthera multo brevioribus.

Syn. Juncus campestris *α*. L. sp. pl. p. 468.
J. nemorosus. Host. Ic. gr. austr. III. p. 64.
J. campestris id. Fl. austr. 1. p. 453.

Icon. Host. Ic. gr. austr. III. tab. 97 f. 1—5.
Leers fl. herborn. t. 13. f. 5.
Engl. bot. t. 672.
Nees Gen. pl. fasc. II. (Luzula) 1—3. et 5—17.
C. Bauh. prodr. p. 15. f. ext.

var. β. congesta: pumila, umbella mono-distachya, spicis subsessilibus.

Hab. in pascuis, et in graminosis circa Zara, Verlika, Sign, var. in monte Biokovo. Fl. Mart. Majo. Flores rubelli. ♃. *

Obs. Num varietas ad Juncum congestum Thuill. fl. paris. 1. p. 179. (qui a quibusdam uti varietas habetur Luzulae multiflorae Lej.) jure trahi debeat dubito, cum spicae in nostra minime pedunculatae sint, et pauciores ac in iconibus Bauh. Theatr. bot. p. 104. Moris. hist. stirp. ox. sect. 8. t. 9. f. 1. repraesentantur. Melius quadrat icon Florae danicae 1692, sed statura in hac triplo major, et spicae numerosiores ac in planta dalmatica.

209. Luzula albida DC. loc. cit. p. 159. Reichb. fl. exc. p. 92.

L. foliis lineari-elongatis margine pilosis, cyma supradecomposita effusa, capitulis subquadrifloris, phyllis exterioribus mucronulatis capsula triquetro-elliptica rostrata longioribus, antheris subsessilibus.

Syn. Juncus albidus Hoffm. fl. germ. ed. 1. p. 126. Host. Ic. gr. austr. III. p. 63. et Fl. austr. 1. p. 451.
J. niveus Leers fl. herb. p. 91. (nec L.)

Icon. Host. Ic. gr. austr. III. t. 95.
Leers Ic. tab. 13. f. 9.
C. Bauh. Prodr. p. 16. f. ext.

Hab. in graminosis montium Vellebith et Biokovo, et in sylvaticis agri Sibenicensis. Fl. Jul. Aug. Flores sordide albi. ♃.

Ordo VIII. IRIDEÆ.

Juss. gen. pl. p. 57. (Irides.)

Flores speciosi hermaphroditi terminales, in spicam, corymbum, aut paniculam raram digesti, raro solitarii, involucro diphyllo communi subfoliaceo, cuique flori proprio scarioso. Perianthium corollinum superum, sexfidum aut sexpartitum, deciduum. Stamina tria basi aut tubo perianthii inserta, filamentis liberis aut monadelphis, antheris extrorsis basi, rarius dorso, affixis, loculis parallelis longitudinaliter dehiscentibus. Pistillum stigmatibus tribus petaloideis integris divisisve, stylo simplici, ovario infero triloculari polyspermo, ovulis loculorum angulo, vel columnae centrali insertis. Capsula trilocularis trivalvis, valvulis medio septiferis, placentis nerviformibus in angulo loculorum centrali septorum margini adnatis, vel in columnam centralem demum liberam connatis. Semina anatropa, albumine carnoso aut corneo, embryone incluso axili vel sublaterali, lineari.

Herbae (nostrates) radice fibrosa, bulbis, tuberibus aut rhizomate perennantes, caule vario aut sub-nullo, foliis radicalibus distichis ensiformibus linearibusve nervosis integerrimis; caulinis, si adsunt, alternis vaginantibus.

Clavis analytica generum.

Floribus caulinis vid. No. . . . 1 — Floribus radicalibus vid. No. . . . 2

1 Perianthii tubo recto, laciniis externis reflexis. — **Iris.**
Perianthii tubo incurvo, laciniis erectis. — **Gladiolus.**

2 Perianthii tubo brevissimo — **Romulea.**
Perianthii tubo longissimo — **Crocus.**

LXXI. Iris L.

Gen. pl. ed. II. p. 19.

Char. Perianthium tubo recto, limbo inaequaliter sexpartito laciniis externis reflexis, internis erectis. Stamina perianthii laciniis exterioribus basi inserta, antheris basi affixis. Stigmata tria petaliformia stamina incurva tegentia. Capsula oblonga tri-hexagona, seminibus marginatis. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

* perianthii laciniis reflexis supra barbatis.

210. Iris pumila L. sp. pl. p. 56. Vis. stirp. dalm. p. 38. Host. fl. austr. I. p. 46. Reichb. fl. exc. p. 80. Alsch. fl. jadr. p. 15. Pett. bot. Wegw. n. 511.

I. scapo simplici unifloro foliis ensiformi subfalcatis glaucescentibus breviore.

Icon. Curt. bot. magaz. t. 9.
Lobel. icon. stirp. p. 63. f. 1. p. 64. f. 2.
Jacq. fl. austr. t. 1.

β. **lutescens**: glauca, perianthii tubo spathis subincluso; flore luteo.

Syn. et *Icon.* I. lutescens REDOUT. liliac. 5. non LAM.
I. Chamaeiris BERTOL. fl. ital. III. p. 609. P. SAVI Mem. Valdarn. 1839. p. 51. tab. 1. CURT. bot. magaz. tab. 1209.

Hab. species in asperis apricis agri Sibenicensis loco Rasine dicto: varietas iisdem locis circa Zara frequens. Color florum in specie coeruleo-violaceus. Flor. Apr. ♃.

Obs. Species polymorpha ludit passim magnitudine bi-quadripollicari, foliis brevioribus; latioribus, et longioribus angustioribus, plus minus glaucis, semper scapo brevioribus perianthii tubo nunc foliis longiore, et spathas forma variabiles excedente, nunc utrisque breviore et incluso, limbo etiam majore aut minore. Hinc varietas a specie minime dirimenda, cum inter utrasque formae omnino intermediae occurrant. Iris Chamaeiris cl. BERTOLONI cum varietate nostra identica est, uti ex autopsia habeo stirpis italicae et ex accurata icone cl. SAVI fil., et ab I. lutescente LAM. longe differt, cujus nitidam iconem conferas in cl. REICHB. Ic. bot. Cent. X. tab. CMXVII. f. 1238.

211. Iris germanica L. sp. pl. p. 55. VIS. stirp. dalm. p. 38. HOST. fl. austr. 1. p. 45. REICHB. fl. exc. 1. p. 81. ALSCH. fl. jadr. p. 15. PETT. botan. Wegw. n. 507.

I. caule ramoso multifloro foliis ensiformibus falcatis longiore, floribus inferioribus pedunculatis, perianthii tubo germen superante.

Syn. I. illyrica THEOPHR. Hist. pl. l. IX. cap. VII. DIOSC. NICANDR. GALEN. PLIN. ANGUILL. sempl. parer. 1. p. 17—18.

Icon. SIBTH. fl. gr. I. t. 40.
BLACKW. herb. 1. t. 69.
REICHB. Ic. pl. rar. Cent. X. f. 1245.
NEES gen. pl. fasc. V. (Iris) f. 1—7.

Illyr. Maçinaz, Xilj modri.

Hab. in muris vetustis, locis sylvaticis, asperis, et ruderatis totius Dalmatiae vulgaris. Floret Aprili, Majo. Flores magni laete caerulei, laciniis reflexis obscure violaceis basi albo-lineatis, barba albida. ♃.

Usus. Radix hujus plantae jam a primis botanices et medicinae incunabulis celeberrima fuit, eaque caeteris longe praestantior censebatur, quae I. illyricae nomine in Dalmatiae regione illa, quae flumina Drilonem, et Naronem interjacet, colligebatur, uti ex Nicandro et Plinio patet, unde magno foenore in usum medicum trahebatur. Dum recens est odorem ingratum habet, acrique sapore palatum tentat: apte vero siccata Violam odoratam suaviter olet. Hinc in re unguentaria apud veteres usitatissima. Habetur etiam purgativa, expectorans, diuretica, errhina; priusquam vero siccetur acris et corrodens est, alvum violenter solvit, et in hydrope periculoso experimento quandoque utiliter propinatur. Flores recentes contusi, in aqua ad putrescentiam digesti, dein calce commixti pulcherrimum colorem praebent, nomine Verde d'Iride pictoribus notum.

Obs. Iridem illyricam antiquorum esse I. germanicam L. jam monui in Stirp. dalm. specim. p. XIV. nihilo tamen secius linnaeanum nomen retinendum esse censeo, etiamsi illo vetustissimo longe posterius et minime specificum, cum mihi semper persuasissimum fuerit nomina vetera ante scientiae regenerationem plantis

vage indita, et multis ab hinc annis omnino oblita, posterioribus, utpote quae scientiae legibus superstructa, locum cedere jure meritoque debere.

Plures autem plantae apud veteres nomine Iridis dalmaticae innotuere, scilicet 1. Iris dalmatica major Lobel icon stirp. p. 61. (quae I. asiatica caerulea polyanthos C. B. pin. 31. et I. asiatica caerulea omnium Iridum amplissima Dalmaticae affinis I. B. hist. pl. 2. p. 716.) 2. I. dalmatica major C. B. pin. 31. (quae I. dalmatica major flore vulgari minus violaceo I. B. hist. pl. 2. p. 715. et I. chalcedonica II. Tabern. icon. 646.). 3. I. dalmatica minor Lob. icon. stirp. 62. (quae I. dalmatica minor flore purpurae dilutioris I. Bauh. hist. pl. 2. p. 716. cum ipsissima Lobelii icone, et I. latifolia major XVIII. Clus. hist. var. pl. p. 222. eadem icone quoque, situ partium tantummodo inverso. Quid sint duo priores an species, an potius I. germanicae variationes hortenses affirmare nequeo, quamvis in tota Dalmatia nulla Iridis species iisdem similis, praeter germanicam, hactenus inventa fuerit. Tertia vero in speciem propriam recepta fuit a cl. Tausch (cfr. cl. Reichb. fl. exc. p. 80 et p. 140. 12. n. 556.) Iridis Clusianae nomine. Clusius equidem plantam suam Byzantio eidem missa (rar. pl. hist. p. 221.) ea tantum de causa dalmaticam dixisse credo, quia hoc nomine invenerat jam a Lobelio adumbratam, quod si ex ipsius verbis non constat, qui Lobelium nequidem nominat, tamen luculenter evincitur ex icone sua, quae ipsissima est cum icone Lobelii, situ partium tantummodo artificiose inverso, ut saepe veteres facere consueverunt. Num vero planta cl. Tausch caule folia aequante et bifloro, eadem sit ac stirps Lobeliana, dubitare liceat saltem ex eo, quod icones pro hac citatae speciem exhibeant caule multo elatiore, ramoso, et multifloro distinctam.

* * perianthii laciniis reflexis imberbibus.

212. Iris graminea L. sp. pl. p. 58. Host fl. austr. 1. p. 47. Reichb. fl. exc. p. 82. Alsch. fl. jadr. p. 15.

I. caule subbifloro ancipiti foliis lineari-ensiformibus rectis multo breviore, germinibus hexagonis.

Icon. Jacq. fl. austr. 1. t. 2.
I. angustifolia VI. Clus. hist. pl. p. 230.
Nees. gen. pl. fasc. V. (Iris) f. 8. (fruct.)

Hab. in pratis subalpinis montis Vellebith. Fl. Majo. Flores dilute violacei, laciniis reflexis rubentibus, pruna matura redolentes. ♃.

213. Iris pseudo-acorus L. sp. pl. p. 56. Host. fl. austr. 1. p. 47. Reichb. fl. exc. p. 82. Alsch. fl. jadr. p. 15. Pett. bot. Wegw. n. 510.

I. caule multifloro foliis ensiformibus rectis longiore, perianthii laciniis erectis stigmate minoribus, germinibus trigonis.

Icon. Blackw. herb. 2. t. 261.
Engl. bot. t. 578.
Fl. dan. tab. 494.

Illyr. Maçinaz vodeni.

Hab. ad fossas, rivos, fluvios, paludes circa Knin, Dernis, Obbrovazzo, Zara, Spalato, Almissa, Narenta. Fl. Majo. Flores lutei magni, laciniis basi macula crocea, striis fuscis. ♃.

214. Iris tuberosa L. sp. pl. p. 58. Vis. stirp. dalm. p. 38. Host. fl. austr. 1. p. 49. Reichb. fl. exc. p. 83. Alsch. fl. jadr. p. 15. Pett. bot. Wegw. n. 512.

I. caule unifloro, foliis linearibus tetragonis, radice tuberosa.

Icon. Sibth. fl. gr. I. t. 41.
Curt. bot. magaz. t. 531.
Sabb. Hort. rom. 6. tab. 67.

Hab. in fruticetis, dumetis, herbidis, asperis circa Zara, inter Trebocconi et Stretto, Spalato alla Toretta, et in collibus, nec non prope Ragusa. Floret Martio, Aprili. Perianthii laciniae basi e viridi flavescentes, reflexae apice nigro-caeruleae, erectae pallidae acutae. ♃.

LXXII. Crocus L.

Gen. pl. p. 17.

Char. Flores radicales, perianthium tubo recto longissimo, limbo inaequaliter sexpartito erecto, spatha hypogyna. Stamina tubo inserta. Stigmata tria dilatata involuta incisa. Capsula trilocularis trivalvis polysperma, seminibus subrotundis. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

215. Crocus vernus Allion. fl. pedem. 1. p. 84. Host. fl. austr. 1. p. 42. Reichb. fl. exc. p. 85. Pett. bot. Wegw. n. 309.

C. tunicis radicalibus fibroso-intertextis, spatha florali monophylla, tubi fauce pilosa, stigmatibus abbreviatis incisis tubulosis plicatis stamina superantibus.

Syn. Crocus sativus, *β.* vernus Linn. sp. pl. p. 50.

Icon. Tenor. Mem. sui Crochi napol. 1826. tab. 1.
Engl. bot. t. 344.
Curt. bot. mag. tab. 860. (tunic. reticulat.)
Bull. herb. de la fr. t. 351.
Jacq. fl. austr. V. t. 36.
Reichb. Ic. pl. var. Cent. X. f. 1250.

Hab. in montibus Mossech, Promina, Svilaja, Biokovo, Stazza, Mossor, Ossoniak, et locis asperis collinis in Dalmatia montana. Floret a Februario ad Majum. Flores albi, vel basi violaceo-caerulei, vel margine laciniarum albi dorso purpurei, vel undique dilute violacei, vix odori. Varietates conferas in cl. Reichb. Ic. pl. rar. Cent. X. f. 1250—54. In montibus elatioribus bulbus major, folia latiora, longiora, fere explanata, flos minor; in collibus locisque asperis e contra. ♃.

216. Crocus reticulatus Stev. ex Adam in Web. et Mohr. Beitr. für Naturk. 1. p. 45. Host. fl. austr. 1. p. 43. Reichb. fl. exc. p. 84. Alsch. fl. jadr. p. 14.

C. tunicis radicalibus crasse fibroso-reticulatis, spatha florali diphylla, tubi fauce glabra, stigmate profunde trifido, laciniis incisis stamina subaequantibus.

Syn. C. variegatus Hopp. et Hornsch. Reis. adr. Meer.

Icon. Hoppe et Hornsch. loc. cit. ic.
Reichb. Ic. pl. rar. Cent. X. f. 1262—65.

Hab. in pascuis et locis apricis asperis Pontamica, et Babbindub prope Zara, et in insula Pago. Perianthium albido-violaceum, laciniis externis lineis tribus caeruleis pinnato-striatis, interioribus unicoloribus, omnibus basi lutescentibus ibique caeruleo striatis, striis in tubum decurrentibus. Floret Martio, Aprili. ♃.

217. Crocus dalmaticus. *

C. tunicis radicalibus fibroso-reticulatis foliis superne utrinque cartilagineo-denticulatis, spatha florali diphylla, tubi fauce glabra, stigmate profunde trifido, laciniis trisectis incisis stamina subaequantibus.

Descr. Bulbus orbiculatus tunicis cancellato-reticulatis tectus. Spathae exteriores alternae scariosae obvolventes albo-membranaceae oblongae obtusae. Folia synanthia linearia obtusa retusave apicem versus utrinque cartilagineo-denticulata, marginibus involutis, viridibus, linea alba media supra diremptis. Spatha diphylla externis similis, sed oblongo-lanceolata acutiuscula. Tubus gracilis caeruleo-striatus, perianthio campanulato, partitionibus erectis oblongo-ellipticis saturate violaceis unicoloribus, basi breviter attenuatis glabris, luteis. Filamenta antheras subaequantia aut iisdem breviora. Stigma antheras paullo superans aut aequilongum inclusum, profunde trifidum, laciniis cuneiformibus trifidis; partitionibus iterum breviter fissis.

Hab. in ericetis apricis montis Bossanka in ditione Ragusina, ubi legit Neumayer. Flores violacei. Floret Februario. ♃.

Obs. **Affinis C. reticulato, a quo differt foliis utrinque denticulatis, nec laevibus, perianthii laciniis omnibus unicoloribus violaceis, nec externis lineis pinnato-ramosis saturatioribus variegatis, et stigmatibus profundius multisectis. Videtur quoque proximus C. nivali Bory exp. scient. de Morée Tom III. 2. part. p. 21. Atl. 4. ser. pl. II. f. 1., qui vero a nostro ex icone et diagnosi differt foliis lanceolato-linearibus laevibus, filamentis brevioribus, flore pallide violaceo, et statione ad nivem deliquescentem ad 2000 metr. altit.**

218. Crocus biflorus Mill. dict. n. 2. Reichb. fl. exc. p. 84. Pett. bot. Wegw. n. 306.

C. tunicis radicalibus membranaceis nitidis supra basim circumscissis, spatha florali diphylla, tubi fauce glabra, stigmate profunde trifido, laciniis indivisis stamina superantibus.

Syn. C. pusillus Tenor. fl. nap. 3. p. 33.

Icon. Tenor. Mem. sui Crochi. tab. II.
Reichb. ic. pl. rar. Cent. X. f. 1257—59.

Hab. in pascuis montanis apricis in Lemess inter Dernis et Verlika, in Marian prope Spalato, in Radigne et Beliak, et in montibus Ragusinis. Floret mense Martio. Flores in nostro omnino albi, vel basi cum tubo livide caerulei. ♃.

Obs. **Apud nos semper uniflorus. Folia nunc flore breviora et tardiora, sive hysteranthia, nunc flore longiora et coaetanea, sive synanthia. Haec sola species e nostratibus stigmatibus gaudet constanter integris, dum in reliquis stigmata ludunt integra, crenulata, incisa vel etiam partita; hinc, si sola, discrimina minus tuta pro speciebus distinguendis suppeditant.**

219. Crocus Pallasii MARSCH. a BIEBERST. fl. taur. cauc. suppl. p. 35. GOLDB. dissert. de Croco n. 13. ALSCH. fl. jadr. p. 14.

C. tunicis radicalibus fibroso-intertextis, spatha florali diphylla, tubi fauce fasciculatim villosa, stigmatibus elongatis clavatis erosis incisisve stamina subaequantibus.

Syn. C. odorus VIS. stirp. dalm. p. 32. PETT. bot. Wegw. n. 307. (non BIVONA-BERNARDI).
C. longiflorus REICHB. fl. exc. in add. p. 140. 13. n. 589. quoad speciem dalmat., et excl. descript. (non Rafinesque.)
C. Thomasii TEN. Mem. sui Croch. p. 12. REICHB. fl. exc. p. 86.

Icon. TEN. loc. cit. tab. IV.
REICHB. Ic. pl. rar. Cent. X. f. 1281.

Descr. Bulbus orbiculatus depressus tunicis fibroso-intertextis, nec tamen exacte reticulatis obtectus. Spathae binae a bulbi apice ortae equitantes obtusae scariosae folia floresque includentes. Folia coaetanea, sed post anthesim longiora, laxa, flore breviora vel subaequalia, glabra vel margine tenuissime ciliata, supra alba linea notata et vix canaliculata, margine utroque subtus unisulcata, medio plana. Spathae florales binae lanceolato-lineares equitantes acutae a basi germinis ortae, foliis aequales sed iisdem breviores. Flos unicus, vel geminus (raro tres), pediculo scapiformi suffultus, tubo longissimo tereti gracili folia superante, albido vel livescente, fauce dilatata violacea, intus lutea staminifera, ibique fasciculatim villosula, limbo campanulato, laciniis ovalibus obtusis violaceis venosis. Stamina tria filamentis angulatis ochroleucis antheras lineari-sagittatas luteas aequantibus. Pistillum germine pedicellato, stylo longissimo, stigmatibus croceis clavatis, quandoque infundibuliformibus, truncatis, obliquis, erosis incisisve, stamina superans vel iisdem brevius. Capsula ovali-oblonga sexstriata.

Illyr. Çjafran. Bendùska, Xufran.

Hab. in collibus saxosis apricis, et in dumetis, circa Zara, Dernis, Zagorie, Milievzi, Sebenico, Borája, Traù, Salona, Spalato, et in insulis Bua, Solta, Brazza, Meleda. Floret Octobri, Novembri. Flores violacei, caerulei, raro albi. ♃.

Obs. Differt a C. odoro. BIVON., cum quo olim commutavi, et quem cfr. in cl. REICHB. Ic. pl. rar. X. f. 1272—73. stigmatibus numquam multifidis, fauce villosa, et praecipue spatha diphylla nec monophylla, quibus ultimis notis et tubo elongato differt etiam a C. autumnali MILL., cui male jungitur a cl. SCHULTES in Syst. veg. I. Mantiss. p. 275.

Praeunte cl. BORY, qui primus in Exp. scientif. de Morée I. c. p. 21. de identitate suspicatus est, huic jungo Cr. Thomasii TEN., qui habitu et notis omnibus prorsus cum nostro congruit. Proportio filamentosum cum antheris in genere variabilis. Icon cl. REICHB. nostrum nitidissime exhibet, foliorum ciliis tantummodo parum longioribus ac in nostro.

Usus. Stigmata hujusce in Dalmatia colliguntur et venditantur pro illis C. sativi, iisdemque usibus tum medicis tum oeconomicis inserviunt. Crocum suppeditant subtiliorem sed magis fragrantem, qui tamen cultura crassior fit, et orientali simillimus.

220. Crocus sativus L. sp. pl. ed. II. p. 50. (excl. var. *β.*). Host. fl. austr. 1. p. 42. Reichb. fl. exc. p. 85.

C. tunicis radicalibus tenuiter fibroso-intertextis, spatha florali monophylla, tubi fauce villosa, stigmatis tripartiti laciniis longissimis filiformi-clavatis deflexis crenulatis, stamina superantibus.

Icon. Fuchs hist. stirp. p. 441.
Blackw. herb. 1. tab. 144. f. 1.
Mill. icon. pl. tab. III.
Engl. bot. t. 343. (sub C. autumnali).

Illyr. Çiafran. Bendùska. Xufran.

Hab. in collibus circa Salona, et in monte Marian prope Spalato, unde misit prof. Petter. An olim cultus? Flores violacei. ♃.

Usus. Stigmata hujusce plantae remedium narcoticum, anodynum, deprimens, emmenagogum sistunt, et aromate quo praestant, et qualitate tinctoria condimentariis adhibentur. Colorem quoque luteum suppeditant.

Obs. Icon Lam. Enc. bot. tab. 30. f. 1. huc a pluribus ducta, stigmate breviter trifido nec tripartito, laciniis profunde sectis evidenter a nostro discrepat.

LXXIII. Romulea Maratt.

Pl. romul. et saturn. p. 13.

Char. Flores radicales. Perianthium tubo recto brevissimo, limbo campanulato-patente aequaliter sexpartito erecto. Spatha hypogyna diphylla. Stigmata tria angustissima bipartita. Capsula subglobosa trilocularis trivalvis polysperma, seminibus subrotundis angulatis. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

221. Romulea Bulbocodium Sebast. et Maur. fl. rom. prodr. p. 17.

R. foliis linearibus sulcatis basi canaliculatis flexuoso-recurvis scapo subunifloro longioribus, spathis flore brevioribus, stigmatibus stamina superantibus.

Syn. Ixia Bulbocodium Linn. sp. pl. p. 51. Vis. stirp. dalm. p. 38. Host. fl. austr. 1. p. 44. Alsch. fl. jadr. p. 14. Pett. bot. Wegw. n. 521.
Trichonema Bulbocodium Ker in Ann. of bot. 1. p. 224. Reichb. fl. exc. p. 93.

Icon. Jacq. icon. rar. 3. t. 271.
Engl. bot. t. 2549.
Nees. gen. pl. fasc. V. (Trichonema).

Hab. in pascuis herbidis apricis tum insularum tum continentis totius Dalmatiae. Floret jam a Januario in insulis Curzola, Lesina, Meleda etc., Martio ubique. Perianthium fundo flavescente, intus albo violaceum, extus virescens. ♃.

Obs. Scapus quandoque biflorus vel triflorus, et tunc profunde divisus in ramos seu pedunculos elongatos, quamquam prima fronte flos inferior sessilis videatur, eo quod pedunculi sint insimul spatha conjuncti. Spatha sub germine inserta diphylla, valvis lanceolatis. Folia basi tantum canaliculata margiuibus conniventibus, apicem versus ob margines simul coalitos compressa.

16

LXXIV. Gladiolus L.

Gen. pl. p. 18.

Char. Flores spicati. Perianthium infundibuliforme, tubo incurvo, limbo inaequaliter sexpartito, spatha florali diphylla. Stamina adscendentia. Stigmata tria oblonga indivisa. Capsula ovata trilocularis trivalvis, seminibus alatis. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

222. Gladiolus communis L. sp. pl. ed. II. p. 52. Host. fl. austr. 1. p. 44. ex loc. (excl. syn. Sibth.).

G. spica multiflora, floribus secundis, antheris filamento subaequalibus, foliis ensiformibus, tunicis radicalibus membranaceis subparallele nervosis.

Icon. Curt. bot mag. tab. 86.
Lam. Enc. bot. pl. 32. f. 1.
Bull. herb de la Fr. tab. 8.
Rivin. monop. irreg. tab. 110. (nec 163.)
Park. parad. p. 189. t. 191. f. 1.

Hab. inter segetes insulae Lesina, circa Ragusa et Budua. Floret Majo. Perianthia rubro-violacea. ♃.

Obs. Speciem linnaeanam synonimo C. Bauh. (G. floribus uno versu dispositis Pin. 41.) jam in prima editione Spec. Plant. a Linnaeo ipso munitam, et in editione altera ejusdem operis icone Rivini supra citata clarius designatam, quod synonimon et icon in plantam nostram optime cadunt, huc omnino spectare arbitror, nec ad Gl. segetum Gawl., qui floribus distichis prima fronte ab illo recedit, et a Linnaeo ipso in edit. duodecima Syst. nat. II. p. 76. pro illius var. γ. distinctus fuit cum synonimo C. Bauh. (G. utrinque floridus pin. 41.)

223. Gladiolus segetum Gawl. in bot. mag. p. 719. Reichb. fl. exc. p. 83.

G. spica multiflora, floribus distichis, antheris filamento longioribus, foliis ensiformibus, tunicis radicalibus membranaceis nervoso-reticulatis.

Syn. G. communis γ. L. syst. nat. ed XII. tom. II. p. 76.
G. communis Sibth. et Sm. fl. gr. 1. p. 27. Alsch. fl. jadr. p. 15. ex loco (excl. diagn.) nec L.
G. Ludovicae Jan Elench. herb. fl. it. sup. p. 1. Pett. bot. Wegw. n. 452.
G. byzantinus Vis. stirp. dalm. p. 36. nec Mill.

Icon. Reichb. Icon. pl. rar. cent. VI. f. 819.
Gawl. bot. mag. t. 719.
Sibth. et Sm. fl. gr. 1. tab. 37.
Lobel. ic. stirp. p. 99. f. sinistr.

Illyr. Maç. Maçinoz. Sabljau.

Hab. inter segetes totius Dalmatiae frequens. Floret Apr., Majo. Perianthia rubro-violacea. ♃.

Obs. Differt a Gl. byzantino Mill. dict. n. 3. Reichb. rar cent. VII. p. 22. ic. 866. floribus multo minoribus, laciniis non ovatis patentibus sed lanceolatis conniventibus. Gladiolus dalmaticus cl. Tausch. in Syll. pl. bot. Zeit. II. p. 256. ex diagnosi ibidem data huic affinis, sed num revera differat nescio.

224. Gladiolus triphyllus SIBTH. Mss. ex fl. gr. prodr. 1. p. 25.

G. spica subtriflora, floribus secundis, antheris filamento brevioribus, foliis lineari-ensiformibus, tunicarum radicalium fibris solutis crassis laxis, hinc inde arcuato-connexis.

Syn. Gl. communis REICHB. pl. rar. cent. VI. p. 26. et fl. exc. p. 83.
Gl. communis β. SIBTH. et SM. fl. gr. prodr. 1. p. 25. et fl. gr. 1. p. 28.
Gl. palustris GAUD. Fl. helv. I. p. 97. REICHB. Fl. germ. exsicc. n. 1214.

Icon. REICHB. ic. pl. rar. VI. f. 817.
SIBTH. et SM. fl. gr. 1. tab. 38.
ZANNICH. ist. delle piant. ven. tab. 53.

Hab. in pascuis ad confinia inter Pastrovich et Montenegro, ubi legit doct. CLEMENTI. Floret Majo, Junio. Perianthia rubro-violacea. ♃. Scogli di Curzola Botteri

Obs. Prioribus minor, subtriphyllus, angustifolius, pauciflorus, ita ut huic nullimode quadret synonimum C. BAUH. (G. floribus uno versu dispositis major et procerior Pin. 41.) a Linnaeo ipso in Syst. nat. ed XII. tom. 2. p. 76. et icon. Riviniana ab eodem in Spec. pl. ed. II. p. 52. pro G. communi citati. Huc etiam reduci debet G. Boucheanus SCHLECHT. in Linnaea vol. VII. p. 488. et KOCH. syn. fl. germ. p. 699., cujus specimina ad Moosbrunn prope Vindobonam lecta cum nostris omnino identica video. Proportio filamenti cum anthera longitudine varia, sed haec semper filamento suo brevior. Tunicarum radicalium textura ab omnibus differt.

225. Gladiolus illyricus KOCH. syn. fl. germ. p. 699. REICHB. fl. germ. exsicc. n. 1415. et β. carniolicus ib. n. 1509.

G. spica subtriflora; floribus secundis, antheris filamento brevioribus, foliis lineari-ensiformibus, tunicis radicalibus membranaceis nervoso-reticulatis.

Hab. inter segetes, et in maritimis circa Ragusa, et in planitie Dversno dicta in montibus Krivoscie prope Cattaro. Floret Majo, in montibus Julio. Perianthia rubro violacea. ♃.

Obs. Simillimus G. triphyllo, a quo praecipue discrepat tunicarum radicalium fibris membranula connexis, duplo tenuioribus, arcte et tenuissime reticulatis, basin versus parallele stipatis: antherae quoque breviores sunt ac in illo.

Ordo IX. AMARYLLIDEÆ.

R. BROWN. prodr. fl. nov. Holl. p. 257.

Flores speciosi hermaphroditi terminales in scapo solitarii aut umbellati, bracteis spathaceis inclusi. Perianthium corollinum superum sexpartitum aut hexaphyllum, saepe ad faucem coronatum. Stamina sex perianthii segmentis opposita, disco epigyno aut perianthio inserta, filamentis liberis, aut basi in corona connatis, antheris introrsis basi vel medio affixis, loculis parallelis, longitudinaliter aut apice dehiscentibus. Pistillum stigmate trilobo aut indiviso, stylo unico, ovario infero triloculari multiovulato, ovulis in loculorum angulo centrali biseriatis. Capsula, raro bacca, trilocularis trivalvis, valvulis medio septiferis polyspermis, placentis nerviformibus centralibus. Semina anatropa testa membranacea aut crassa, albumine carnoso, embryone incluso axili, radicula hilum spectante.

Herbae bulbosae, raro rhizomate perennantes, scapigerae, foliis radicalibus simplicibus linearibus vaginantibus, integerrimis, raro dentato-spinosis.

Clavis analytica generum.

Perianthio intus nudo vid No. . 1	Perianthio intus coronato vid. No. . 4.
1 Radice bulbosa 2	Radice fibrosa. **Agave.**
2 Flore pendulo 3	Flore erecto **Sternbergia.**
3 Perianthii phyllis aequalibus **Leucojum.**	Perianthii phyllis internis brevioribus **Galanthus.**
4 Staminibus inclusis **Narcissus.**	Staminibus exsertis **Pancratium.**

LXXV. Agave L.

Hort. upsal. p. 87.

Char. Perianthium infundibuliforme, limbo subaequaliter sexpartito. Stamina perianthii tubo inserta, filamentis liberis, antheris dorso affixis. Stylus cavus apice pervius, stigmate capitato-trigono. Capsula coriacea triquetra loculicido-trivalvis, seminibus plano-compressis, marginatis. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

226. Agave americana L. amoen. acad. 3. p. 22. Vis. stirp. dalm. sp. p. 23. Reichb. fl. exc. p. 90. Alsch. fl. jadr. p. 81. Pett. bot. Wegw. n. 14.

A. foliis glaucis margine et apice spinosis, scapo altissimo paniculato, ramulis apice multi-corymbulosis, floribus secundis.

Icon. Nees gen. pl. fasc. X. (Agave) f. 1—7. (opt.)
Lam. ill. pl. 235. f. 1.
Cam. Hort. med. Icon. p. V.

var. β. marginata: foliis ochroleuco marginatis.

Illyr. Alog, Smokva glussiza, Smokva arapska.

Hab. ad rupes maritimas et secus litora tum continentis tum insularum totius Dalmatiae: var. in insula Lissa prope Comisa. Floret aestate, rarius in Dalmatia occidentali, frequentius in insulis. Flores pallidi. ♃.

Usus. Ope macerationis fila tenacissima praebet linteis rudioribus funibusque parandis aptissima. Succus foliorum inspissatus urinam valide ciet, et in hydrope utiliter propinatur.

Obs. An planta haec oram maris mediterranei, et ex parte quoque adriatici late incolens eadem sit ac species homonyma Americae aequinoctialis, ex observatione in Journ de l'Acad. d'hortic. tom. 2. p. 351., cujus meminit cl. Bertol. in fl. ital. IV. p. 156., valde dubium. Si nostra ab illa reapse differt scapo multo

elatiore, panicula decomposita, ramulis non umbellam solitariam simplicem, sed plures corymbulos apice ferentibus, ut auctor observationis supradictae, qui plantam in ipsa America vidit, testatur, tunc nostram Agaves europaeae nomine distinguendam propono.

Camerarius in Hort. med. p. 11. de hac scripsit: „Hanc plantam primus habuit, ni fallor, in Italia Jacobus Ant. Cortusus nob. Patavinus, de re herbaria optime meritus, apud quem vidi inter alia selectissima anno 1561." Linnaeus vero in sp. pl. ed. II. p. 461. edidit = Cortusus plantam primus in Europa habuit 1561. (Camer. hort. 11.) =, mutata Italia in Europa. Errorem hunc tanta auctoritate capti excripsere etiam nuperrimi.

LXXVI. Sternbergia Waldst. et Kit.

Pl. rar. hung. II. p. 172.

Char. Perianthium infundibuliforme limbo subaequaliter sexpartito. Stamina perianthii fauci inserta, alternis longioribus, filamentis liberis, antheris dorso affixis. Stylus triqueter stigmate trigono aut subtrilobo. Capsula baccata trigona latere dehiscens, seminibus subglobosis, raphe carnosa cristatis. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

227. Sternbergia colchiciflora W. Kit. l. c. Host. fl. austr. I. p. 428. Reichb. fl. exc. p. 87. var. Alsch. fl. jadr. p. 78. Pett. bot. Wegw. n. 915.

St. foliis hysteranthiis linearibus obliquis, perianthii tubo vix spatha breviore, laciniis sublinearibus, externis acutis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. (Sternbergia) fasc. VI.
W. et K. l. c. tab. 159.
Lobel. ic. stirp. p. 148. f. XL.
Clus. rar. pl. hist. 1. p. 164. f. inter. (ead.)
Barrel. ic. pl. tab. 984.

Hab. in pratis lapidosis ultra Czerno prope Zara, et circa Pokrovnik non ita longe a Dernis. Floret Sept. Oct. Flores lutei. ♃.

Obs. In planta dalmatica flos minor, ac in hungarica, partitionibus angustioribus tubo subaequalibus, ut recte notavit cl. Reichenbach; stylus in utraque longitudine varius.

228. Sternbergia lutea Ker. revis. Amaryll. p. 4. Host. fl. austr. I. p. 429. Reichb. fl. exc. p. 87. Alsch. fl. jadr. p. 79. Pett. bot. Wegw. n. 916.

St. foliis synanthiis late linearibus canaliculatis, perianthii tubo spatha duplo breviore, laciniis ellipticis obtusis.

Syn. Amaryllis lutea L. sp. pl. p. 420. Sibth. et Sm. prodr. fl. gr. p. 221.
Vis. stirp. dalm. p. 24.

Icon. Sibth. fl. gr. IV. tab. 310.
Curt. botan. mag. tab. 290.
Clus. hist. pl. 1. p. 164.

Hab. in saxosis circa Zara, Sebenico, Scardona, Dernis, Rogosnizza, Spalato, in monte Marian, in insula Lesina, et circa Vergoraz et Ragusa. Floret Sept., Octobr. Fl. lutei. ♃.

LXXVII. Leucojum L.

Gen. pl. ed. II. p. 113.

Char. Perianthum regulare campanulatum limbo subaequaliter sexpartito, laciniis apice incrassatis. Stamina perianthii fauci inserta aequalia, filamentis liberis, antheris basi affixis. Stylus teres, stigmate simplici. Capsula demum sicca ovata loculicido-trivalvis, seminibus globosis. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

229. Leucojum aestivum L. sp. pl. p. 414. Vis. stirp. dalm. p. 39. Host. fl. austr. 1. p. 416. Reichb. fl. exc. p. 87. Alsh. fl. jadr. p. 78. Pett. bot. Wegw. n. 545.

L. foliis linearibus spatha multiflora, stylo clavato.

Icon. C. F. Nees gen. pl. (Leucojum) fasc. VI.
Lam. enc. bot. pl. 230. f. 2.
Jacq. fl. austr. tab. 203.
Engl. bot. t. 621.
Botan. mag. t. 1210.

Illyr. Bjela ljubicza. Drinovaz.

Hab. frequens in pratis aquosis circa Nona, Scardona, Dernis, Knin, Traù, Castelli, Salona, Almissa, Narenta. Floret Aprili, Majo. Flores albi, apicibus extus macula viridi notatis. ♃.

LXXVIII. Galanthus L.

Gen. pl. ed. II. p. 113.

Char. Perianthium campanulatum inaequaliter sexpartitum, laciniis tribus interioribus brevioribus emarginatis, medio nectariferis. Stamina perianthii fauci inserta aequalia, filamentis liberis, antheris supra basim affixis, cuspidatis. Stylus filiformis, stigmate simplici acuto. Capsula ovata loculicido-trivalvis, seminibus subglobosis. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

230. Galanthus nivalis L. sp. pl. p. 413. Host. fl. austr. 1. p. 415. Reichb. fl. exc. p. 87.

G. foliis costa carinatis, utrinque planis, anguste linearibus, perianthii laciniis externis oblongis internas duplo superantibus.

Icon. C. F. Nees gen. pl. (Galanthus) fasc. VI.
Lam. Enc. bot. pl. 230.
Engl. botan. tab. 19.
Roem. fl. europ. fasc. V. ic.

Jacq. fl. austr. t. 313.
Fl. dan. tab. 1265.

Hab. in dumetis et fruticetis in Valle di Breno circa Ragusa et prope Cattaro. Floret a Decembri ad Februar. Fl. albi, laciniis internis macula viridi notatis. ♃.

LXXIX. Narcissus L.

Gen. pl. ed. II. p. 113.

Char. Perianthium hypocraterimorphum limbo subaequaliter sexpartito, ad faucem corona praeditum. Stamina summo tubo inclusa, tribus altius insertis, filamentis brevissimis, antheris dorso affixis. Stylus filiformis, stigmate simplici obtuso. Capsula obtuse trigona trivalvis loculicido-dehiscens, seminibus subglobosis. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

231. Narcissus poeticus L. sp. pl. p. 414. Host fl. austr. 1. p. 416. Reichb. fl. exc. p. 88. Alsch. fl. jadr. p. 78. Pett. bot. Wegw. n. 626.

N. foliis linearibus planis, scapo unifloro ancipiti, perianthii laciniis ovalibus basi imbricatis, corona discolore brevissima cyathiformi crenata.

Icon. C. F. Nees gen. pl. (Narcissus) fasc. VI. fig. 1—5.
Bull. herb. de la Fr. tab. 306.
Parkins. parad. terr. p. 75. f. 1.

Illyr. Zelenkadda, Jaghljza, Sunovrat, Luxanja.

Hab. in pascuis ins. Pago, circa Boccagnazzo, et in montibus Vellebith, Promina, Svilaja, Dinara, Beljak, Biokovo, Vlastiza, Kolovir etc. Floret Aprili. Fl. albus, coronae flavae margine kermesino. ♃.

232. Narcissus Tazzetta L. sp. pl. p. 416.

N. foliis linearibus canaliculatis obtusis glaucescentibus, scapo ancipiti subsexfloro, perianthii laciniis ovalibus apiculatis, exterioribus interiorum margines basi obtegentibus, corona discolore cyathiformi subintegerrima duplo longioribus.

Icon. Barrel. ic. pl. 943 (opt.)

var. β. coronae margine denticulato aut lobato.

Icon. Barrel. ic. pl. 974. (opt.)

Hab. species circa Sebenico loco Propad dicto in saxosis apricis, et in rupestribus montis Marian ad S. Girolamo prope Spalato, varietas circa Lossin grande, et Lossin piccolo in insula Ossero ad mare et in insula Pago. Floret Februario, Martio. Flores albi corona lutea. ♃.

Obs. Planta nostra differt a N. polyantho Lois.; qui speciem corona alba praeditam descripsit, et Narcissum latifolium simplici flore prorsus albo I. et II. Clusii hist. pl. p. 155. pro synonimo citavit (cfr. Lois fl. gall. ed II. 1. p. 236), corona lutea. Citationes omnes omisi, cum dubitem an plantae nostrae exacte respondeant. Varietati β tamen pertinere videtur, exclusa descriptine, N. Tazzetta Koch. syn. fl. germ. p. 703, cujus specimina a Dr. Noe lecta habui e loco ipso a cl. Koch indicato, ni haec ibidem simul cum specie crescat.

233. Narcissus niveus Lois. Journ. de bot. 2. p. 278, et Fl. gall. ed. II. 1. p. 236.

N. foliis late linearibus planis obtusis glaucescentibus scapo ancipiti 6—10-floro, pedunculis angulatis, perianthii laciniis ovato-acutis, mucronatisve basi distantibus, corona concolore cyathiformi erosa triplo longioribus.

Syn. N. stellatus DC. fl. fr. V. p. 323. Reichb. fl. exc. p. 89.
N. papyraceus (a) Gawl. bot. mag. p. 947.

Icon. Gawl. loc. cit. tab. 947.
Clus. hist. pl. lib. II. p. 155. f. 1.
Barrel. ic. pl. 915. 916.

var. β. flore pleno.

Hab. in lapidosis ad mare circa Zara, prope Sebenico cum praecedente, circa Castel nuovo et Castel vecchio prope Traci. Floret Februario et Martio. Flores omnino albi. ♃.

Obs. Huc ex loco natali pertinere videtur N. Tazzetta Host. fl. austr. 1. p. 417., Alsch. fl. jadr. p. 78., Pett. bot. Wegw. n. 627., exclusis descriptionis iconibus synonimisque. Barrellieri iconem 915. ob coronam crenulatam potius huic quam N. polyantho spectare arbitror; icon autem 962. speciem flore medio croceo, nec omnino albo, praeditam exhibet, ideoque a nostro diversa.

234. Narcissus odorus L. sp. pl. p. 416. Reichb. fl. exc. p. 89.

N. foliis linearibus semiteretibus canaliculatis striatis obtusis virescentibus, scapo compresso-tereti 1—4-floro, perianthii laciniis ovali-oblongis acutis, corona concolore campanulata sexloba semel longioribus.

Syn. N. calathinus Gawl. bot. mag. p. 934. (non L.)

Icon. Gawl. bot. mag. p. 934. (fl. solit.)
Clus. hist. pl. 1. p. 158.?

Hab. in hortis insulae Lesina, unde misit prof. Stalio. Flores omnino lutei fragrantes. Floret Martio, Aprili. ♃.

Obs. N. calathinus L. differt foliis planis, et corona subcrenata petala aequante. Icon vero Clusiana superius citata, et a Linnaeo ipso N. calathino adscripta, nostram optime repraesentat.

235. Narcissus Pseudo-Narcissus L. sp. pl. p. 414. Reichb. fl. exc. p. 88.

N. foliis late linearibus glaucis planis, scapo compresso unifloro, perianthii laciniis ovali-lanceolatis acutis coronam concolorem longe campanulatam limbo patulam undulatam incisam subaequantibus.

Icon. C. F. Nees gen. pl. (Narcissus) f. 6.
Bull. herb. de la Fr. tab. 389.
Engl. bot. t. 17.
Barrel icon. 929. 930.

Hab. in lapidosis apricis ad Breno prope Ragusa. Fr. Neumayer. Floret Aprili, Majo. Flores lutei, corona quidquam saturatiore.

LXXX. Pancratium L.

Gen. pl. ed. II. p. 114.

Char. Perianthium infundibuliforme sexpartitum, laciniis linearibus subaequalibus patulis, ad faucem corona fissa staminifera praeditum. Stamina filamentis rigidis filiformibus, antheris dorsi medio affixis. Stylus filiformis, stigmate indistincto. Capsula trigona trivalvis loculicido-dehiscens, seminibus globosis atris raphe externa carnosa donatis. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

236. Pancratium maritimum L. sp. pl. p. 418. Reichb. fl. exc. p. 90.

P. foliis lineari-ligulatis glaucis, spatha multiflora, floribus longe tubulosis, laciniis perianthii lanceolato-linearibus, coronae bifidis; staminibus conniventibus.

Icon. Sibth. fl. gr. t. 309.
Cav. ic. pl. 1. tab. 56. (excl. syn. Mill.)
Clus. hist. pl. 1. p. 167.

Hab. in maritimis arenosis circa Budua, ubi solummodo invenit consil. Tommasini. Floret Augusto. Flores albi, laciniarum perianthii costa viridi. ♃.

Obs. Verum P. illyricum L. hactenus in Dalmatia frustra quaesitum ideoque nomen specificum, quod a Synonimo Bauhini (Narcissus illyricus liliaceus Pin. 55.) Linnaeus desumpsit, delendum, et patriam Illyriam cum signo dubitationis ab ipso eidem tributam, in veriorem mutandam censeo. Planta, de qua loquitur cl. Reichb. in fl. exc. add. p. 140. 13. n. 614. fide ill. Welden, est idem P. maritimum. Icones Milleri II. p. 32. tab. 197., et Moris. hist. 2. p. 365. 5. 4. tab. 10. f. 28., etsi a Linnaeo citatas, consulto omisi, cum illa potius referat P. illyricum verum (quod cfr in Curt. bot. mag. tab. 718.), haec male exprimat perianthii formam ac longitudinem florum P. maritimi.

Ordo X. LILIACEÆ.

DC. th. élém. ed. I. p. 249.

Flores hermaphroditi terminales solitarii aut racemosi aut umbellati, bracteati. Perianthium corollinum inferum plus minus sexfidum aut hexaphyllum, fauce nudum. Stamina sex perianthii segmentis opposita iisque inserta vel hypogyna, filamentis liberis, antheris introrsis, basi vel medio affixis, loculis parallelis longitudinaliter dehiscentibus. Pistillum stigmate trilobo aut indiviso, stylo unico, ovario supero e tribus arcte connatis, triloculari, multiovulato, ovulis in loculorum angulo centrali biseriatis. Capsula sicca, rarius subbaccata, trilocularis trivalvis loculicido-dehiscens, valvulis medio septiferis, placentis centralibus raro in columellam centralem demum liberam connatis. Semina testa membranacea aut crustacea, albumine carnoso, embryone incluso axili, radicula hilo proxima.

Herbae bulbosae aut tuberosae scapigerae aut caulescentes, foliis simplicibus linearibus vel lanceolatis, integerrimis, basi vaginantibus aut amplexantibus.

Clavis analytica generum.

	Radice bulbosa vid. No. 1	Radice tuberosa aut fibrosa vide No. 10
1	Perianthio hexaphyllo aut sexpartito 2	Perianthio sexfido aut sexdentato . 8
2	Perianthii phyllis nectariferis . 3	Perianthii phyllis nudis 4
3	Foveola nectarifera supra basim phyllorum **Fritillaria.**	Sulco nectarifero longitudinali **Lilium.**
4	Stigmatibus stylo instructis . . 5	Stigmatibus sessilibus. **Tulipa.**
5	Floribus corymbosis aut racemosis bracteatis 6	Floribus umbellatis spatha scariosa suffultis **Allium.**
6	Filamentis basi dilatatis . . . 7	Filamentis tereti-subulatis **Scilla.**
7	Antheris dorso affixis **Ornithogalum.**	Antheris basi affixis **Gagea.**
8	Perianthii ore aequali aut ampliato 9	Perianthii ore constricto **Muscari.**
9	Perianthii limbo patulo **Hyacinthus.**	Perianthii limbo erecto **Bellevalia.**
10	Stigmate indiviso 11	Stigmate trilobo aut ternis . . . 12
11	Genitalibus rectis **Anthericum.**	Genitalibus declinato-adscendentibus **Asphodeline.**
12	Perianthii phyllis omnibus ecallosis **Asphodelus.**	Phyllis duobus interioribus basi bicallosis **Erythronium.**

LXXXI. Fritillaria L.

Gen. pl. ed. II. p. 117.

Char. Perianthium campanulatum aequaliter sexpartitum, laciniis foveola nectarifera oblongo-lineari suprabasilari praeditis, deciduis. Stamina imo perianthio inserta et inclusa, filamentis subulatis rectis, antheris antice supra basim affixis. Stylus apice trifidus stigmatibus filiformibus. Capsula obtuse trigona apice trivalvis, seminibus obovatis-planis. — *Class.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

237. Fritillaria montana Hopp. pl. sicc.

F. foliis lanceolato-linearibus, inferioribus floralibusque suboppositis, caeteris sparsis, floribus subsolitariis, perianthii laciniis oblongo-obovatis obtusis tessellatis rectis patulis, foveola nectarifera obovata.

Syn. F. tenella (Wickstr. Beskrifn. p. 6. et 8.!) Reichb. fl. exc. p. 102. Fl. exsicc. 1215.!

F. pyrenaica Host. herb. et fl. austr. 1. p. 426. non L.

F. Meleagris Alsch. fl. jadr. p. 79. Pett. bot. Wegw. n. 419. non L.

var. β. foliis longe linearibus, caule bifloro.

Icon. F. racemosa (a) Gawl. bot. mag. tab. 1216.?

Hab. in pascuis montium Vellebith, Promina, Svilaja, Beljak, Vissosniza, Mossor, Biokovo, nec non ditionis Ragusinae: varietas promiscue cum specie in graminosis collium montiumque Ragusinorum, unde misere Neumeyer et Rubrizius. Fl. Mart. Jun. Flores e viridi rubentes, tesselati. ♃.

Obs. Planta mire varians latitudine, longitudine et dispositione foliorum, quae nunc omnia sparsa, nunc infima, nunc suprema, modo utraque subopposita, supremis nunc pedunculo brevioribus, nunc multo longioribus. In varietate, quam nullo charactere constanti a specie potui distinguere, flores bini, rarius ex apice caulis opposite prodeuntes, et tunc foliis 4—6 flore duplo longioribus subverticillatis involucrati; saepius alterni, et tunc flos singulus folio unico aut binis plus minus longis instructus. Icon Gawleri superius citata postremae hujus formae habitum bene exprimit. Differt varietas nostra a planta circa Ragusam lecta ab ill. Welden, quam ad F. pyrenaeam Clus duxit cl. Reichenbach in fl. exc. p. 103. flore gemino laciniis apice rectis. An nostrae potius spectat F. involucrata Reichb. l. c. p. 140. 15. quae tantum differre videtur caule unifloro?

Icone F. tenellae Wickstr. in Act. acad. Holm. II. p. 8. tab. 5. f. 3. mihi adhuc invisa, et descriptione plantae hujus ab ipso auctore ibidem data iconi illi minime respondente, ut jam monuit cl. Schultes in Syst. veg. VII. p. 392., tutius duxi nomen certum Hoppeanum admittere, quam F. tenellae nomen, dubius insuper an planta Wikstroemii eadem omnina sit ac species homonyma Bibbersteinii.

LXXXII. Lilium L.

Gen. pl. ed II. p. 116.

Char. Perianthium campanulatum vel revolutum, sexpartitum vel hexaphyllum, deciduum, laciniis sulco nectarifero a medio ad basim instructis. Stamina imo perianthio aut receptaculo inserta, filamentis subulatis, antheris antice medio affixis. Stylus cylindraceus stigmate capitato trigono. Capsula obtusa trigona apice trivalvis, seminibus obovatis planis. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

238. Lilium candidum L. sp. pl. ed. II. p. 433. Reichb. fl. exc. p. 103. Alsch. fl. jadr. p. 79. Pett. bot. Wegw. n. 548.

L. foliis sparsis lanceolatis undulatis obtusis, floribus campanulatis suberectis, laciniis patulis.

Icon. Curt. bot. mag. t. 278.
Blackw. herb. tab. 11.

Illyr. Ljer, Krin, Ljer bili, Xilj.

Hab. in saxosis prope Zara, in insula Pago, circa Zlarin prope Sebenico, et circa Dernis. Floret Junio. Flores candidi fragrantes. ♃.

239. Lilium Martagon L. sp. pl. ed. II. p. 435. Host. fl. austr. 1. p. 426. Reichb. fl. exc. p. 103. Alsch. fl. jadr. p. 79. Pett. bot. Wegw. n. 550.

L. foliis obverse lanceolatis acuminatis planis, intermediis verticillatis, caeteris sparsis, floribus reflexis, laciniis revolutis.

Icon. C. F. Nees. gen. pl. fasc. IV. (Lilium) fig. 1—10.
Lam. Enc. bot. pl. 246. f. 3.
Bot. mag. tab. 893.
Jacq. fl. austr. t. 351.

Hab. in sylvis montium Vellebith, Promina, Svilaja, Beljak, Biokovo, Stazza, Sniesnixa, Krivoscie. Floret Majo, Junio. Flores persicini, aut vinosi, intus fusco punctati. ♃.

240. Lilium carniolicum Bernh. (cfr. Mert. et K. d. fl. 2. p. 56.)

L. foliis sparsis omnibus lineari-lanceolatis acutis planis, subtus pubescentibus, floribus reflexis, laciniis revolutis.

Syn. L. chalcedonicum Jacq. fl. austr. V. p. 37. Host. fl. aust. 1. p. 425. Reichb. fl. exc. p. 103. et 140. 15. Alsch. fl. jadr. p. 79. Pett. bot. Wegw. n. 549. (non L.)

Icon. Jacq. fl. austr. app. t. 20.
Bot. mag. tab. 871.
Matth. disc. in Diosc. Valgr. 1568. p. 922.

Hab. in sylvaticis montium Vellebith, Shnjat, Vissosnizza, Beljak. Floret Junio. Flores miniati graveolentes, intus fusco lineati et verruculosi, basi virentes. ♃.

Obs. **Differt a L. chalcedonico, cum quo Linnaeus ipse commiscuit (sp. pl. ed. II. p. 434.) foliis apice acutis nec obtusis, subtus ad nervos pubescentibus nec ibidem glabris, planis nec contortis, caule superne nudiusculo, nec „usque ad apicem foliis vestitus confertis" ut de illo Linnaeus.**

LXXXIII. Tulipa Tourn.

Inst. V. herb. t. 199. 200.

Char. Perianthium campanulatum sexpartitum vel hexaphyllum, deciduum, laciniis nudis. Stamina receptaculo inserta inclusa, filamentis subulatis, basi barbatis, antheris basi affixis. Stigma magnum sessile lobis tribus complicatis patentibus. Capsula obtusa trigona trivalvis seminibus obovatis planis. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

241. Tulipa sylvestris L. sp. pl. ed. II. p. 438. Host. fl. austr. I. p. 428. Reichb. fl. exc. p. 104. Alsch. fl. jadr. p. 79. Pett. bot. Wegw. n. 978.

T. caule unifloro glabro, flore virgineo nutante, laciniis perianthii acutis, apice pilosiusculis, foliis lineari-lanceolatis.

Icon. C. F. Nees. gen. pl. fasc. IV. (Tulipa.)
Roem. fl. europ. ic. 7.
Bot. mag. t. 1202.
Engl. bot. t. 63.
Fl. dan. t. 375.

Hab. in sylvaticis montium Vellebith, Svilaja, Mossor, Biokovo, Vlastiza, Sniesniza, Kolovir, nec non in vineis circa Vergoraz et circa Breno. Floret Majo. Flos luteus, extus basi interdum virescens. ♃.

LXXXIV. Allium L.

Gen. pl. ed. V. p. 143.

Char. Perianthium hexaphyllum vel sexpartitum, laciniis patentibus aut campanulato-conniventibus, persistentibus. Stamina imo perianthio inserta, filamentis filiformibus, aut basi dilatata subconnatis, alternis interdum tricuspidatis, antheris dorsi medio affixis. Stylus filiformis, stigmate simplici. Capsula trisulca aut triloba, trivalvis, stylo coronata, loculis mono-dispermis, seminibus ovato-reniformibus. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

* Moly Boerh. ind. alt. lugd. bot. 2. p. 146.
Staminibus omnibus simplicibus liberis.

242. Allium moschatum L. sp. pl. ed. II. p 427. Host. fl. austr. 1. p. 424. Reichb. fl. exc. p. 111. Alsch. fl. jadr. p. 78. excl. syn. Tourn. Pett. bot. Wegw. n. 30.

A. bulbo oblongo tunicis fibroso-intertextis obducto, scapo inferne folioso, foliis setaceis teretibus canaliculatis, spatha bivalvi lanceolata acuminata, umbella pauciflora laxa, perianthii laciniis olongo-lanceolatis stamina superantibus.

Syn. A. capillare Cav. ic. pl. 3. p. 4. Vis. stirp. dalm. p. 24. Pett. bot. Wegw. n. 26.
A. setaceum W. et Kit. pl. rar. hung. 1. p. 70.

Icon. Reichb. Icgr. bot. V. f. 115.
Cav. loc. cit. 3. tab. 206. f. 1.
W. et Kit. loc. cit. tab. 68.
C. Bauh. Prodr. p. 28.

Hab. in collibus, locisque saxosis apricis circa Zara, Sebenico, Ragusa, Cattaro; et in insulis Brazza et Lesina. Flores albidi aut rosei, nervo laciniarum rubro, laciniae in nostris obtusae. Floret Aug., Sept. ♃.

243. Allium saxatile Bieb. Beschr. am Casp. Meer. p. 167. App. n. 39. et Flor. taur. cauc. 1. p. 264.

A. bulbo oblongo tunicis membranaceis obducto, scapo inferne folioso, foliis subulatis teretibus canaliculatis, spatha bivalvi in foliolum subulatum producta umbellam densam haemisphaericam subsuperante, perianthii laciniis oblongis staminibus dimidio brevioribus.

Icon. Reichb. Iconogr. bot. V. p. 5. fig. 594. Fl. germ. exsicc. n. 1618.

Hab. in saxosis apricis, et rupestribus in monte Svilaja contra Dernis, in Biokovo, et in montibus circa Narenta. Floret a Majo ad Julium. Flores pallidi, exsiccatione ochroleuci, quandoque etiam pallide carnei. ♃.

Obs. Huc potius cum cl. Koch. in Syn. fl. germ. p. 717., quam ad A. suaveolens Jacq. (ic. rar. 2. p. 14. tab. 364.) cum cl. Bertolonio in Fl. Ital. IV. p. 49—50., pertinere arbitror plantam tergestinam e Monte Spaccato et Opçina, cujus specimina ibidem lecta cum nostris et cum illis A. saxatilis ill. Steven et Beaupré e Crimea in herbario De Candollii omnino identica esse video. A. suaveolens Jacq. differt ab hisce foliis planis acute carinatis triplo latioribus, nec teretibus subulatis, umbella globosa nec haemisphaerica, et praecipue spatha lato-lanceolata acuta umbella multo breviore, ut in icone Jacquini, nec apice in foliolum subulatum umbellam raro aequans, saepius superans producta. Differt quoque A. ochroleucum Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 2. p. 204. a nostro iisdem notis foliorum, spathae, et umbellae, nec non floribus duplo majoribus luteis.

244. Allium fallax Schult. syst. veg. VII. pag. 1072.

A. bulbo rhizomati repenti imposito, scapo basi vix folioso superne uniangulato, foliis anguste linearibus planis obtusis obliquis, spatha bi-tripartita pedunculis multo breviore, umbella fastigiata, antheris exsertis.

Syn. A. senescens Host. fl. austr. 1. p. 420. Reichb. fl. exc. p. 112. Alsch. fl. jadr. p. 77. Pett. bot. Wegw. n. 35. (non L.)

Icon. Reichb. Icgr. bot. VIII. tab. 735.
Clus. hist. pl. 1. p. 196.

Hab. in saxosis, circa Boccagnazzo prope Zara, et in pascuis montanis inter Dernis et Verlic/a. Floret Aug. Sept. Flores rosei, folia vix glaucescentia. ♃.

Obs. Differt ab hoc A. senescens L. sp. pl. ed II. p. 430., quod ex Linnaeo ipso, et ex citatione Gmel. fl. sib 1. p. 53. t. XI. f. 2., est planta sibirica, scapo ancipiti, foliis scapo triplo quadruplove latioribus (a Gmelino ensiformia, et iridiformia dicta), dum in nostro vix scapi latitudinem aequant, intense glaucis, et floribus duplo majoribus.

245. Allium subhirsutum L. sp. pl. ed. II. p. 424. Vis. stirp. dalm. p. 24. Alsch. fl. jadr. p. 77. Pett. bot. Wegw. n. 37.

A. bulbo subrotundo, scapo inferne folioso tereti, foliis late linearibus acuminatis carinatis planis margine pilosis, spatha univalvi demum lacera, pedunculis dimidio breviore, umbella fastigiata, staminibus perianthio obtuso brevioribus.

Syn. A. ciliatum Cyr. pl. rar. neap. 2. p. 16. Ten. fl. nap. 3. p. 365. Reichb. fl. exc. p. 779.
A. Clusianum Portenschl. herb. dalm.! Host. herb.! et fl. austr. 1. p. 419.

Icon. Tenor. loc. cit. tab. 137. f. 2. (opt.)
Cyr. loc. cit. tab. VI. (col. fl. falso.)
Curt. bot. mag. tab. 774.

Hab. in dumetis et ad sepes frequenter circa Zara, Sebenico, Dernis, Traù, Spalato, Almissa, Macarsca, Ragusa, et Pastrovichio, nec non in insulis Ossero et Lesina. Flores candidi. Floret Aprili, Majo. ♃.

Obs. Hoc esse A. subhirsutum L. testatur cl. Gussone in Bertol. fl. ital. IV. p. 47., qui specimen authenticum vidit in herbario Linnæano. Moly Dioscoridis Clus. hist. pl. 1. p. 192. a L. huc citatum differt umbella ex pedunculis abbreviatis pluribus densa et contracta; ceterae autem notae et habitus nostro omnino conveniunt. Moly minus ejusdem loc. cit. habitu simile, recedit perianthii laciniis in icone obovatis, in descriptione (p. 193.) orbiculatis. Color florum in icone Cyrilliana caeruleo-violaceus, in descriptione albus.

246. Allium roseum L. sp. pl. ed. I. p. 296. Host. fl. austr. 1. p. 421. Reichb. exc. p. 113. exs. 720. Alsch. fl. jadr. p. 77. Pett. bot. Wegw. n. 34.

A. bulbo subrotundo, scapo inferne folioso tereti, foliis late linearibus acuminatis planis, apice involutis, margine obsolete ciliolatis nudisve, spatha univalvi bi-quadriloba pedunculis breviore, umbella haemisphaerica, staminibus perianthio nitido eroso brevioribus.

Syn. A. illyricum Jacq. ic. rar. 2. p. 14.

Icon. Jacq. loc. cit. tab. 365.
Sibth. fl. gr. IV. tab. 314.

var. β. bulbilliferum: umbella basi bulbillifera.

Syn. A. carneum Bertol. pl. lig. dec. 1. p. 7.
A. ambiguum Sibth. fl. gr. 4. p. 23.

Icon. Tenor. fl. nap. 1. tab. 28.
Sibth. loc. cit. tab. 327.
Santi viagg. in Tosc. 3. tab. VI.
Bot. mag ic. 978.

Illyr. Divii luk.

Hab. copiose in vineis, dumetis et fruticetis circa Zara, Sebenico, Spalato, Salona, Macarsca, Ragusa, nec non in insulis Pago et Lesina, promiscue cum varietate. Flores rosei. Floret Aprili, Junio. ♃.

247. Allium neapolitanum Cyr. pl. rar. neap. I. p. 13. Vis. stirp. dalm. p. 24. Reichb. fl. exc. p. 114. et in add. p. 140. 17. n. 782.

A. bulbo ovato, scapo trigono ima basi folioso, foliis late linearibus acuminatis carinatis planis glabris, spatha univalvi acuminata pedunculis duplo breviore, umbella fastigiata, perianthii laciniis ovato-ellipticis erosis nitidis, staminibus dimidio longioribus.

Syn. A. lacteum Sibth. fl. gr. 4. p. 21.
A. album Sant. viagg. al Montam. p. 352.

Icon. Sibth. loc. cit. IV. tab. 325.
Sant. loc. cit. tab. VII.
Cyr. pl. rar. neap. 1. tab. 4.

Hab. ad muros hortorum circa Traù, et Spalato. Flores albi. Floret Mart., Apr., Majo. ♃.

248. Allium Chamae-Moly L. sp. pl. ed. II. p. 433. Reichb. fl. exc. in add. p. 140. 17. Alsch. fl. jadr. p. 77. Pett. bot. Wegw. n. 28.

A. bulbo ovali, scapo brevissimo incluso, foliis linearibus carinatis ciliatis pilosis, spatha univalvi mucronata pedunculos superante, umbella pauciflora, perianthii laciniis oblongo-linearibus staminibus duplo longioribus, capsulis subglobosis cernuis.

Icon. Botan. magaz. tab. 1203.
Maratt. Pl. rom. et saturn. p. 18. tab. 2.
Columm. Ecphr. 1. p. 326.

Hab. ad margines agrorum et sepes circa Lossin piccolo in insula Ossero, circa Zara, et in insula Lesina. Floret a Januario ad Mart. Flores albi carina laciniarum rosea. ♃.

Obs. **Icon. Cavanillesii in Ic. et descr. pl. rar. 3. tab. 207. f. 1. plantam exhibet scapo e foliis exserto, quod nunquam vidi in stirpe spontanea.**

249. Allium ursinum L. sp. pl. ed. II. p. 431. Host. fl. austr. 1. p. 418. Reichb. fl. exc. p. 114. Fl. germ. exsicc. 940.

A. bulbo oblongo, scapo trigono basi vaginato, foliis longe petiolatis elliptico-lanceolatis acutis glabris, spatha univalvi bi-trifida umbellam fastigiatam subaequante, perianthii laciniis lanceolatis acutis patentibus, stamina superantibus, capsulis trilobis unilocularibus trispermis.

Icon. Engl. botan. t. 322.
Flor. dan. tab. 757.

Illyr. Luk divii.

Hab. in umbrosis sylvaticis montis Vellebith ad confinia Croatiae, unde largitus est Prof. Alschinger. Floret Aprili, Junio. Flores albi. ♃.

* * Codonoprasum Reichb. fl. exc. p. 114.
staminibus omnibus simplicibus basi dilatata connexis.

250. Allium nigrum L. sp. pl. ed. II. p. 430. Reichb. fl. exc. p. 113.

A. scapo basi vix folioso, tereti, foliis lato lanceolatis acuminatis planis glabris, spatha univalvi bi-triloba, umbellam haemisphaericam subaequante, staminibus perianthio stellato-patente dimidio longioribus.

var. β. atropurpureum: perianthii laciniis linearibus atro-rubris.

Syn. A. atropurpureum Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 1. p. 16—17. Reichb. fl. exc. p. 113.
A. nigrum Pett. bot. Wegw. n. 31.

Icon. Waldst. et Kit. loc. cit. tab. 17.

Hab. varietas inter segetes circa Traù, Spalato, et Salona. Floret Aprili, Majo. Flores atropurpurei, laciniis carina viridibus. ♃.

Obs. **Plantae vix characteribus datis distinctae, cum scapus ima basi foliatus, folia lata acuminata, et umbella fastigiata, notas utrique communes offerant. Attamen cl. Host easdem injuria ommiscuit sub A. magico in fl. austr. 1. p. 418. Stamina basi dilatata connexa.**

251. Allium montanum Sibth. et Sm. fl. gr. prodr. 1. p. 225.

A. caule tereti ad medium folioso, foliis linearibus semiteretibus canaliculatis, spatha bivalvi umbellam effusam longe superante, perianthii obovato-trigoni laciniis obtusissimis conniventibus, staminibus demum perianthio duplo longioribus.

var. α. umbella capsulifera.

Syn. A. paniculatum Vis. stirp. dalm. p. 24. Host. fl. austr. 1. p. 424. Gaud. fl. helv. 2. p. 490. (non L.)

Codonoprasum paniculatum Reichb. fl. exc. p. 115. (excl. syn. L.)

Icon. Reichb. icon. bot. V. tab. 418.

Gaud. fl. helv. 2. tab. XIII. f. 12.

var. β. umbella bulbillifera.

A. carinatum Alsch. fl. jadr. p. 77. Pett. bot. Wegw. n. 27.

Syn. A. flexum Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 3. p. 307. Reichb. ic. bot. V. p. 10.

A. flexuosum Host. fl. austr. 1. p. 422.

Codonoprasum flexum Reichb. fl. exc. p. 114.

Icon. Reichb. ic. bot V. tab. 603.

Waldst. et Kit. loc. cit. tab. 278.

Hab. utraque varietas in agris circa Zara et Salona, et in dumetis montanis in Promina, Svilaja, Biokovo. Flores violacei, in icone cl. Reichb. atro violacei. Floret aestate. ♃.

Obs. Allium paniculatum L. sp. pl. ed. II. p. 428. ab hoc differt staminibus perianthium aequantibus nec duplo longioribus. Cfr. Don monogr. All. p. 44. et Koch Syn. fl. germ. p. 720. Icon. Halleri opusc. p. 386. a L. citata, ob stamina perianthio longiora, et spatham deficientem minus bona.

252. Allium intermedium Lam. et DC. fl. fr. 5. p. 318.! 1. ex DC. herb.

A. caule tereti ad medium folioso, foliis linearibus semiteretibus canaliculatis, spatha bivalvi umbellam effusam duplo superante, perianthii campanulati laciniis oblongis apice rotundatis rectis stamina subaequantibus ovario longioribus.

var. α. umbella capsulifera.

var. β. umbella bulbillifera.

Syn. A. paniculatum Alsch. herb.! et fl. jadr. p. 77. (excl. syn.) Pett. bot. Wegw. n. 33.

Codonoprasum intermedium Reichb. fl. exc. p. 114.

Hab. in saxosis, in dumetis, ad sepes circa Zara, Dernis, Sebenico, Salona, nec non in sylvaticis montium Vellebith, Promina, Svilaja. Varietas promiscue crescit cum specie. Flores rosei. Fl. aestate. ♃.

Obs. Num hoc reapse differat ab A. paniculato L. Don et Koch, valde dubium, cum notae differentiales a cel. Candolleo adductae diversitatem comprobent A. intermedii ab A. paniculato suo et auctorum, sive A. montano Sm. staminibus styloque perianthio longioribus insigni, non vero a genuina specie Linnaeana, petalis longitudine staminum a Linnaeo ipso distincta.

253. Allium tenuiflorum Tenor. fl. nap. 1. p. 165. Vis. stirp. dalm. p. 24.

A. caule tereti ad medium folioso, foliis linearibus semiteretibus canaliculatis, spatha bivalvi umbellam effusam superante, perianthii cylindracei laciniis oblongis stamina aequantibus ovario oblongo dimidio longioribus.

Icon. Ten. loc. cit. tab. XXX.

var. β. umbella bulbillifera.

Hab. in apricis circa Almissa et Macarsca: var. in insula Veglia in cultis legit Doct. Noe. Flores rosei nervo laciniarum rubro. Floret Junio, Julio. ♃.

Obs. Ab. A. moschato L., cum quo a cl. Sprengelio in syst. veg. 2. p. 40. injuria jungitur, bulbo, foliis, pedunculis, floribus diversissimum, ut jam monuere cl. Gusson. in pl. rar. p. 143. et cl. Tenore in Syll. pl. fl. neap. p. 170. Laciniae perianthii nec semper acutae, nec semper staminibus duplo longiores in ipsa planta neapolitana e Monte Vergine, et in icone citata lit. c. in nostra autem apice obtusae, et staminibus aequilongae. Stylus demum, nec tamen semper, exsertus. A. paniculatum fl. gr. IV. tab. 318. a cl. Bertol. in fl. ital. IV. p. 41. huc adductum, tristi colore florum a nostro recedit.

254. Allium pallens L. sp. pl. ed. II. p. 427. Host. fl. austr. 1. p. 423. Pett. bot. Wegw. n. 32. (utrisque excl. syn.)

A. caule ad medium folioso, foliis linearibus semiteretibus canaliculatis carinatis, spatha bivalvi lanceolato-subulata nervosa umbellam subglobosam densifloram superante, perianthii breviter campanulati laciniis obovatis rotundatis truncatisve stamina et ovarium subaequantibus.

Syn. Codonoprasum pallens Reichb. fl. exc p. 115.

Icon. Botan. mag. tab. 1432. (sub A. paniculato Gawl.)
Columm. Ecphr. 2. p. 7. f. 2.
Clus. hist. pl. 2. p 194. f. 3.

Illyr. Baljuska. Divia ljutika.

Hab. in saxosis apricis montium Vellebith, Marian, Shaba, nec non iisdem locis circa Sebenico, Dernis, Knin, Clissa, Ragusa, Krivoscie, Cattaro. Floret Junio, Julio. Flores albidi, vel ex albido triste rubescentes. ♃.

Obs. In herb. Hostii adest specimen hujusce plantae sub nomine A. paniculati? Portenschl. ex loco inter Knin et Zermagna.

255. Allium flavum L. sp. pl. ed. II. p. 428. Host. fl. austr. 1. p. 423. Alsch. fl. jadr. p. 77. Pett. bot. Wegw. n. 29.

A. caule ad medium folioso, foliis linearibus semiteretibus canaliculatis, spatha bivalvi lineari-subulata umbellam inaequaliter effusam superante, perianthii campanulati laciniis ellipticis apice rotundatis, genitalibus multo brevioribus.

Syn. Codonoprasum flavum Reichb. fl. exc. p. 115.

Icon. Jacq. fl. austr. tab. 141.
Botan. mag. 1330.
Clus. hist. pl. 1. p. 194. f. 2.

Hab. in apicis saxosis circa Zara, Sebenico, Ragosnizza, Clissa, Almissa, Macarsca, in insula Bua, in montibus Marian, Biokovo, et Zarina prope Ragusa. Flores flavi. Floret Junio, Julio. ♃.

256. Allium fuscum Waldst. et Kit. pl. hung. 3. p. 267.

A. caule ad medium folioso, foliis linearibus semiteretibus carinatis, spatha bivalvi longissima umbellam effusam superante, perianthii campanulati laciniis oblongo-ellipticis apice rotundatis ovario dimidio longioribus, stamina subaequantibus.

Syn. Codonoprasum fuscum Reichb. fl. exc. p. 115.

Icon. Waldst. et Kit. loc. cit. tab. 241.

Hab. in agris insulae Veglia, et in herbidis montis Biokovo. Flores basi virescentes, margine sordide rubescentes, dorso pallidiores. Floret Aug., Sept. ♃.

Obs. Ab. A. pallente cum quo cl. Host. fl. austr. 1. p. 424. commiscuit, diversum umbella laxiflora, et praecipue ovario sub anthesi perigonio multo breviore.

257. Allium cornutum Clementi it. dalm.

A. caule basi folioso, foliisque glaucescentibus teretibus fistulosis, spatha univalvi ovata mucronata scariosa umbellam globosam contractam bulbilliferam subaequante, perianthii obovato-trigoni laciniis ovali-oblongis ovario duplo longioribus stamina subaequantibus.

Icon. Clement. loc. cit. tab. I. f. 1.

Hab. ad scopulos secus mare prope Budua, ubi invenit Doct. Clementi. Flores albi aut levissime carnei, laciniis nervo rubello diremptis. Floret Junio. ♃.

Descr. Species e majoribus inter nostrates. Bulbus ovatus. Folia teretia crassa fistulosa, extus glaucescentia, basi attenuata, apice acutula. Caulis teres (in sicco striatus) fistulosus. Umbella globosa, floribus undequaque radiantibus, pedunculis filiformibus brevibus (perigonio triplo longioribus), bulbillis majusculis floribus intermixtis ovato-acuminatis, tunicis rubellis obductis, apice virescentibus; prae plantae magnitudine parva. Spatha univalvis late ovata scariosa leviter nervosa mucronata, pedunculis longior. Perianthium obovatum vel ellipticum, trigonum, parvum, laciniis ovalibus oblongisve obtusiusculis apice fornicatis ovario sub anthesi duplo longioribus, staminibus simplicibus subulatis basi dilatata in annulum connexis, et perianthium subaequantibus. Ovarium trigonum filamentis, et stylus perianthio, in anthesi subaequalia.

*** Porrum Reichb. fl. exc. p. 110.
staminibus omnibus liberis, alternis trifidis.

258. Allium Ascalonicum L. sp. pl. ed. II. p. 429. Vis. stirp. dalm. p. 24. Alsch. fl. jadr. p. 77.

A. bulbo oblongo, caule basi foliato cylindrico, foliis subulatis cylindricis fistulosis, spatha umbella densa globosa breviore, perianthii laciniis ovato-oblongis, staminibus perianthio demum longioribus, alternis basi utrinque unidentatis.

Syn. Porrum ascalonicum Reichb. fl. exc. p. 110.

Icon. Moris hist. pl. 5. 4. tab. 14. f. 3
Matth. disc. sopra Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 586.

Illyr. Ljutika.

Hab. in Palaestina: colitur in usum culinarium. Floret aestate. Flores pallide rosei, nervo rubro. ♃.

259. Allium Cepa L. sp. pl. ed. II. p. 431. Alsch. fl. jadr. p. 76.

A. bulbo orbiculato depresso, caule basi foliato inferne ventricoso-inflato, foliis teretibus ventricosis fistulosis, spatha bivalvi umbella globosa breviore, staminibus perianthium superantibus, alternis basi utrinque unidentatis.

Syn. Porrum Cepa Reichb. fl. exc. p. 110.

Icon. Gaud. fl. helv. II. tab. X. f. 1.
Dodon. pempt. p. 687.
Lobel. ic. stirp. 150. f. 1. 2.
Matth. disc. sopra Diosc. ed Valgr. 1568. p. 58.

Illyr. Kapulla. Ljutika glavata.

Colitur frequenter in usum culinarium. Virtute etiam diuretica gaudet. Floret aestate. Fl. albo-virentes. ♃.

260. Allium sativum L. sp. pl. ed. II. p. 425. Vis. stirp. dalm. p. 24. Alsch. fl. jadr. p. 76.

A. bulbo aggregato, caule cylindrico tereti ad medium foliato, foliis late linearibus planis subcarinatis, spatha univalvi longissime rostrata umbellam pauci-floram bulbilliferam superante, staminibus perianthium subaequantibus, alternis basi utrique unidentatis.

Syn. Porrum sativum Reichb. fl. exc. p. 110—11.

Icon. C. F. Nees gen pl. fasc. IV. tab. 17. (Porrum) f. 16.
Lob. ic. stirp. tab. 158. f. 1.
Camer. epit. p. 328.

Illyr. Luk. Luk bili. Luk çesan.

Colitur frequenter in usum culinarium. Gaudet virtute anthelminthica. Floret aestate. Flores albidi. ♃.

261. Allium Porrum L. sp. pl. ed. II. p. 423. Vis. stirp. dalm. p. 24. Alsch. fl. jadr. p. 76.

A. bulbo simplici, caule tereti ad medium foliato, foliis late linearibus planis, spatha univalvi umbella globosa multiflora breviore, staminibus perianthio sublongioribus.

Syn. Porrum commune Reichb. fl. exc. p. 111.

Icon. Gaud. fl. helv. II. tab. XI. f. 5.
Blackw. herb. t. 421.
Lobel. icon stirp. t. 154. f. 2.
Matth. disc. sopra Diosc. ed Valgr. 1568. p. 581.

Illyr. Purich luk. Prasluk. Por.

Colitur frequenter in usum culinarium. Floret aestate. Flores albidi, carina rubelli scabriusculi. ⊙. vel ♂.

262. Allium Ampeloprasum L. sp. pl. ed. II. p. 423. Host. fl. austr. 1. p. 419. Alsch. fl. jadr. p. 76. Pett. bot. Wegw. n. 25.

A. bulbis in tunica aggregatis globosis, caule tereti ad medium foliato, foliis linearibus planis, spatha univalvi umbella globosa multiflora breviore, perianthii laciniis carina denticulato-scabris stamina subaequantibus.

Syn. Porrum Ampeloprasum Reichb. fl. exc. p. 111.

Icon. Sibth. fl. gr. IV. tab. 312.
Engl. bot. t. 1657.
Mich. nov. gen. pl. tab. 24. f. 5.

Illyr. Purich. Luçaz. Luk divii.

Hab. in cultis, incultisque frequenter circa Zara, Sebenico, Dernis, Spalato, Ragusa, Castelnuovo, Castel S. Stefano. Flores rubelli, vel sordide viridi-rubescentes. Floret aestate. ♃.

263. Allium rotundum L. sp. pl. l. cit. Host. fl. austr. 1. p. 420.

A. bulbis in tunica aggregatis ovatis, caule tereti ad medium foliato, foliis linearibus planis, spatha univalvi umbella subgloboso-ovata densiflora breviore, perianthii laciniis carina levibus, staminibus inclusis.

Syn. A. Ampeloprasum Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 1. p. 84—85.
Porrum rotundum Reichb. fl. exc. p. 111.

Icon. Waldst. et Kit. loc. cit. tab. 82.

Hab. ad vineas et locis saxosis circa Ragusa, et in insula Giuppana, unde misit Neumayer. Flores rubri, e minoribus. Floret aestate. ♃.

Obs. In descriptione et icone Kitaibelii perianthii laciniae dicuntur et pinguntur carina serratae, quod nunquam in nostro An huc A. amethystinum Tausch. in syll. pl. nov. soc. ratisbon. Tom. II. p. 255—56. Reichb. fl. exc. add. p. 140. 16. sub Porro?

264. Allium sphaerocephalon L. sp. pl. ed. II. p. 426. Host. fl. austr. 1. p. 420. Alsch. fl. jadr. p. 77. Pett. bot. Wegw. n. 36.

A. bulbo simplici extus sobolifero, caule tereti ad medium foliato, foliis semiteretibus canaliculatis, spatha univalvi bi-trifida umbella globosa densa breviore, perianthii laciniis levibus, antheris exsertis.

Syn. Porrum sphaerocephalon Reichb. fl. exc. p. 111.

Icon. C. F. Nees gen. pl. IV. tab. 17. (Porrum) f. 1—13.
Botan. mag. 1764.
Clus. hist. pl. 1. p. 195. f. 1.
Michel. nov. gen. pl. tab. 24. f. 2.

var. β. albiflorum: floribus albidis carina virentibus.

Hab. in saxosis apricis circa Zara, et Spalato, nec non in insula Veglia: var. misit ex agro Spalatensi prof. Petter. Flores in specie rubri. Floret aestate. ♃.

265. Allium margaritaceum Sibth. et Sm. fl. gr. prodr. 1. p. 224.

A. bulbo simplici aut aggregato, caule striato ad medium foliato tereti, foliis

teretibus fistulosis, spatha univalvi longissime rostrata umbellam subglobosam multifloram laxiusculam superante, perianthii laciniis lineari-oblongis obtusis levibus, staminibus exsertis.

Icon. SIBTH. fl. gr. IV. tab. 315.

Hab. in apricis circa Ragusa vecchia, ubi legit et communicavit Doct. CLEMENTI. Flores albidi, in sicco pallidi, quandoque rosei. Floret Junio. ♃.

Obs. Huc A. stenopetalum GUSSON! in Act. Soc. Borbon. juxta specimen authenticum in herb.! cel. DE C. Nec immerito cl. DON in mon. All. p. 23. et inde cl. BERTOLONIUS in fl. ital. IV. p. 33. huc etiam trahunt A. guttatum D'URV., quod ab illo tantum distinguitur perianthii laciniis in media carina macula punctiformi viridi aut fusca notatis. Spatha in rostrum longissimum caducum producta; hinc saepius basi tantum persistit. Habitu potius A. rotundum quam A. sphaerocephalon refert: differt ab illo foliis semiteretibus fistulosis, spathae longitudine et forma, umbella laxiore, staminibus longioribus; ab hoc bulbo intra tunicas composito, aut omnino simplici, nec extus sobolifero, foliis teretibus subtilioribus, spathae notis supra dictis, umbella laxiore, floribus duplo minoribus, staminibus perianthii lacinias angustiores multo excedentibus, filamentorum cuspidibus lateralibus intermedia antherifera multo longioribus.

266. Allium vineale L. sp. pl. ed. II. p. 428. HOST. fl. austr. 1. p. 422. REICHB. ic. bot. V. p. 3. ALSCH. fl. jadr. p. 76.

A. bulbo simplici, caule ad medium inferne foliato tereti, foliis teretibus canaliculatis fistulosis, spatha univalvi umbella globoso-congesta bulbillifera breviore, perianthii laciniis oblongis, staminibus exsertis.

Syn. Porrum arenarium REICHB. fl. exc. p. 110.

Icon. REICHB. Iconogr. bot. V. fig. 590.
Engl. bot. t. 1974.
KROCK. fl. siles t. 44.
MICHEL. nov. gen. pl. t. 24. f. 1.

var. β. compactum: umbella florali in capitulum bulbilliferum omnino conversa.

Icon. LOB. ic. stirp. p. 155. f. 2.

Hab. in cultis, et herbidis circa Zara, Macarsca, Ragusa, Pastrovichio, cum varietate. Flores rubelli. Floret aestate. ♃.

LXXXV. Scilla L.

Gen. pl. ed II. p. 119.

Char. Perianthium sexpartitum rotato-patens persistens. Stamina imo perianthio inserta, filamentis patentibus subulatis, antheris dorsi medio affixis. Stylus filiformis, stigmate obtuso. Capsula obtuse trigona trivalvis apice dehiscens, loculis 1—4 spermis, seminibus subglobosis oblongisve. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

267. Scilla autumnalis L. sp. pl. ed. II. p. 443. VIS. stirp. dalm. p. 47. HOST. fl. austr. 1. p. 434. REICHB. fl. exc. p. 106. ALSCH. fl. jadr. p. 81. PETT. bot. Wegw. n. 835.

Sc. foliis anguste linearibus canaliculatis, floribus racemosis ebracteatis, pedunculis adscendentibus, capsula elliptica apiculata.

Icon. Cavan. ic. III. tab. 274. f. 2.
Clus. hist. stirp. II. p. 185. f. 1. 2.

Hab. in collibus, et pascuis saxosis circa Zara, Sebenico, Dernis, Clissa, Ragusa, nec non in insulis Brazza, Lesina, in montibus humilioribus Promina, Mossech, et in monte Sella. Floret Septembri, Octobri. Fl. caerulei. ♃.

Obs. **Iconem engl. bot. 78. et Bot. mag. 919. consulto omisi, cum plantas referant foliis late linearibus, floribusque majoribus a nostra habitu differentes. Folia ludunt longiora et breviora, hysteranthia, vel synanthia (quod tamen rarius); pedunculi inferiores in anthesi flore longiores, superiores flori subaequales; fructiferi autem omnes flore suo multo longiores.**

268. Scilla bifolia L. sp. pl. ed. II. p. 443. Host fl. austr. 1. p. 434. Reichb. fl. exc. p. 106. Alsch. fl. jadr. p. 81. Pett. bot. Wegw. n. 836.

Sc. foliis subgeminis lineari-lanceolatis longe vaginantibus apice convolutis, floribus laxe racemosis, bracteis subnullis, pedunculis erectiusculis, capsula subrotundo-trigona obtusa.

Icon. Jacq. fl. austr. t. 117.
Engl. bot. t. 24.
Roem. fl. eur. f. 5.
Bot. mag. t. 746. f. dext.

Hab. in umbrosis collium, montiumque Vellebith, Promina, Mossech, Klinovaz, Shaba, Sella, Pastrovich. Floret Martio, Aprili. Flores caerulei. ♃.

269. Scilla pratensis Waldst. et Kit. pl. hung. II. p. 207. Reichb. fl. exc. p. 106. et 110. [16]

Sc. foliis bi-quaternis lineari-lanceolatis apice convolutis, floribus dense racemosis, bracteis minimis obtusis pedunculisque patulis, capsula obcordato-triloba.

Syn. Scilla italica Host.! fl. austr. 1. p. 434. (excl. syn. W. Curt. et Clus.) non L.
Scilla nutans Alsch. herb.! et fl. jadr. p. 80. non Sm. et excl. diagn.
Scilla amethystina Vis.: Bot. zeit. Ergänzb. 1829. 1. Band. p. 6. Reichb. fl. exc. p. 106. Pett. bot. Wegw. n. 834.
Scilla pratensis β. major Schult. Syst. veg. VII. part. II. p. 1706.

Icon. Ic. nostra tab. 4. f. 2.
Waldst. et Kit. l. c. tab. 189.

Hab. in pratis insulae Pago, prope Zara, Nona, Dernis, Rexnik prope Traù, Salona, Vragniza, Ragusa. Flores amethystini, exsiccatione amaene caerulei. Fl. majo. ♃.

Obs. **Specimina dalmatica interdum ab icone Kitaibeliana differunt foliis pluribus, habitu elatiore, racemo longiore, scapis geminatis: attamen a planta croatica sejungi nequeunt, cum haec inter occurrant alia specimina plantae Florae hunga-**

ricae omnino similia. Descriptioni a cl. KITAIBELIO datae haec addere liceat. Folia sub anthesi scapo longiora, sub hujus finem scapo breviora evadunt, supra sunt glauca, subtus angulato-striata, margine hyalina, apice cucullato-subulata e marginibus convoluto-connatis. Flores successive evoluti, amethystini, raro livescentes: in sicco amaene caerulei, pedunculi florigeri patuli, fructiferi adscendentes illis 4-plo et ultra longiores; bracteae brevissimae latae truncatae, integrae aut fissae, pedicellum amplexantes: racemus prius conicus pollicaris, dein in subcylindricum duplo longiorem laxiorumque producitur; antherae basi bifidae sunt, ovarium sexsulcatum, stylus crassus trisulcus, et stigma obtusum; capsula denique quam cl. KIT. maturam non vidisse fatetur, est fere obcordata, fere duplo latior ac longa, trisulca, rotundato-trigona, basi perianthio persistente reflexo involucrata, apice in lobos tres subrotundos profunde secta, stylo intra lobos nunc persistente nunc deciduo, sed semper gracili, loculis dispermis, seminibus obovatis compressis, altero latere crassioribus obtusis, altero tenuioribus acutis.

Icon nostra exhibet sub litt. **a**. florem stellato-patentem, **b**. florem sine perianthio, **c**. stamen, **d**. pistillum.

270. Scilla hyacinthoides L. fil. suppl. p. 201. VIS. stirp. dalm. p. 47. HOST. fl. austr. p. 433. REICHB. fl. exc. p. 107.

Sc. foliis pluribus late linearibus carinatis, floribus laxe longeque racemosis, bracteis abbreviatis truncatis pedunculisque patulis, capsula subrotundo-ovata acuta.

Icon. Bot. mag. t. 1140.
CLUS. hist. pl. 1. p. 172.
DOD. pempt. p. 692. f. dext.

Hab. in saxosis hortorum prope S. Martin circa Sebenico, nec non circa Ragusa. Floret vere. Racemus omnis caeruleo-violaceus. ♃.

271. Scilla maritima L. sp. pl. ed II. p. 442. HOST. fl. austr. 1. p. 433. REICHB. fl. exc. p. 107. ALSCH. fl. jadr. p. 81. PETT. bot. Wegw. no. 837.

Sc. foliis oblongis acutis pluribus hysteranthiis, floribus laxe longeque racemosis, bracteis linearibus recurvatis, capsula subrotundo-ovata obtusa.

Syn. Ornithogalum Squilla GAWL. in Bot. mag. 918.

Icon. Bot mag. ic. 918.
CLUS. hist. pl. p. 171.

Illyr. Divia Kapulla.

Hab. in saxosis apricis circa Castell Andreis prope Sebenico, loco Torretta prope Spalato; copiose autem in insula Lissa, loco Dançe dicto prope Ragusa, et circa Cattaro et Budua. Floret Sept. Oct. Flores albi, carina laciniarum viridi aut rubescente. ♃.

Usus. Bulbus Scillae maritimae vi diuretica, emetica et deprimente insignis in asthmate et catarrho pulmonari, tussi ferina et hydrope utiliter adhibetur sub forma pulveris, extracti, tincturae, vini, aceti, oxymellis, et syrupi. Dosi immodica exhibitus symptomata venenis acribus propria ciere valet.

LXXXVI. Ornithogalum Link.

Handb. 1. p. 146

Char. Perianthium hexaphyllum laciniis patentibus, persistentibus, saepissime discoloribus. Stamina receptaculo inserta, filamentis dilatatis liberis, antheris dorsi medio affixis. Stylus triqueter, stigmate trigono. Capsula obtusa trigona apice dehiscens, loculis oligospermis, seminibus subglobosis angulatisve. Flor. corymbosi aut racemosi. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

272. Ornithogalum arabicum L. sp. pl. ed. II. p. 441. Reichb. fl. exc. p. 109.

O. foliis lanceolatis canaliculatis unicoloribus, racemo corymboso patulo, bracteis cordato-lanceolatis, perianthii laciniis concoloribus, externis emarginato-mucronatis, filamentis omnibus apice subulatis.

Icon. Botan. mag. tab. 728.
Clus. hist. pl. II. p. 186.
Renealm. spec. hist. pl. tab. 90.

Hab. in saxosis circa Ragusa ad S. Giacomo, unde misit Neumayer. Floret Aprili, Majo. Flores albi, ovario apice atroviridi. ♃.

273. Ornithogalum umbellatum L. sp. pl. ed. II. p. 441. Vis. stirg. dalm. p. 42. Host. fl. austr. 1. p. 431. Reichb. fl. exc. p. 109. Alsch. fl. jadr. p. 76. Pett. bot. Wegw. n. 666.

O. foliis linearibus canaliculatis glabris linea alba longitudinali notatis, racemo corymboso paucifloro laxo, pedunculis fructiferis elongatis rectangulo patentibus apice adscendentibus bractea lanceolato-lineari multo longioribus, filamentis omnibus usque ad apicem lanceolatis planis.

Syn. O. refractum Reichb. icon. bot. II. p. 33. et fl. exc. p. 109. Alsch. fl. jadr. p. 76. (fide specim.) excl. syn.

Icon. Reichb. icon. bot. II. f. 265.
Jacq. fl. austr. tab. 343.
Fl. danic. tab. 1266.
Engl. botan. tab. 130.

Illyr. Ptiçie mljeko.

Hab. in cultis incultisque ubique frequens. Flores albi, stria dorsali laciniarum viridi. Floret Aprili, Majo. ♃.

274. Ornithogalum exscapum Tenor. fl. nap. 1. p. 175. Reichb. fl. exc. p. 109.

O. foliis linearibus canaliculatis glabris linea pallidiore longitudinali notatis, supra glaucis, scapo abbreviato multo longioribus, racemo corymboso conferto, pedunculis fructiferis capsulam duplo superantibus patentissimis reclinatisve, apice incurvis, bracteam lanceolato-linearem subaequantibus, filamentis apice subulatis.

Icon. Ten. fl. nap. tab. XXXIV.

Syn. O. refractum Vis. stirp. dalm. p. 42.

Illyr. Kopuh pasii.

Hab. in saxosis apricis circa Lossin piccolo in insula Ossero, in insula Veglia, et circa Sebenico. Floret Majo. Flores albi, dorso laciniarum stria viridi notato. ♃.

Obs. Scapus variat nunc brevissimus subterraneus, nunc exsertus, pedunculi fructiferi plus minus longi, sed semper multo breviores ac in O. umbellato, patentes aut divaricati, aut reclinati. Nota potissima, qua ab isto discriminatur, in apice subulato filamentorum quaerenda.

275. Ornithogalum comosum L. amoen. acad. 4. p. 312. et sp. pl. ed. II. p. 440. Host. fl. austr. 1. p. 432. Reichb. fl. exc. p. 108.

O. foliis linearibus canaliculatis unicoloribus glaucis ciliatis nudisve, racemi thyrsoidei pedunculis fructiferis erecto-adscendentibus strictis, infimis bracteam lanceolato-linearem subaequantibus, filamentis omnibus apice subulatis.

Syn. O. garganicum Tenor. Mem. sopra tre nuov. sp. di piante pag. 107. in Atti dell'Accad. di Scienz. napol. vol. III.
O. saxatile Vis. in Bot. zeit. 1829. Ergänzb. p. 10.
O. collinum Reichb. fl. exc. p. 108. et in add. p. 140. 16. 739.
O. tenuifolium Guss. fl. sic. prodr. 1. p. 413. Schult. syst. veg. 7. p. 333. et 1701. no. 53.

Icon. Jacq. ic. rar. 2. p. 426. / Clus. hist. pl. II. p. 187. } fol. glabris.
Tenor. loc. cit. tab. 6. / Nostra tab. f. 1. } fol. ciliatis.

Hab. in saxosis apricis circa Zara, Boccagnazzo, Sebenico, Dernis, et in Zagorie. Varietas glabra et angustifolia praecipue in montibus Promina, Svilaja et circa Cattaro. Floret Majo, Junio. Flores albi, stria dorsali viridi. ♃.

Descr. Bulbus ovatus tunicatus simplex. Folia omnia radicalia late vel anguste linearia canaliculata glauca constanter unicoloria (sive linea alba mediana longitudinali destituta), margine vel ciliata, vel omnino nuda. Scapus teres glaucus glaber. Flores racemoso-corymbosi, pedunculis alternis erecto-adscendentibus teretibus, fructiferis strictis, bractea scariosa lanceolato-lineari acuta pedunculis inferioribus subaequali, caeteris sensim breviore. Perianthii laciniae elliptico-oblongae obtusae patentes albae, extus stria viridi notatae, subaequales, vel internae paullo minores. Stamina sex filamentis basi lanceolatis, apice subulatis, aequalibus, conniventibus, ovario tertia parte longioribus albis, antheris erectis dorsi medio affixis, pallidis. Ovarium virescens apice flavidum nitidum, sexlobum, stylo tereti albo, stigmate subcapitato parvo pallido. Capsula subtrigona elliptica aut obovata, apice triloba, sexsulcata trilocularis, seminibus subrotundis angulatis punctatis, ad axim fructus compressis.

Obs. Planta nostra, quae certe eadem cum illa cl. Tenore, nulla alia nota ab O. comoso L. et Jacq. Collect. 2. p. 313. differt nisi foliis ciliatis: quod tamen cum omnino variabile sit in foliis etiam ejusdem bulbi, differentia omnis inter utras-

que penitus evanescit. Speciem a b. JACQUINO l. c. descriptam eamdem esse ac plantam CLUSII, utpote quae ejusdem loci, JACQUINUS ipse testatur p. 314. Num vero huc qnoque pertineat O. collinum GUSSON. ind. sem. H. Boccadif. 1325. p. 9. valde dubium, cum cl. GUSSONE in fl. sic. prodr. 1. p. 412. eidem tribuat folia linea alba notata, quod nostro constantissime deest. Idem dicendum de O. ortophyllo TEN. Syll. fl. neap. append. p. 594.

276. Ornithogalum narbonense L. amoen. acad. 4. p. 312. et sp. pl. ed II. p. 440. REICHB. fl. exc. p. 109. ALSCH. fl. jadr. p. 76. PETT. bot. Wegw. n. 665.

O. foliis canaliculatis unicoloribus glabris, racemo longissimo, pedunculis fructiferis strictis bractea lanceolato-subulata longioribus, filamentis apice longe subulatis.

Syn. O. pyrenaicum Engl. bot. 7. tab. 499. JACQ. fl. austr. 2. p. 2. HOST. fl. austr. 1. p. 431. (non L.)

O. pyramidale VIS. stirp. dalm. p. 42.

Icon. REICHB. icon. bot. X. t. 1228.

JACQ. fl. austr. 2. tab. 103.

Engl. bot. t. 491.

DODON. pempt. stirp. p. 222.

Hab. in collibus insularum Ossero, Selve, et Lesina, in herbidis et satis circa Zara, Sebenico, Dernis, Traù, Spalato, Castelli, Salona, Ragusa, Krivoscie prope Cattaro. Floret Majo, Junio. Flores albi, dorso laciniarum stria viridi notato. ♃.

LXXXVII. Gagea SALISB.

An. of bot. II. p. 655.

Char. Perianthium sexpartitum, laciniis patentibus persistentibus discoloribus. Stamina imo perianthio inserta, filamentis apice subulatis, basi planis liberis, antheris basi affixis. Stylus trigonus stigmate subtrilobo. Capsula trigona apice dehiscens, loculis oligospermis, seminibus rotundatis. Fl. umbellati. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

277. Gagea arvensis SCHULT. Syst. veg. VII. p. 547. REICHB. fl. exc. p. 108.

G. bulbo solitario subgloboso, foliis radicalibus geminis linearibus canaliculatis recurvis, floralibus oppositis, caule angulato multifloro, pedunculis corymboso-ramosis lanuginosis, perianthii laciniis oblongis.

Syn. Ornithogalum arvense PERS. in Uster. ann. XI. p. 8. ALSCH. fl. jadr. p. 75. PETT. bot. Wegw. n. 662.

O. minimum W. sp. pl. II. p. 114. (excl. syn. Fl. Suec. et GUNN.) Fl. dan. fasc. XXXII. p. 4. VIS. stirp. dalm. p. 42.

Icon. PERS. loc. cit. tab. 1. f. 2.

Fl. dan. tab. 1869.

SIBTH. fl. graec. IV. tab. 332.

Illyr. Baloska.

Hab. in cultis circa Zara, Sebenico, Spalato. Flores flavi extus virides. Floret Februario, Aprili. ♃.

Obs. Folia ludunt villosa, ciliata, aut omnino glabra, perianthii laciniae glabrae vel extus villosae, obtusae aut mucronulatae.

278. Gagea pusilla Schult. syst. veg. VII. p. 543. Reichb. fl. exc. p. 107.

G. bulbo solitario ovato, folio radicali unico anguste lineari canaliculato-triquetro, floralibus oppositis, caule subtetragono 1—3-floro, pedunculis simplicibus umbellatis glabris, perianthii laciniis oblongo-linearibus.

Syn. Ornithogalum pusillum Schmidt fl. bohem. cent. II. p. 41. Host. fl. austr. 1. p. 430. (excl. syn. auct.) Reichb. ic. bot. II. p. 8. Alsch. fl. jadr. p. 76.
O. Clusii Tausch. in Bot. 1828. p. 431.
Gagea Clusiana Schult. loc. cit. p. 543.

Icon. Reichb. Ic. bot. II. f. 228. 229. (opt.)
Clus. hist. pl. II. p. 189.

Hab. locis udis circa Zara, et in herbidis montis Biokovo. Flores flavi extus virides. Floret Februario, Martio in litorali, Aprili, Majo in montibus. ♃.

Obs. Variat scapo uni-trifloro, pedunculis saepius strictis, quandoque laxis, petalis plus minusve inaequalibus, plus minusve obtusis: hinc notae omnes, quibus G. pusillam a G. Clusiana distingui dicitur, minime specificae.

279. Gagea pygmaea Schult. loc. cit. p. 547.

G. bulbo solitario ovato, foliis radicalibus subgeminis lineari-filiformibus canaliculatis, floralibus alternis, caule teretiusculo unifloro, pedunculo lanuginoso, perianthii laciniis oblongo-lanceolatis.

Syn. Ornithogalum pygmaeum W. En. h. berol. p. 367. Alsch. fl. jadr. p. 75.

Hab. in collibus apricis circa Zara, ubi legit et communicavit prof. Alschinger. Flores flavi extus virides. Floret Martio. ♃.

Descr. Planta uni-bipollicaris. Folia ut plurimum bina, interdum unicum. Caulis teres striatus saepe foliis brevior, basi glaber, inter folia villosus. Folia tria alterna lanceolato-attenuata amplexicaulia. Pedunculus solitarius, ut plurimum folio supremo longior. Perianthii laciniae oblongae subaequales 3-striatae, utrinque attenuatae, obtusae aut acutiusculae. Genitalia perianthio dimidio breviora. Foliorum floralium margo, pedunculus, et perianthii basis extus lanuginosi.

LXXXVIII. Muscari Tourn.

Inst. r. herb. p. 347. t. 180.

Char. Perianthium subgloboso-tubulosum deciduum, ore constrictum, limbo sexdentatum. Stamina perianthii tubo inserta et inclusa, filamentis brevissimis liberis, antheris supra basim affixis. Stylus rectus stigmate subtrigono. Capsula acute triquetra, loculis dispermis, seminibus subglobosis. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

280. Muscari botryoides MILL. the gard. Dict. n. 1. HOST. fl. austr. 1. p. 443. REICHB. fl. exc. p. 104. ALSCH. fl. jadr. p. 80.

M. foliis late linearibus canaliculatis erectis, racemo florente laxo, perianthiis globosis uniformibus.

Syn. Hyacinthus botryoides L. sp. pl. ed. II. p. 445. VIS. stirp. dalm. p. 37. PETT. bot. Wegw. n. 486.

Icon. CLUS. hist. pl. II. p. 181. f. ext.
LOBEL. ic. stirp. p. 108. f. 1.
Botan. mag. t. 157.
C. F. NEES gen. pl. IV. (Muscari) f. 1—10.

Illyr. Rigavizza Kapulla.

Hab. in cultis incultisque frequens, praecipue in dumetis. Flores caerulei, dentibus albidis. Floret Martio, Apr. ♃.

281. Muscari racemosum MILL. the gard. Dict. n. 3. HOST. fl. austr. 1. p. 443. REICHB. fl. exc. p. 104. ALSCH. fl. jadr. p. 80.

M. foliis anguste linearibus convoluto-canaliculatis humifusis, racemo florente conferto, perianthiis ovatis uniformibus.

Syn. Hyacinthus racemosus L. sp. pl. ed. II. p. 455. VIS. loc. cit. PETT. loc. cit. n. 488.

Icon. CLUS. hist. pl. II. p. 181. f. int.
LOB. icon. stirp. p. 107. f. 2.
JACQ. fl. austr. t. 187.
Bot. mag. t. 177.

Hab. in cultis, incultisque frequens ubique. Flores saturate caerulei, odorati. Floret Febr. Mart. ♃.

282. Muscari comosum MILL. the gard. Dict. n. 2. HOST. fl. austr. 1. p. 442. REICHB. fl. exc. p. 104. ALSCH. fl. jadr. p. 80.

M. foliis late linearibus ciliatis nudisve, canaliculatis, racemo elongato laxo, perianthiis angulato-cylindricis, summis longe pedunculatis comantibus abortivis.

Syn. Hyacinthus comosus L. sp. pl. ed. II. p. 455. VIS. loc. cit. PETT. bot. Wegw. n. 487.

Icon. JACQ. fl. austr. 2. tab. 126.
Botan. mag. tab. 133.
DODON. pempt. p. 218.
LOB. icon. stirp. p. 106. f. 2.

Illyr. Baluçka. Lossanje.

Hab. copiose et ubique inter segetes, et locis herbidis. Flores caerulei, inferiores lividi. Floret Aprili. ♃.

LXXXIX. Hyacinthus L.

Gen. pl. ed. II. p. 121. (excll. specc.)

Char. Perianthium infundibulare-campanulatum deciduum, limbo sexfido patulo. Stamina perianthii tubo inserta et inclusa, filamentis tubo adnatis, antheris

supra basim affixis. Stylus trigonus, stigmate obtuso. Capsula obtuse triquetra trisulca, loculis dispermis, seminibus subglobosis. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

M **283. Hyacinthus pallens** Bieb. fl. taur. cauc. 1. p. 283. Reichb. ic. bot. IV. p. 27.

H. foliis lineari-lanceolatis acutis planiusculis nervosis erectis, perianthio cylindrico-campanulato, lobis erecto-patulis.

Syn. Muscari pallens Fisch. et Bess. cat. h. Gorenk. 1812. p. 9.

Icon. Reichb. l. c. IV. f. 511.

Hab. in saxorum fissuris collium supra Breno prope Ragusa. Flores pallide caerulei. Floret Majo, Junio. ♃.

Obs. **Planta nostra bi-tripollicaris, racemo semipollicari, et praecipue floribus cylindricis nec basi ventricosis, et lobis perianthii numquam reflexis, quidquam differt ab icone citata, quae caeterum et habitum et reliquas stirpis notas eximie refert.**

284. Hyacinthus orientalis L. sp. pl. ed. II. p. 454. Reichb. fl. exc. p. 105. Alsch. fl. jadr. p. 80.

H. foliis lineari lanceolatis apice convoluto obtusis, canaliculatis, enervibus, demum humifusis, perianthio infundibuliformi basi ventricoso, lobis patenti-recurvis.

Icon. Barrel. icon. pl. 175.
Clus. hist. pl. 2. p. 174.
Botan mag. 937.
C. F. Nees gen. pl. fasc. IV. (Hyacinthus.)

Illyr. Sumbulj.

Hab. sponte ad rupes prope eremum S. Girolamo in monte Marian supra Spalato. Flores caerulei. Floret Apr. Majo. ♃.

XC. Bellevalia Lapeyr.

in Journ. de phys. LXVII. p. 425.

Char. Perianthium angulato-campanulatum deciduum, ad medium sexfidum, laciniis patulis. Stamina laciniarum basi inserta, et inclusa, filamentis basi dilatatis liberis, antheris basi subcordatis, dorsi medio affixis. Stylus teres stigmate trigono. Capsula triquetra trisulca, loculis oligospermis, seminibus globosis. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

285. Bellevalia romana Reichb. fl. exc. p. 105.

B. bracteis subtus appendiculatis, perianthii sexfidi laciniis oblongis, filamentis lanceolatis membranaceis planis, capsula obtusa.

Syn. Hyacinthus romanus L. mantiss. alt. p. 224. Vis. stirp. dalm. p. 37. Host. fl. austr. 1. p. 442. Alsch. fl. jadr. p. 80. Pett. bot. Wegw. n. 489.
Scilla romana Gawl. in botan. mag. p. 939.

Icon. C. F. Nees gen. pl. VI. (Bellevalia) f. 1—3, 6—21.
Sibth. et Sm. fl. gr. IV. hb. 340.
Botan. mag. t. 939.
Clus. hist. pl. II. p. 180. f. ext.

Illyr. Zarevaz, Zarevak, Lusanja.

Hab. ad margines agrorum, et in satis circa Diklo prope Zara, Divulje prope Traù, et in Riviera dei Castelli. Flores albi extus leviter caerulescentes, ante et post anthesim ferruginei, fusci. Floret Aprili. ♃.

286. Bellevalia dubia Reichb. fl. exc. p. 105.

B. bracteis exappendiculatis, perianthii semisexfidi laciniis ovato-rotundatis, filamentis basi membranaceis planis, apice subulatis, capsula profunde emarginata.

Syn. Hyacinthus dubius Gusson. cat. Hort. Boccadif. 1821. p. 32. et 78.

Hab. in herbidis circa Lesina, unde communicavit prof. Stalio. Flores inferne caerulei, superne albido-virescentes, ante et post anthesin sordide virides. Floret Mart. Apr. ♃.

XCI. Anthericum L.

Gen. pl. ed. II. p. 119. (excll. spec.)

Char. Perianthium hexaphyllum patens persistens. Stamina receptaculo inserta, filamentis filiformibus patulis, antheris paullo supra basim affixis. Stylus teres stigmate subcapitato. Capsula obtuse trigona apice trivalvis, loculis 4—6-spermis, seminibus acutangulis dorso convexis. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

287. Anthericum Liliago L. sp. pl. ed. II. p. 445. Host. fl. austr. 1. p. 438. Reichb. fl. exc. p. 117. Alsch. fl. jadr. p. 82.

A. foliis canaliculatis, scapo simplicissimo, stylo declinato.

Syn. Phalangium Liliago Lam. enc. bot. ed. Patav. V. p. 231.
Anthericum Liliastrum Pett. bot. Wegw. n. 73. (nec L.)

Icon. Lam. l. c. pl. 240. f. 2.
Flor. dan. tab. 616.
Jacq. hort. vind. tab. 83.
Botan. mag. tab. 914.
C. F. Nees gen. pl. IV. (Anthericum.)

Hab. locis herbidis insulae Pago, circa Novegradi, et Ragusa, nec non in montibus Vellebith, Prologh, Biokovo, Krivoscie. Floret a Majo ad Aug. ♃.

288. Anthericum ramosum L. sp. pl. ed. II. p. 445. Host. fl. austr. 1. p. 437. Reichb. fl. exc. p. 117.

A. foliis planiusculis, scapo paniculato ramoso, stylo recto.

Icon. Jacq. fl. austr. tab. 161.
Flor. danic. tab. 1157.
Lobel. icon. stirp. p. 47. f. 2.

Hab. in collibus saxosis apricis circa Dernis, et alibi in Dalmatia montana. Flores albi. Floret Junio, Augusto. ♃.

XCII. Asphodeline Reichb.

Fl. exc. p. 116.

Char. Perianthium sexpartitum reflexo-patens deciduum tubo brevissimo subgloboso. Stamina tubo inserta, alterna breviora, filamentis supra basim fornicato-dilatatam geniculato-adscendentibus, antheris dorsi medio affixis. Stylus filiformis stigmate simplici. Capsula carnosa, loculis dispermis, seminibus acute triquetris. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Monogynia. *Syst. sex.* —

Hexandria

289. Asphodeline lutea Reichb. fl. exc. p. 116.

A. caule undique densifloro folioso, foliis lineari-triquetris striatis levibus, bracteis membranaceis magnis subcordato-ovatis acuminatis pedunculos superantibus.

Syn. Asphodelus luteus L. sp. pl. ed. II. p. 443. Vis. stirp. dalm. p. 27. Host. fl. austr. p. 435. Alsch. fl. jadr. p. 82. Pett. bot. Wegw. n. 126.

Icon. Jacq. hort. vind. 1. tab. 77.
Blackw. herb. 2. tab. 232.
Botan. mag. tab. 773.

Illyr. Zlatoglav.

Hab. ad margines vinearum insulae Pago, et in sterilibus circa Sebenico, in collibus supra Riviera dei Castelli nec non circa Almissa, Vergoraz, Ragusa. Flores flavi, laciniis linea viridi diremptis. Floret Aprili, Majo. ♃.

290. Asphodeline cretica. *

A. caule superne nudo laxifloro, foliis filiformi-triquetris serrulato-scabris, bracteis basi membranaceis, apice setaceis, pedunculos subaequantibus.

Syn. Asphodelus creticus Lam. enc. bot. ed. Patav. 1. p. 297. Desf. choix. de pl. du Coroll. de Tourn. p. 3. Alsch. fl. jadr. p. 82. Pett. bot. Wegw. n. 124.
Asphodelus liburnicus Scop. fl. carn. ed. II. 1. p. 245. Jacq. fil. ecl. pl. 1. p. 113. Host. fl. austr. 1. p. 436.
Asphodelus tenuior Fisch. Cat. h. Gorenk. 1812. p. 19.
Asphodeline liburnica Reichb. fl. exc. p. 799.

Icon. Jacq. fil. loc. cit. tab. 77.
Botan. mag. tab. 2626.
Desf. choix de pl. tab. 1.

Hab. ad margines agrorum in insulis Veglia, et Pago, et circa Bolesnik, et Slimniza prope Zara. Floret Junio. Flores flavi, laciniis linea viridi diremptis. ♃.

Obs. Asphodelus creticus Tourn. cor. 25., cujus originalem iconem edidit cel. Desfontaines loc. cit., nulla alia nota ab A. liburnico differre videtur, nisi

caule superne ramoso in illo, simplici in hoc. Quam vero notam in ipsa planta cretica variare patet ex eo, quod asserit cl. JACQUIN, se e monte Cretae Sphakia dicto habuisse jam a cl. SIBTHORP stirpem A. liburnico suo omnino identicam, ideoque scapo simplici instructam.

XCIII. Asphodelus L.

Gen. pl. ed. II. p. 118. (excll. specc.)

Char. Perianthium hexaphyllum patens deciduum. Stamina receptaculo inserta, alterna breviora, filamentis basi fornicato-dilatatis, erectis, antheris dorsi medio affixis. Stylus filiformis aut subclavatus, stigmate trilobo. Capsula sicca, loculis mono-dispermis, seminibus triquetris transverse rugosis. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

291. Asphodelus ramosus L. sp. pl. ed. II. p. 444. VIS. stirp. dalm. p. 27. HOST. fl. austr. 1. p. 436. REICHB. fl. exc. p. 117. ALSCH. fl. jadr. p. 81. PETT. bot. Wegw. n. 127.

A. radice tuberosa, foliis late linearibus carinatis, scapo ramoso, racemis densifloris, bracteis inferioribus pedunculos subaequantibus, filamentis e basi subrotundo-ovata pilosa abrupte filiformibus.

Icon. SIBTH. fl. gr. IV. tab. 334.
Botan. mag. tab. 984.
JACQ. austr. 2. tab. 161.
CLUS. hist. pl. 2. p. 196. f. inf.

Illyr. Çepris, Çeparlj, Çiopris, Morodak.

Hab. in saxosis apricis totius Dalmatiae litoralis, probabiliter cum sequente commixtus. Flores albi, laciniis linea fusco-rubra extus diremptis. Floret Aprili, Majo. ♃.

292. Asphodelus neglectus SCHULT. syst. veg. VII. p. 488—489. REICHB. fl. exc. p. 117.

A. radice tuberosa, foliis late linearibus carinatis, scapo ramoso, racemis densifloris, bracteis inferioribus pedunculo duplo longioribus, filamentis e basi ovata glabra attenuato-lanceolatis.

Hab. in apricis saxosis insulae Lesina, unde misit prof. STALIO. Flores ut in praecedente, cum quo verosimile est crescere etiam alibi, et praesertim in insulis. Floret Aprili. ♃.

Obs. Species habitu A. ramoso simillima, a quo tamen characteribus datis videtur satis diversa. Basis filamentorum in hoc glabra, margine crispato-denticulata. Notae differentiales a capsularum forma et angulis petitae, quales ab auctoribus indicantur, mihi minime constantes visae sunt.

293. Asphodelus albus MILL. the gard. Dict. n. 3. HOST. fl. austr. 1. p. 437. REICHB. fl. exc. p. 117.

A. radice tuberosa, foliis late linearibus carinatis, scapo simplici aut basi subramuloso, racemo thyrsoideo densifloro, bracteis inferioribus pedunculos superantibus, filamentis e basi oblonga pilosa angustato-lanceolatis.

Icon. Blackw. herb. 2. tab. 238.
Clus. hist. pl. II. p. 197. f. int.
C. F. Nees. gen. pl. IV. (Asphodelus.)

Hab. in saxosis montis Dinara altit. 2500 ad 3000 ped. Floret Julio. Flores albi, linea atropurpurea. ♃.

Obs. **Variat quandoque racemi basi ramulo uno alterove aucta, sed numquam in formam paniculatam praecedentium abit. Differt vero quam maxime ab A. neglecto, cujus nec characteres nec habitum refert.**

294. Asphodelus fistulosus L. sp. pl. ed. II. p. 444. Vis. stirp. dalm. p. 27. Host. fl. austr. 1. p. 436. Reichb. fl. exc. p. 117. Alsch. fl. jadr. p. 81. Pett. bot. Wegw. n. 125.

A. radice fibrosa, foliis strictis subulatis fistulosis, scapo ramoso, racemis laxifloris, bracteis inferioribus pedunculo fructifero clavato sub-brevioribus, filamentis e basi ovata villosa abrupte subulatis, apice clavatis.

Icon. Cav. icon. pl. rar. III. tab. 202.
Sibth. fl. gr. IV. tab. 335.
Clus. hist. pl. II. p. 197. f. ext.

Hab. in herbidis circa Zara, Sebenico, Traù, Spalato, Lesina, Ragusa. Flores albi, vittis dorsalibus rubris. Floret Aprili, Majo. ♃.

XCIV. Erythronium L.

Gen. pl. ed. II. p. 118.

Char. Perianthium hexaphyllum campanulato-reflexum persistens, phyllis inferne conniventibus, tribus interioribus basi bicallosis. Stamina exteriora receptaculo, interiora phyllis perianthii inserta, filamentis lanceolato-subulatis erectis, antheris basi affixis. Stylus filiformis persistens, stigmatibus ternis. Capsula triquetra, loculis polyspermis, seminibus ovoideis pendulis appendiculatis. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

295. Erythronicum Dens canis L. sp. pl. ed. II. p. 437. Host. fl. austr. 1. p. 427. Reichb. fl. exc. p. 102. Alsch. fl. jadr. p. 80. Pett. bot. Wegw. n. 379.

E. foliis oblongo-ellipticis glabris nigro-maculatis, phyllisque perianthii acutis.

Icon. Curt. bot mag. tab. 5.
Jacq. fl. austr. app. tab. 9.
Lam. Enc. bot. pl. 244. f. 1.
C. F. Nees gen. pl. fasc. IV. (Erythronium.)

Hab. in sylvaticis montium Vellebith, Vissosniza, Beljak, Biokovo, et supra Rillich. Flores rubri, vel albi, basi flavi. Floret Aprili, Majo. ♃.

Ordo XI. COLCHICACEÆ.

DC. Fl. fr. ed. I. p. 192.

Flores hermaphroditi, vel abortu polygami, regulares, radicales aut in caule paniculati, nudi aut bracteati. Perianthium corollinum inferum ad basim sexpartitum aut hexaphyllum, fauce nudum. Stamina sex perianthii laciniis opposita eorumque basi inserta, filamentis liberis, antheris dorso affixis, loculis contiguis, longitudinaliter aut transverse dehiscentibus. Pistillum stigmatibus stylisque ternis, ovario supero ex tribus plus minusve distinctis unilocularibus multiovulatis composito. Capsula e tribus demum solutis unilocularibus, sutura centrali seminifera longitudinaliter dehiscentibus, nunc immediate nunc ope columellae connexis, conflata. Semina testa membranacea, albumine carnoso, embryone incluso subcylindrico.

Herbae bulbis aut radice tuberosa vel fasciculato-fibrosa perennantes, subacaules aut caulescentes, foliis simplicibus integris, saepius nervosis, basi vaginantibus.

XCV. Veratrum L.

Gen. pl. ed. II. p. 381.

Char. Flores polygami. Perianthium sexpartitum patens. Antherae subrotundae loculis transverse et extrorsum dehiscentibus. Styli breves divergentes, stigmatibus obsoletis. Capsula tricornis. Semina compressa membranaceo-alata. — *Cl.* Polygamia. *Ord.* Monoecia. *Syst.* sex. —

296. Veratrum album L. sp. pl. ed. II. p. 1479. Vis. stirp. dalm. p. 50. Host. fl. austr. 1. p. 460. Reichb. fl. exc. p. 97. Alsch. fl. jadr. p. 84. Pett. bot. Wegw. n. 990.

V. racemis paniculatis pubescentibus, bracteis pedicello subaequalibus, perianthii laciniis denticulatis pedicello ipso multo longioribus.

Icon. Jacq. fl. austr. IV. tab. 335.
Flor. dan. tab. 1120.
Bull. herb. de la Fr. tab. 155.
Clus. hist. pl. II. p. 274. f. 1.

Illyr. Cemerika bjela.

Hab. in subalpinis montium Vellebith, Prologh, Biokovo, Rillich, et circa Sveta Gospoja ultra Cattaro. Floret Junio. Flores albidi subtus virides. ♃.

Usus. **Radix hujusce plantae sub Hellebori albi nomine medicis nota virtute violenter drastica gaudet; nunc temporis autem vix adhibetur.**

297. Veratrum nigrum L. sp. pl. ed. II. p. 1479. Host. fl. austr. 1. p. 461. Reichb. fl. exc. p. 97.

V. racemis paniculatis tomentosis, bracteis pedicello brevioribus, perianthii laciniis integerrimis pedicellum aequantibus.

Icon. C. F. Nees gen pl. fasc. II. (Veratrum.)
Jacq. fl. austr. IV. tab. 336.
Bull. herb. de la Fr. tab. 149.

Illyr. Cemerika cārna. Zdravaz. Kukuriek.

Hab. in devexitatibus sylvaticis montis Svilaja. Legi floridum Julio. Flores atropurpurei. ♃.

XCVI. Colchicum Tourn.

Inst. r. herb. p. 348. t. 181. 182.

Char. Flores hermaphroditi. Perianthium infundibuliforme tubo longissimo radicali. Antherae oblongae loculis longitudinaliter et introrsum dehiscentibus. Styli longissimi erecti, stigmatibus clavatis. Semina subglobosa, ad hilum carnoso-incrassata. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Trigynia. *Syst.* sex. —

298. Colchicum Bivonae Guss. cat. Hort. Boccadif. 1821. p. 72. Bertol. fl. ital. IV. p. 276.

C. foliis lanceolatis canaliculatis carinatis hysteranthiis glabris, perianthii laciniis ovali-oblongis utrinque attenuatis venoso reticulatis.

Syn. C. variegatum Bivon. cent. 1. p. 27. Sibth. et Sm. fl. gr. prodr.! p. 250. non L.
C. latifolium Sibth. et Sm. fl. gr. IV. p. 43. (1823.) Reichb. fl. exc. p. 140. 14. n. 671. b. (excl. syn. Clus. Ger. Bauh. Park.)
C. autumnale Vis. stirp. dalm. p. 31. Alsch. fl. jadr. p. 84.? Pett. herb.! et bot Wegw. n. 273.

Icon. Sibth. et Sm. fl. gr. IV. tab. 350.

Illyr. Kachiun. Baluscka.

Hab. in pratis et herbidis montis Vellebith et Biokovo nec non circa Dernis, Verlicca, Salona, Ragusa. Floret Septembri, Octobri. Flores rosei venis purpureis reticulatis. Vidi etiam in Apennino Florentino. ♃.

Obs. Colchicum byzantinum latifolium polyanthes Clus. hist. p. 199. f. inf. sinistr. et 200. f. 1. Jo. Bauh. hist. 2. p 655. f. 1. sive C. latifolium Ger. herb. p. 162., cum icone Clusiana, plantae pertinent a nostra certo certius diversae, ut monuit cl. Bertolonius loc. cit., quae foliis ellipticis costatis reclinatis, illis Veratri albi ex Clusio ipso similibus ab omnibus hucusque notis insigniter differt, et quam conferas in Botan. mag. n. 1122. sub Colchico byzantino. Folia in planta apud nos vulgatissima late lanceolata elongata enervia; perianthii laciniae ludunt latiores et quandoque exacte ellipticae, interdum oblongae angustiores, semper tamen utrinque attenuatae. Nota potissima, et forsan unica, qua stirps haec discrepat a C. autumnali L. quaerenda est in venis purpureis, quibus perianthium pulchre reticulatum conspicitur: praesertim in sicco, dum in viridi tesselatum est, quod unum pro statuenda specie sufficere vix arbitror. Bulbus variat subrotundus, ellipticus, ovatus, oblongus. C. autumnale verum in Dalmatia hactenus non inveni, et probabiliter planta homonyma cl. Alschinger huc referenda.

299. Colchicum Bertolonii Stev. in Act. Mosq. VII. p. 72. Schult. Syst. veg. VII. p. 1519.

C. Foliis linearibus complicatis reflexis synanthiis ciliatis nudisve, perianthii laciniis oblongo-lanceolatis aveniis unicoloribus.

Syn. C. montanum Bertol. pl. rar. ital. dec. III. p. 19. Vis. stirp. dalm. spec. p. 31. et 54. Host. fl. austr. 1. p. 464. (excl. descr. et syn.) Reichb. fl. exc. p. 98. Alsch. fl. jadr. p. 84. Pett. bot. Wegw. n. 274.

Icon. Vis. l. c. tab. VI. f. 1.

Hab. in collibus saxosis circa Zara, Sebenico, Dernis, Traù, Spalato, Ragusa, Czerquizze, Braichi. Floret jam a Decembris exitu ad Februarium. Flores pallide carnei. ♃.

Obs. Num hoc sit C. montanum L. sp. pl. ed. II. p. 485. valde ambigitur inter auctores. Linnaeus equidem pro hoc habuit plantam cognominem a Loefflingio propositam in itin. hispan. p. 19. (edit. svec. 1758.), qui eam paucis verbis vix indicavit, foliis nempe linearibus patentibus, forma, colore, directione et tempore ab illis C. communis diversis, scilicet flori coaetaneis (synanthiis), et synonimo C. montani Clus. pl. hisp. p. 266. f. 267. munivit. At planta Clusii ex descriptione et icone nunc citata, differt a nostra foliis hystheranthiis, pluribus (3—4), nec ut plurimum binis, et floribus purpureis, quae omnia una cum nomine vernaculo Merendera a Clusio suae plantae adscripto, melius cadunt in Merenderam Bulbocodium, quae planta etiam hispanica, quam in C. montanum nostrum. Linnaeus plantam Loefflingianam inter Colchici species recensens ne verbum quidem Loefflingianis addidit; servavit falsum Clusii synonimon, et aliud non minus falsum illi consociavit, nempe C. montanum angustifolium Bauh. pin. 68.; quod a planta Clusii alienissimum, ad C. alpinum spectat. Ex quibus, et ex defectu speciminis C. montani in herbario Linnaeano, quod testatur cl. Gussoneus in Bertol. fl. ital. IV. p. 278., suspicari licet Linnaeum plantam Loefflingii numquam vidisse, ideoque mutuatis ipsissimis Loefflingii verbis eam hisce solis, hujusque fide in operibus suis, contra morem, levissime indicare potius quam accurate describere potuisse. Dolendum autem botanicos hispanicos hactenus de planta Loefflingii omnino siluisse, ne exceptis quidem nuperrimis et accuratissimis florae illius scrutatoribus M. Webb et Boissier. Quibus omnibus perpensis censeo C. montanum Loefflingii et Linnaei inter species maxime dubias relegandum esse, cum horum auctorum alter ipsum confuderit cum planta Clusiana hispanica, alter cum planta Bauhiniana helvetica, quarum utraque a planta nostra certa diversa. Hinc nomine recenti e quidem, at certiori, a cl. Stevenio plantae huic imposito, ipsam designandam esse arbitror, ni Colchici Cupani nomen, quo cl. Gussone ipsammet salutavit in fl. sicul. prodr. 1. p. 452. anno 1827. edito, sit reapse Steveniano anterius.

Iisdem de causis species quoque syriaca a cl. Stevenio pro C. montano L. proposita, huic tute referri nequit, etiam si revera a planta nostra diversa, quod saltem dubium, nam characteres, quibus hae plantae in Act. mosq. VII. p. 71—72. discriminantur, minime specifici videntur, cum bulbus variet diphyllus, et tritetraphyllus, folia ludant margine ciliata, vel scabra, vel etiam laevia; antherarum forma ante pollinis explosionem oblonga, post eam angustior fiat, etiam in nostra. His adde C. montanum Desf. fl. atlant. 1. p. 322., ex inspectione herbarii ejusdem a cl. Gussone instituta, idem esse cum nostro, quamvis a cl. Steven ad C. montanum suum adducatur: adde insuper me a cl. Figari in Cairo botanices professore; plura nuper Colchici in Aegypto lecti specimina accepisse, quae a nostro nec antherarum forma nec colore diversa, tantum foliis margine laevibus (quod interdum usuvenit etiam in nostris), aut solummodo scabris, nec ciliatis, in sicco glaucis firmioribusque, levissimam exhibent differentiam.

Plantam, de qua loquimur, eamdem esse, de qua omnium primus scripsit Al. Anguillara (Semplici Vineg. Valgrisi 1561. p. 275.) jam monui in Stirp. dalm. spec. p. XIX. ex loci indicatione circa Sebenico, ubi etiam nunc haec sola Colchici species, et satis frequens occurrit. Ab hac vero longe distat Colchicum illyricum sive graecum non venenatum Anguillarae, cujus historiam et iconem praebuit Lobelius in stirp. hist. p. 73. et icon stirp. p. 147., qui se idem accepisse refert Aleppo Syriae: qualis icon a Colchicorum habitu omnino aliena plantam refert caule folioso praeditam, foliis floribusque nostri quidem similibus, sed alterne imbricatis insignem, et hanc mutuati sunt Gerard in the herb. p. 60. f. int. Dalech. hist. lugd. 2. p. 444. f. int. et Tabernaem. icon. pl. 617. f. ext. Quid vero sit planta haec, immerito a Lobelio Anguillarae adscripta, ideoque ab ipso cum praecedente confusa, difficile dictu, cum quaesitum hoc jam a Casp. Bauhino in Pinace p. 68 n VI. propositum, nemo recentiorum, quod sciam, adhuc solvere aggressus sit, et ipse cl. Russell inter plantas in The nat. hist. of Aleppo a pag. 16. ad 47. enumeratas unicum C. commune C. B. P. recenseat, sub quo certe ipsum Lobelianam plantam diversissimam intellexisse nemo suspicabitur. Res itaque hodie inextricabilis, autoptis et botanicis per Syriam peregrinantibus magnopere commendanda.

Ordo XII. SMILACEÆ.

R. Brown. prodr. fl. nov. Holl. p. 292.

Flores hermaphroditi vel abortu unisexuales, axillares vel terminales, pedicellis saepissime articulatis bracteolatisque. Perianthium corollinum inferum sexdivisum, raro 4—8-partitum, fauce nudum. Stamina perianthii laciniis aequalia opposita, eorumque basi inserta: filamentis liberis, raro in androphorum triantheriferum connatis, antheris basi vel dorso affixis, loculis contiguis longitudinaliter dehiscentibus. Pistillum, ovario supero, triloculari, raro bi-quadriloculari, pauciovulato, stylis loculorum numero aequalibus connatis, interdum liberis, stigmatibus distinctis. Fructus carnosus indehiscens tri-raro bi-quadrilocularis, loculis oligospermis, raro unilocularis monospermus. Semina subglobosa angulo loculorum centrali affixa, testa membranacea, albumine subcorneo, embryone minimo in albuminis cavitate incluso.

Herbae rhizomate perennantes, caulescentes, foliis alternis verticillatisve, simplicibus integris, nervosis, interdum squamiformibus.

Clavis analytica generum.

	Flores staminibus 6. vid. N. . . .	1	Flores staminibus 8—10. **Paris.**
1	Staminibus liberis	2	Staminibus monadelphis **Ruscus.**
2	Perianthio sexpartito	3	Perianthio breviter sexfido **Convallaria.**
3	Perianthio campanulato basi abrupte tubuloso **Asparagus.**		Perianthio etubulato patente **Smilax.**

XCVII. Paris L.

Gen. pl. ed. II. p. 139.

Char. Flores hermaphroditi. Perianthium subherbaceum octo-decaphyllum patentissimum persistens. Stamina octo-decem, filamentis basi coalitis et perianthio insertis, connectivo ultra antherae apicem in acumen longum producto. Pistillum ovario quadri-quinqueloculari, ovulis biseriatis anatropis, stylis 4—5 liberis, stigmatibus indistinctis. Bacca quadri-quinquelocularis, seminibus obovatis. — *Cl.* Octandria. *Ord.* Tetragynia. *Syst.* sex. —

300. Paris quadrifolia L. sp. pl. ed. II. p. 526. Host. fl. austr. 1. p. 486. Reichb. fl. exc. p. 99. Alsch. fl. jadr. p. 246.

P. foliis subquaternis verticillatis ellipticis acuminatis, perianthii phyllis exterioribus lanceolato-linearibus, interioribus lineari-subulatis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. II. (Paris.)
Lam. Enc. bot. pl. 319.
Fl. dan. t. 139.
Engl. bot. t. 7.

Illyr. Karstaz.

Hab. in sylvaticis montium Vellebith ad confinia Croatiae, et montis Sella supra Cattaro. Floret Aug. Septembri. Flores virides. ♃.

Usus. Planta omnis vi narcotica ac deprimente pollens; extractum aquae solutum externe adhibetur in ophthalmia, radix emetica virtute praestat.

XCVIII. Ruscus L.

Gen. pl. ed. II. p. 378.

Char. Flores dioici, ramulis foliiformibus insidentes. Perianthium subcoloratum hexaphyllum patens persistens. In mare stamina tria, filamentis coalitis in androphorum ventricosum antheris reniformibus apice coronatum. In foemina pistillum androphoro sterili basi cinctum, stigmate capitato, stylo brevissimo, ovario triloculari, loculis biovulatis. Bacca carnosa, abortu unilocularis, submonosperma, semine subgloboso. — *Cl.* Dioecia. *Ord.* Syngenesia. *Syst.* sex.

301. Ruscus aculeatus L. sp. pl. ed. II. p. 1474. Vis. stirp. dalm. p. 46. Host. fl. austr. p. 657. Reichb. fl. exc. p. 100. Alsch. fl. jadr. p. 153. Pett. bot. Wegw. n. 794.

R. ramulis foliiformibus elliptico- acuminatis mucronato-pungentibus supra floriferis, fasciculis subbifloris folio minuto scarioso uninervio suffultis.

Icon. C. F. Nees. gen. pl. fasc. II. (Ruscus) f. 1—17. et f. 20.
Bull. herb. de la Fr. tab. 243.
Lam. Enc. bot. pl. 835.
Engl. bot. t. 560.
Blackw. herb. 1. t. 155.

Illyr. Jexevina, Veprinak, Kostrika, Speçak.

Hab. in incultis, saxosis, sylvaticis totius Dalmatiae frequens. Floret Februario, Martio. Flores albo-virescentes, androphoro violaceo, bacca miniata. ♃.

Usus. **Radix inter aperientes diureticas recensetur. Turiones cocti gratum alimentum praebent. Caulis scopis rudioribus conficiendis inservit..**

M **302. Ruscus Hypoglossum** L. sp. pl. ed. II. p. 1474. Host. fl. austr. 2. p. 658. Reichb. fl. exc. p. 100. Alsch. fl. jadr. p. 154.

R. ramulis foliiformibus oblongo-lanceolatis inermibus, supra floriferis, fasciculis plurifloris folio minuto herbaceo 3—5-nervio suffultis.

Icon. Blackw. herb. 1. tab. 128.
Sabbat. hort. roman. 1. tab. 9.
Columm. ecphr. 1. p. 165. f. ext.

Illyr. Nadlist.

Hab. in sylvaticis insularum Cherso et Ossero, et circa Nona et Stretto. Floret Apr. Majo. Flores virescentes. ♃.

Obs. **Huc quoque forsitan referendus est R. Hypophyllum a b. Host. in fl. austr. 2. p. 657—658. fide ill. J. Host utpote in sylvaticis Dalmatiae crescens enumeratus, cum in catalogo plantarum dalmaticarum mihimetipsi ab hoc spectabili Viro communicato, et in Stirp. dalmat. Specim. p. XIX—XXII. jam diu edito, desit omnino R. Hypophyllum, et tantummodo inter plantas agri Jadertini ab ipso lectas indicetur R. Hypoglossum.**

IC. Asparagus L.

Gen. pl. ed. II. p. 120.

Char. Flores hermaphroditi aut dioici. Perianthium subcoloratum sexpartitum campanulato-connivens, apice patens, basi in tubulum angustissimum abrupte constrictum, laciniis interioribus latioribus. Stamina sex laciniis perianthii inserta, filamentis distinctis. Pistillum stigmatibus incrassatis patulis, stylis in unicum connatis, ovario triloculari, loculis biovulatis. Bacca subcarnosa trilocularis hexasperma, seminibus globoso-angulatis. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

303. Asparagus officinalis L. sp. pl. ed. II. p. 448. Host. fl. austr. 1. p. 438. Reichb. fl. exc. p. 118. Alsch. fl. jadr. p. 82.

A. caule herbaceo tereti erecto, foliis fasciculatis setaceis ramulisque teretibus laevibus, filamentis antheras oblongas subaequantibus.

Icon. C. F. Nees. gen. pl. fasc. II. (Asparagus.)
Engl. bot. V. tab. 339.
Flor. dan. tab. 305.

Illyr. Spárog pitomi.

Hab. in pratis udis circa Stagno, et Narenta, ubi legit Neumayer. Floret aestate. Flores viriduli. ♃.

Usus. **Radix vi diuretica gaudet. Turiones edules sunt. Species in Dalmatia vix culta.**

304. Asparagus scaber Brign. fasc. pl. foroj. p. 22.

A. caule herbaceo striato erecto, foliis fasciculatis setaceis angulatis ramulisque scabris, filamentis antheras oblongas subaequantibus.

Syn. A. marinus Clus. Reichb. fl. exc. p. 118.
A. maritimus Pett. bot. Wegw. n. 120.
A. amarus DC. Cat. h. monsp. p. 81. Host. fl. austr. 1. p. 439.

Hab. in maritimis prope Nona (v. sicc. in herb. prof. Petter). Floret Apr. Majo. Flores luteoli. ♃.

305. Asparagus acutifolius L. sp. pl. ed. II. p. 449. Vis. stirp. dalm. p. 27. Host fl. austr. 1. p. 439. Reichb. fl. exc. p. 118. Alsch. fl. jadr. p. 82. Pett. bot. Wegw. n. 119.

A. caule fruticoso angulato scandente scabro superne ramisque hirtis, foliis fasciculatis acicularibus pungentibus perennantibus, filamentis anthera cordata longioribus.

Icon. Sibth. et Sm. fl. gr. IV. tab. 337.
Zannich. piant. lid. ven. tab. 179.
Clus. hist. pl. V. p. CLXXVII. fig. inf.

Illyr. Spárog, Spároxina.

Hab. in dumetis, et ad sepes totius Dalmatiae. Floret Julio, Augusto. Flores luteoli. ♃.

Usus. Turiones hujusce plantae cocti edules sunt, et frequentissime in usum veniunt: vi quoque diuretica commendantur.

C. Smilax Tourn.

Inst. r. herb. p. 654. t. 421.

Char. Flores dioici. Perianthium coloratum sexpartitum a basi patens, laciniis exterioribus latioribus. In mare stamina sex libera perianthio inserta antheris linearibus: in foemina stamina abortiva decidua, pistillum stigmatibus tribus subincrassatis reflexis, stylis brevissimis, ovario triloculari triovulato. Bacca carnosa uni-trilocularis, mono-trisperma, seminibus globosis hilo magno colorato. — *Cl.* Dioecia. *Ord.* Hexandria. *Syst.* sex.

306. Smilax aspera L. sp. pl. ed. II. p. 458. (excl. *var. β.*) Vis. stirp. dalm. p. 48. Host. fl. austr. II. p. 664. Reichb. fl. exc. p. 101. Alsch. fl. jadr. p. 83. Pett. bot. Wegw. n. 888.

S. caule aculeato, angulato, foliis subhastato-cordatis lanceolatis margine et costa subtus spinosis, subseptemnerviis, baccis rubris nitidis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. II. (Smilax.)
Clus. hist. pl. 1. p. 112. f. inf.

Illyr. Tetivica.

Hab. ad sepes et in dumetis totius Dalmatiae vulgatissima. Floret Aug. Sept. Flores albidi. ♃.

Usus. **Radix ex aqua decocta leviter diaphoretica ac diuretica est, et in morbis cutaneis, venereis ac rheumaticis utiliter propinatur loco Sm. Sarsaparillae, cui parum cedit.**

Obs. **Datur forma macrior, foliis duplo angustioribus maculatis, quae olim mihi S. aspera *β.* maculata Stirp. dalm. l. c.**

307. Smilax nigra W. sp. pl. IV. p. 773. Reichb. fl. exc. p. 101.

S. caule aculeato angulato, foliis profunde cordatis oblongo-lanceolatis margine subinermibus, costa laevibus, subseptemnerviis, baccis nigris opacis.

Syn. Smilax aspera *β.* L. sp. pl. ed. II. p. 1458.

Icon. Clus. hist. pl. 1. p. 113. f. sup.

Hab. frequens ad sepes circa Ragusa vecchia, ubi invenit Doct. Clementi. Floret Majo, Junio. Flores pallide carnei. ♃.

Obs. **Folia in hac supra lobos basis, marginibus vel rectis, vel extus incurvis sive convexis, apicem versus excurrunt; in praecedente autem supra lobos intus curvantur, et utrinque sinum efficiunt. Costa foliornm in hac omnino inermis, foliorum margo raris aculeis, nec semper, sparsus. Baccae non rutilae ut in illa, sed opacae.**

CI. Convallaria L.

Gen. pl. ed. II. p. 120. (excl. *γ.* et *δ.*)

Char. Flores hermaphroditi. Perianthium monophyllum coloratum sexdentatum. Stamina sex perianthio inserta et inclusa, filamentis distinctis, antheris subsagittatis. Pistillum stigmate obtuso trigono, stylo simplici, ovario triloculari, loculis biovulatis. Bacca carnosa trilocularis subhexasperma seminibus subglobosis. *Cl.* Hexandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

308. Convallaria majalis L. sp. pl. ed. II. p. 451. Host. fl. austr. 1. p. 440. Reichb. fl. exc. p. 99. Alsch. fl. jadr. p. 82. Pett. bot. Wegw. n. 277.

C. glabra, foliis radicalibus petiolatis oblongo-ellipticis acuminatis, scapo nudo semitereti, floribus racemosis, perianthiis urceolato-campanulatis, staminibus basi insertis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. II. (Convallaria.)
Lam. Enc. bot. pl. 248.
Flor. dan. tab. 854.

Illyr.. Bokarich. Czarevo coječhie. Gjurgievo coječhie. Dragoljub. Ljer gorski.

Hab. in sylvaticis et pascuis montis Vellebith. Flores albi fragrantes. Floret Majo, Junio. ♃.

309. Convallaria Polygonatum L. sp. pl. ed. II. p. 451. Vis. stirp. dalm. p. 31. Host. fl. austr. 1. p. 440. Reichb. fl. exc. p. 100. Alsch. fl. jadr. p. 82. Pett. bot. Wegw. n. 278.

C. caule angulato striato, foliis alternis amplexicaulibus ovato-oblongis ovalibusve obtusiusculis, pedunculis axillaribus subunifloris, perianthiis subcylindricis, staminibus tubo insertis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. II. (Polygonatum.)
Fl. dan. tab. 377.
Engl. botan. t. 280.
Clus. hist. pl. p. 276. f. ext.

Illyr. Kolinçevo Zelje. Peçat Salamunov. Peçadnik. Perdelj. Jassenak.

Hab. in sylvaticis montium Vellebith, Svilaja, Karbau, Mossor, Biokovo. Floret Majo. Flores albi apice virides. ♃.

310. Convallaria multiflora L. sp. pl. ed. II. p. 452. Host fl. austr. 1. p. 441. Reichb. fl. exc. p. 100.

C. glabra caule tereti, foliis alternis amplexicaulibus ovato-oblongis ovalibusve obtusiuscuculis, pedunculis axillaribus tri-quinquefloris, perianthiis medio constrictis, staminibus tubo insertis pilosis.

Icon. Engl. botan. tab. 279.
Bull. herb. de la Fr. pl. 307.
Clus. hist. pl. p. 275. f. inf.

Hab. in sylvaticis montium Vellebith, Promina, Svilaja, Sniesniza, nec non ad sepes agri Petrovopolje prope Dernis. Floret Majo, Junio. Flores albi apice virides. ♃.

311. Convallaria latifolia Jacq. fl. austr. III. p. 232. β. bracteata. *

C. caule angulato puberulo foliis alternis breviter petiolatis ovatis acuminatis, subtus ad nervos pubescentibus, pedunculis axillaribus 1—4-floris pubescentibus bracteolatis, perianthiis subcylindricis, staminibus tubo insertis glabris.

Hab. in sylvaticis montis Svilaja mixta cum C. multiflora. Flores albi apice virides. Floret Junio, Julio. ♃.

Obs. Collatis speciminibus, et descriptionibus C. latifoliae cum nostra (cujus tamen specimen unicum, nec perfecte floridum legi) nulla alia nota hanc ab illa distinguere valeo, nisi bractearum praesentia; quae bracteae e medio vel basi pedicelli cujusque originem ducunt, suntque lineari-lanceolatae acuminatae complicatae glabrae, carina virides, margine hyalinae, pedicello longiores, una pro quoque flore. Varietas haec C. latifoliae analogon exhibet varietatis bracteatae C. multiflorae Reichb. Fl. germ. n. 677. quae C. bracteata Thom. in Schuetz. Diss. inaug. praes. Schuebler p. 14. et Gaud. fl. helv. 2. p. 531.: in nostra tamen bracteae formam exhibent ab illa foliorum diversam, quod non in illa.

Ordo XIII. DIOSCOREÆ.

R. Br. prodr. fl. nov. Holl. p. 294.

Flores hermaphroditi vel abortu unisexuales, regulares, ex axillis foliorum spicati vel racemosi. In mare perianthium subcoloratum sexpartitum tubo brevissimo, staminibus sex laciniis perianthii basi insertis inclusisque, filamentis liberis, antheris supra basim dorso affixis, loculis contiguis longitudinaliter dehiscentibus. In foemina perianthium tubo tereti aut trigono cum ovario connatum, limbo supero sexfido laciniis persistentibus biserialibus, stamina abortiva glan-

dulaeformia, pistillum stigmatibus tribus indistinctis, raro bilobis, stylis tribus basi connatis ovario e tribus arcte connexis 1—3 ovulatis triloculari, ovulis loculorum angulo centrali affixis superpositis. Fructus perianthio obductus capsularis membranaceus trilocularis loculicido-dehiscens, aut unilocularis indehiscens, raro baccatus. Semina subbina in fructu capsulari foliaceo-compressa, in baccato subglobosa, albumine cartilagineo, embryone parvo in hujus cavitate posito, eademque minore.

Herbae (nostrates) tuberibus perennantes, caule sinistrorsum volubili, foliis petiolatis simplicibus, palmatinerviis, reticulato-venosis.

CII. Tamus L.

Gen. pl. ed. II. p. 371.

Char. Flores dioici. In mare perianthium coloratum. In foemina perianthii tubus cylindricus, stigmata dilatata biloba, stylus trifidus, ovarium trigonum. Bacca subglobosa perianthii limbo coronata tri-unilocularis tri-hexasperma, seminibus globosis pendulis. Caet. ut in Ordine. — *Cl.* Dioecia. *Ord.* Hexandria. *Syst.* sex. —

312. Tamus communis L. sp. pl. ed. II. p. 1458. Vis. stirp. dalm. p. 49. Host. fl. austr. 2. p. 663. Reichb. fl. exc. p. 101. Alsch. fl. jadr. p. 230. Pett. bot. Wegw. n. 923.

T. foliis cordatis acuminatis indivisis.

Icon. C. F. Nees gen. plant. fasc. II. (Tamus.)
Engl. bot. t. 91.
Lam. Enc. bot. pl. 817.
Blackw. herb. II. tab. 457.

Illyr. Bljust. Kuk.

Hab. in dumetis et saepibus totius Dalmatiae frequens. Floret Majo, Junio Flores luteoli, baccae coccineae. ♃.

Usus. Turionibus Asparagorum more decoctis pro cibo utuntur incolae, iisque etiam par inest urinam ciendi facultas.

Ordo XIV. ORCHIDEÆ.

L. ord. nat. IV.

Flores hermaphroditi irregulares bracteati spicati vel axillares. Perianthium coloratum superum sexpartitum subringens, laciniis biseriatis, externis (sepala auctt.) et binis interiorum (petala auctt.) erectis labium superius, tertia interiorum plerumque inferiore et ab aliis difformi labium inferius (labellum) referentibus. Stamen unicum ovario insertum posticum cum stylo anteriore in columnam (gynostemium) arcte connatum: duobus lateralibus sterilibus (staminodia) vel nullis: antherae loculis binis, polline in massas conglobato 2—8 (pollinaria) granulosas aut cereas, extremitate sua cor-

pusculo glandulari (retinaculum) nudo, vel in stigmatis plica (bursicula) incluso, adhaerentes, et post loculi dehiscentiam stigmati vel immediate, vel caudiculae ope affixas. Stigma in anteriore et superiore styli parte locatum viscidum, superius in processum desinens (rostellum) forma laminae, aut tuberculi glandulosi (proscolla). Ovarium uniloculare sexcostatum, rimis tribus medio dehiscens, seminibus numerosissimis scobiformibus, testa membranacea laxa reticulata, albumine carnoso, embryone basilari.

Clavis analytica generum.

	Plantae radice tuberosa vide No.	1	Plantae radice fasciculata aut ramosa vide No.	6
1	Perianthio calcarato	2	Perianthio ecalcarato	3
2	Labello longe lineari indiviso **Platanthera.**		Labello dilatato aut trilobo **Orchis.**	
3	Ovario recto	4	Ovario contorto **Aceras.**	
4	Labello trifido	5	Labello indiviso vix fimbriato **Spiranthes.**	
5	Labello holosericeo ecalloso **Ophrys.**		Labello piloso basi bicalloso **Serapias.**	
6	Ovario recto	7	Ovario contorto **Cephalanthera.**	
7	Labello trilobo	8	Labello indiviso **Limodorum.**	
8	Labello basi bicalloso	9	Labello ecalloso **Neottia.**	
9	Labello continuo recto **Corallorrhiza.**		Labello medio geniculato **Epipactis.**	

CIII. Platanthera Rich.

Orch. eur. in Memor. du Mus. IV. p. 48.

Char. Perianthium laciniis quinis subaequalibus, externis fornicato-conniventibus, interioribus patulis, labello ligulato subtus postice calcarato. Gynostemium breve, antherae adnatae loculis basi divergentibus. Pollinaria bina caudiculata, retinaculis nudis. Staminodia duo. Stigma maculam ovatam referens. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Diandria. *Syst.* sex. —

313. Platanthera bifolia Rich. annot. p. 35. Reichb. fl. exc. p. 120. et 140. [17]

P. foliis radicalibus binis oblongis, caulinis lanceolatis multo minoribus, laciniis perigonii obtusis, calcare ovario longiore descendente rectiusculo filiformi.

Syn. Orchis bifolia L. sp. pl. ed. II. p. 1331. Host. fl. austr. 2. p. 525.

Icon. Reichb. icon. bot. IX. f. 1143.

Hall. hist. stirp. helv. tab. XXXV. fig. ext. 2—6. et Ic. pl. helv. tab. XXXV. 1. f. 2—6.

Engl. bot. t. 22.

Seg. pl. veron. 2. tab. XV. f. X.

var. β. clavata: calcare horizontali arcuato apice clavato.

Syn. Plantathera bifolia Alsch. herb.! et fl. jadr. p. 212.

Icon. Vaill. bot. paris tab. XXX. f. 7.

Hab. in umbrosis sylvaticis supra Perzagno prope Cattaro, et varietas in pratis circa Xerava prope Zara. Floret Majo. Flores albidi fragrantes. ♃.

Obs. Varietas, praeter characteres datos, recedit a specie spica quidquam densiore, bracteis majoribus, habitu robustiore: dantur tamen formae intermediae calcare filiformi et simul horizontali, qualis exhibetur in icone 235 Florae danicae; calcare recto et simul clavato, ut in icone Halleri l. c. tab. 35. f. ext. 1., et denique calcare descendenti et simul arcuato et subclavato, ut in Camer. Epit. p. 625. fig. media. Hinc calcaris forma et directio, uti etiam longitudo, minime specificae habendae sunt. An varietati huic respondeat P. chlorantha (Cust.) in Reichb. fl. exc. p. 120. et 140. 17. et Icon. bot. IX. f. 1145. affirmare nequeo; notae calcaris equidem quadrant, sed in hac flores virides inodori, antherae loculi inferne divaricati, dum in nostra (sicca) paralleli videntur. Speciei gracilitas sylvaticae umbrosaeque stationi tribuenda, varietatis habitus robustior contractior loci natalis apricitati adscribenda est.

CIV. Orchis L.

Gen. pl. ed. II. p. 331. (excl. Limodoro et specieb.)

Char. Perianthium laciniis tribus quinisve fornicato-conniventibus subaequalibus labello lineari trifido aut obovato, subtus postice calcarato. Gynostemium breve, antherae adnatae loculis contiguis parallelis. Pollinaria bina caudiculata, retinaculo unico aut gemino, nudo aut bursicula incluso. Staminodia duo. Stigma maculam transversam subcordatam lunatamve referens. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Diandria. *Syst.* sex.

Sect. I. Evorchis: labello obovato plano, retinaculis binis distinctis bursiculatis nudisve.

* didymae: tuberibus integris.

314. Orchis Morio L. sp. pl. ed. II. p. 1333. Host. fl. austr. 2. p. 528. Reichb. fl. exc. p. 122. Alsch. fl. jadr. p. 210. Pett. bot. Wegw. n. 655.

O. labello crenulato late trilobo, lobo medio truncato emarginato, calcare subclavato recto ovarium subaequante, perianthii laciniis obtusis omnibus conniventibus: foliis oblongis.

Icon. KROCK. fl. siles. 3. tab. 1.
Engl. bot. t. 2059.
HALL. hist. stirp. helv. n. 1282.
SEGU. pl. veron. II. t. XV. f. VII.
VAILL. bot. par. tab. XXXI. f. 13—14.
RIVIN. irr. hexap. tab. 13. f. 1.

Illyr. Goro cvit. Passia mudda. Vranjak.

Hab. in pratis et pascuis circa Zara, Sebenico, Boraja, Salona, Clissa, Zaostrog, Ragusa, Cattaro, et Pastrovichio. Flores purpurei, aut rosei: var. albifloram ad Pastrovichio legit Doct. CLEMENTI. Fl. Martio, Majo. ♃.

Usus. Cum tuberibus Orchidum paratur Salep off. quod veluti mucilaginosum et nutriens in tabe et dysenteria commendatur.

Obs. Nomina illyrica huc adducta caeteris etiam Orchidibus communia sunt.

315. Orchis provincialis BALB. miscell. alt. in Mem. de l'Acad. de Turin 1805—8. p. 231. REICHB. fl. exc. p. 122. ALSCH. fl. jadr. p. 211. PETT. bot. Wegw. n. 657.

O. labello velutino crenulato plicato late trilobo, lobo medio emarginato, calcare arcuato obtuso ovario sublongiore, perianthii laciniis obtusis, lateralibus patentibus, foliis lanceolatis.

Syn. O. Cyrilli TEN. fl. nap. II. p. 287.
O. pauciflora TEN. fl. nap. prodr. p. 52. et fl. nap. II. p. 288. fide spec.!
O. mascula ALSCH. herb.! et fl. jadr. p. 210. (excl. diagn.) PETT. bot. Wegw. n. 653. non L.

Icon. BALB. miscell. alt. loc. cit. tab. 2.
TENOR. locc. citt. tab. 87. et 88.

Hab. in collibus, locisque saxosis apricis circa Boccagnazzo prope Zara, et Traù, in montibus Promina, Marian, Radinje, supra Clissa, in insulis Crappano et Brazza, in collibus circa Ragusa, in monte Kolovir prope Budua. Flores ochroleuci, labello medio flavo, pollinariis caeruleis. Floret Mart. Aprili. ♃.

Obs. Planta admodum variabilis spica bi-quadriflora ad multifloram, bracteis germen aequantibus longioribusque, labelli lobo medio profunde bifido cum denticulo, vel leviter emarginato, calcare utplurimum ovario longiore, interdum subaequali.

316. Orchis laxiflora LAM. fl. franc. 3. p. 504. REICHB. fl. exc. p. 122.

O. labello velutino crenulato subtrilobo, calcare subarcuato horizontali obtuso breviore, perianthii laciniis obtusis, lateralibus deflexis, foliis lineari-lanceolatis acutis.

var. *α.* labii lobo medio truncato subnullo.

Syn. O. ensifolia VILL. hist. des pl. du Dauph. 3. p. 29.

Icon. SEGU. pl. veron. 2. tab. XV. f. VIII.
VAILL. bot. par t. 31. f. 33. 34.

var. β. labii lobo medio productiore bifido.

Syn. O. palustris Jacq. collect. 1. p. 75. et Ic. rar. 1. p. 18. Alsch. fl. jadr. p. 210. Pett. bot. Wegw. n. 656.

Icon. Jacq. ic. rar. tab. 181.
Rivin. irr. hexap. t. 16.

Hab. in pratis uliginosis, et in aquosis insulae Pago, ad lacum Boccagnazzo, circa Knin, Salona, Almissa, Ragusa, Pastrovichio. Flores purpurei magni. Floret Majo, Junio. ♃.

Obs. In var. *α.* calcar quandoque apice bifidum cernitur, ut jam Seguierus qui primus omnium hanc speciem ab affinibus recte distinxit, tom. II. p. 126. no. 9. notavit, et pinxit.

317. Orchis patens Desf. fl. atl. 2. p. 318.

O. labello velutino subcrenulato profunde trilobo, lobo medio obcordato emarginato, calcare descendente recto crasso ovario duplo breviore, perianthii laciniis obtusis patentibus, foliis oblongis.

Icon. Desf. l. c. tab. 248.

Hab. in dumetis circa Lesina, ubi invenit prof. Stalio. Elores rosei, perianthii laciniis binis lateralibus rubro punctatis. Floret ad Martii exitum et Aprili ineunte. ♃.

Descr. Folia fere omnia radicalia oblonga, basi longe angustata, apice rotundata cum apiculo; caulina sessilia vaginantia, lamina lineari-angusta vagina breviore. Spica sesquipollicaris aut bipollicaris laxiuscula, rachide flexuosa, bracteis lanceolato-linearibus ovario subbrevioribus. Flores majusculi, labello amplo profunde trilobo, lobis omnibus rotundatis erosulis sinulato divisis, intermedio obcordato plus minusve emarginato longiore, perianthii lobis ovato-oblongis obtusis, externis lateralibus patentissimis, saepius rubro-punctatis, caeteris erectis, internis duplo minoribus. Calcar ovario multo brevius conicum crassum obtusum.

318. Orchis Hostii Trattinn. Arch. der Gew. fasc. II. p. 107. (1811.) Host. herb.! et fl. austr. 2. p. 526. Reichb. fl. exc. p. 123. et 140. 18. n. 836. Pett. bot. Wegw. n. 652.

O. labello velutino integerrimo profunde trilobo, lobis subaequalibus oblongis apice rotundatis, medio apiculato, calcare setaceo ovarium subsuperante, perianthii laciniis obtusis patentibus, spica elongata laxa, bracteis coloratis, foliis oblongis maculatis.

Syn. O. Brancifortii Bivon. stirp. rar. man. 1. p. 11. (1813.) Reichb. loc. cit. Alsch. fl. jadr. p. 211.
O. quadripunctata Tenor. fl. nap. prodr. p. 53. et fl. napol. II. p. 291.

Icon. Trattin. loc. cit. tab. 122.
Bivon. loc. cit. tab. 1. f. 2.
Tenor. fl. nap. II. tab. 89.

Hab. in saxosis apricis insularum Ossero, Crappano, Brazza, Lesina, nec non circa Zara, Sebenico Traù, Spalato in monte Marian, Vergoraz, Mulla et Krivoscie prope Cattaro. Floret Aprili. Spicae axis,

flores, bracteae laete purpureae, labelli basis punctis rubris duobus quatuorve notata. Species gracillima elegantissima. ♃.

Obs. Nomen cl. Trattinik anterioritatis jure servandum. Calcar in speciminibus nostris variat ovario longius, breviusve, labelli lobo medio lateralibus aequilato aut paullo latiore; hinc O. quadripunctatam cl. Tenore ab O. Brancifortii minime specifice distingui posse videtur. Lobus labelli medius nunc obtusus integer, nunc apiculatus, nunc subtridentatus, seu emarginato-apiculatus.

319. Orchis rubra Jacq. collect. 1. p. 60. et Ic. rar. 1. p. 18. Reichb. fl. exc. p. 123.

O. labello rhombeo crenato indiviso emarginato longe unguiculato, calcare subulato recto ovario breviore; perianthii laciniis lanceolatis conniventibus labellum aequantibus, spica abbreviata laxiuscula, bracteis coloratis, foliis lanceolatis.

Syn. O. papilionacea Alsch. fl. jadr. p. 210. an L.?

Icon. Jacq. ic. rar. 1. tab. 183.
Roem. fl. europ. fasc. 8. (ic. ead.)

Hab. in pascuis circa Boccagnazzo prope Zara, ubi invenit prof. Alschinger. Spica omnis laete rubra. Floret Majo. ♃.

Obs. An haec sit vera O. papilionacea L. sp. pl. ed. II. p. 1331. dubia renovavit cl. Reichb. l. c., qui plantam hispanicam, qualem etiam Linnæus descripsit, et lusitanicam, a nostra differre testatur. His mihi ignotis, nomen Jacquinianum, utpote altero certius, admisi. Habui a cl. Friedrichstahl sub O. papilionaceae speciem aliam in Graecia lectam O. rubrae similem, sed perianthii laciniis ovatis nec lanceolatis, labello duplo brevioribus nec aequalibus, hoc brevissime nec longe unguiculato, totius plantae denique brevitati ab O. rubra diversam. An haec O. papilionacea L.? Icon. Jacquinii, et illa etiam Roemeri, quae a Jacquino mutuata, peccant perianthii laciniis patentibus.

320. Orchis fusca Jacq. fl. austr. IV. tab. 307. Host. fl. austr. 2. p. 530. Reichb. fl. exc. p. 125. Alsch. fl. jadr. p. 211. Pett. bot. Wegw. n. 651.

O. labello penicillato-punctato crenulato profunde trilobo, lobis distantibus, lateralibus oblongo-linearibus, medio late obcordato divaricate bilobo mucronato, calcare subclavato ovario duplo breviore, perianthii laciniis acutis conniventibus, spica thyrsoidea, bracteis brevissimis squamiformibus, foliis ovali-oblongis.

Syn. O. militaris β. δ. L. sp. pl. ed. II. p. 1334.

Icon. Jacq. loc. cit. tab. 307.
Hall. hist. stirp. helv. n. 1276.
Vaill. bot. par. tab. 31. f. 27—28.
Segu. pl. veron. II. tab. XV. f. 2.

Hab. ad margines agrorum, et in argillosis insulae Pago, nec non circa Zara, Sebenico, Dernis, Spalato, Ragusa. Floret Aprili, Majo. Perianthium atro-rubrum, labio albo rubro-punctato. ♃.

321. Orchis variegata All. fl. ped. 2. p. 147. Host. fl. austr. 2. p. 529. Reichb. fl. exc. p. 124. Alsch. fl. jadr. p. 211.

O. labello velutino serrulato profunde trilobo, lobis distantibus oblongis, medio divaricate bilobo mucronato, calcare subulato ovario breviore, perianthii laciniis attenuato-acuminatis conniventibus, spica subovata densa, bracteis ovario dimidio brevioribus, foliis oblongis.

Syn. O. militaris γ. L. sp. pl. ed. II. p. 1334.

Icon. Jacq. icon. rar. 3. tab. 599.
Hall. hist. stirp. helv. n. 1275.
Hall. in Rupp. fl. jen. tab. VI. f. ext.
Vaill. bot. par. tab. 31. f. 22., 23., 24.

Hab. in pascuis ad Boccagnazzo et Czerno prope Zara in monte Svilaja supra Dernis, circa Ragusa, Scagliari prope Cattaro, et Pastrovichio. Flores albido-lilacini, labio purpureo-punctato. Floret Majo. ♃.

Obs. Lobus medius labelli in nostris speciminibus ut plurimum angustus, quandoque latior, segmentis serrulatis vel integris, mucrone intermedio producto vel obsoleto; perianthii laciniae semper attenuato-acuminatae aut apice subulatae. Qua ultima nota stirps nostra accederet ad O. galeatam Lam. et ad O. acuminatam Desf. Differt ab illa praecipue longitudine bractearum, quae in nostra ovarium dimidium aequant vel superant dum in O. galeata ex auct. verbis in Enc. bot. ed. Pat. IV. p. 555. minimae sunt, vix sensibiles, squamiformes: discriminatur autem ab O. acuminata Desf. fl. atl. 2. p. 318. tab. 247. laciniis perianthii interioribus externarum dimidium aequantibus vel superantibus, nec interioribus minimis, ut de sua ait Desfontaines, et clare patet ex icone citata f. 1.

322. Orchis Simia Lam. fl. fr. ed. I. (1778.) II. p. 507. Alsch. fl. jadr. p. 211. Pett. bot. Wegw. n. 659. (excll. synn.)

O. labello velutino tripartito integerrimo, lobis lateralibus mediique late linearis apice mucronati segmentis angustissime linearibus elongatis conformibus, calcare oblongo obtuso ovario dimidio breviore, perianthii laciniis lanceolatis basi coalitis conniventibus, spica subovata densa, bracteis brevissimis squamiformibus, foliis oblongis.

Syn. O. tephrosanthos Vill. hist. des pl. dauph. 2. p. 32. (1787.). Reichb. fl. exc. p. 124.
O. militaris ε. L. sp. pl. ed. II. p. 1334.

Icon. Vaill. bot. paris t. 31. f. 25. 26.
Col. ecphr. 1. t. 320. f. int.
Moris. oxon. S. 12. tab. 12. f. 3 int.

Hab. in argillosis, apricis, insulae Cherso, circa Zara et ad Troiza prope Cattaro. Flores albido-lilacini. Floret Majo. ♃.

323. Orchis coriophora β. fragrans. *

O. labello velutino trilobo, lobis obtusis, lateralibus semiovatis repandis, medio ligulato integro semel brevioribus, calcare conico arcuato ovario breviore, perianthii laciniis lanceolatis connatis apice acuminatis emarginatisve liberis, spica elongata laxiuscula, bracteis ovario longioribus, foliis lineari-lanceolatis acutis.

Syn. O. fragrans POLL. elem. di bot. 2. p. 155. REICHB. fl. exc. p. 124. et 140. 18. n. 841.! ex loc.

O. Polliniana SPR. pl. min. cogn. pug. II. p. 78.

O. coriophora ALSCH. herb.! et fl. jadr. p. 211. PETT. bot. Wegw. n. 650.

Icon. POLL. loc. cit. tab. ult. f. 2. analys. a. b. c. (excl. icon. majore).

Hab. in collibus, et locis apricis ad Czerno prope Zara, circa Verlika, circa S. Cajo prope Salona, circa Sign, in Monte Sella, et in pascuis Dversno in Krivoscie prope Cattaro. Flores fragrantes, labello viridi albo-marginato rubro-punctato, perianthii laciniis basi albidis apice rubellis. Floret Majo. ♃.

Obs. Lobus labelli medius variat lateralibus duplo longior, aut paullo longior etiam in O. coriophora vera. In nostra insuper lobus hic ligulatus et obtusus est, ut pingitur a cl. POLLIN. l. c. litt. c. calcar semper ovario plus minus brevius, vel si subaequale, hoc tantummodo in floribus superioribus; sepala basi late lanceolata omnino connata, apice summo fere subulata libera. Icon plantae integrae apud POLLINIUM exhibet O. coriophoram veram potius quam O. fragrantem, hinc ad speciem, nec ad varietatem, citatur a POLLINIO ipso in flor. veron. 3. p. 7. huic vero pertinet analysis partium figurae ejusdem sub litteris a, b, c, in qua tamen perianthii forma male exhibetur.

324. Orchis ustulata L. sp. pl. ed. II. p. 1333. HOST. fl. austr. 2. p. 529. REICHB. fl. exc. p. 124.

O. labello velutino-punctato tripartito, lobis obtusis subcrenatis oblongo-linearibus, medio bifido, perianthii laciniis ovatis acutis liberis conniventibus, ovario calcare adunco bracteisque duplo breviore, spica oblonga laxiuscula, foliis oblongo-lanceolatis.

Icon. REICHB. Ic. bot. cent. VI. f. 775.

Flor. dan. tab. 103.

HALL. hist. stirp. helv. n. 1273.

VAILL. bot. par. t. 31. f. 35. 36

Hab. in collibus circa Pastrovichio, ubi invenit Doct. CLEMENTI. Perianthium rubrum, labio albo rubro punctato. Flores minimi. Floret Majo. ♃.

* * palmatae: tuberibus palmatifidis.

325. Orchis sambucina L. sp. pl. ed. II. p. 1334. HOST. fl. austr. 1. p. 532. REICHB. fl. exc. p. 126. ALSCH. fl. jadr. p. 212. (excl. syn. LINN.)

O. labello crenulato subtrilobo perianthii laciniis lanceolatis patulis liberis, calcare conico-cylindraceo descendente ovarium subaequante, bracteis foliaceis flores aequantibus, spica oblongata, foliis oblongo-lanceolatis.

Icon. REICHB. Ic. bot. fig. 1094.

ROEM. fl. europ. fasc. IV. tab. 8.

Fl. dan. tab. 1232.

JACQ. fl. austr. II. tab. 108.

var. β. purpurea: floribus purpureis KOCH. syn. fl. germ. p. 687.

Syn. O. incarnata W. sp. pl. IV. p. 30. et Auctorum nec L.

Hab. in pascuis montis Vellebith, Biokovo, et circa Vergoraz. Flores ochroleuci, labello rubro-punctato: in varietate purpurei. Floret Majo, Junio. ♃.

Obs. O. incarnatam L. sp. pl. l. c. p. 1335. huc minime pertinere patet etiam ex eo, quod ipse auctor plantam suam O. latifoliae simillimam dicat, perianthii lacinias laterales eidem tribuat totaliter reflexas nec tantum patulas, flores pallide incarnatos nec rubros. Cfr. L. fl. svec. ed. II. p. 312.

326. Orchis angustifolia Wimm. et Grab. fl. sil. 2. p. 252. non Reichb. ic. bot.

O. labello subcrenulato leviter trilobo, perianthii laciniis lanceolatis patulis liberis, calcare conico-cylindraceo descendente ovario breviore, bracteis omnibus foliaceis flore longioribus, spica elongata, foliis lanceolatis, caule fistuloso.

Syn. O. latifolia Whlnb. Reichb. Fl. germ. exs. et fl. exc. f. 126. et icon. bot. 6. p. 7.

Icon. Reichb. Ic. bot. cent. VI. f. 769.

Hab. in pratis Xerava prope Zara, et in sylva Pakleniza ad pedem montium Vellebith, ubi invenit prof. Alschinger. Flores purpurei. Floret Majo, Junio. ♃.

Obs. In quo differat ab O. latifolia L. quae O. majalis Reichb. fl. exc. p. 126., conferas in cl. Koch. syn. fl. germ. p. 687.

327. Orchis saccifera Ad. Brogn. in exped. sc. de Mor. botan. p. 259.

O. labello crenulato trilobo, lobo medio acuto sublongiore, perianthii laciniis semiovatis patulis liberis, calcare basi inflato crasso obtuso ovario subbreviore, bracteis multinerviis foliaceis flore longioribus, spica elongata laxa, foliis maculatis, infimis obovatis oblongisve obtusis, caeteris lanceolatis acutis, caule fistuloso.

Icon. Exped. scient. de Mor. atl. bot. pl. XXX. f. 1.

Hab. in rupestribus Teodo prope Cattaro, ubi invenit Neumayer. Floret Majo. Flores purpurei. ♃.

Obs. Affinis O. maculatae L., quae differt caule solido, spica breviore densiore, bracteis trinerviis, lobo labelli medio minore, calcare cylindraceo nec basi inflato. Specimen nostrum, quod in icone citata optime repraesentatur, differt tantummodo ab illa perianthii laciniis brevioribus, et labelli lobis lateralibus obtusis; caeteris tamen notis omnino conformibus differentiam specificam inter utrasque plantas statuere nequivi.

328. Orchis conopsea L. sp. pl. ed. II. p. 1335. Host. fl. austr. 2. p. 533. Pett. bot. Wegw. n. 649.

O. labello integerrimo trilobo, lobis ovatis obtusis, perianthii laciniis ovatis, exterioribus patentissimis, calcare filiformi adscendente ovario longiore, bracteis trinerviis idem subaequantibus, spica cylindrica elongata densa, foliis lanceolatis.

Syn. Gymnadenia conopsea R. Br. hort. Kew. ed. II. v. 5. p. 191. Reichb. fl. exc. p. 121. Alsch. fl. jadr. p. 212. C. F. Nees gen. pl. fasc. V. n. 6.

Icon. C. F. Nees loc. cit.
Reichb. Ic. bot. VI. f. 815.

Fl. dan. tab. 224.

HALL. hist. stirp. helv. n. 1287.

Hab. in pascuis montium Vellebith, Promina, Mossor, Biokovo, nec non supra Canali in ditione Ragusina. Flores purpurei. Floret Aprili, Majo. ♃.

Obs. Genus Gymnadenia unico bursiculae, sive plicae minimae et prorsus accessoriae, defectu ab Orchide diversum, hisce, quas notis omnibus refert, restituendum videtur.

Sect. II. Anacamptis RICH.
in Mem. du Mus. IV. p. 19.

labello obovato basi bilamelligero, retinaculis binis in unum connatis.

329. Orchis pyramidalis L. sp. pl. ed. II. p. 1332. HOST. fl. austr. 2. p. 526. ALSCH. fl. jadr. p. 211. PETT. bot. Wegw. n. 658.

O. labello integerrimo trilobo, lobis oblongis obtusis subaequalibus, perianthii laciniis ovato-lanceolatis, exterioribus patulis, calcare filiformi ovario sublongiore, bracteis lanceolato-acuminatis trinerviis idem subaequantibus, spica pyramidata, foliis lanceolatis acutis, supremis brevissimis cuspidatis.

Syn. Anacamptis pyramidalis RICH. loc. cit. REICHB. fl. exc. p. 122. C. F. NEES gen. pl. fasc. V. n. 2.

Icon. C. F. NEES loc. cit.

REICHB. ic. bot. VI. f. 766.

JACQ. fl, austr. III. tab. 266.

Engl. bot. t. 110.

HALL. hist. stirp. helv. n. 1286.

var. β. condensata: spica oblonga densa parviflora, foliis supremis bracteisque subuninervibus apice subulatis.

Syn. O. condensata DESF. fl. atl. 2. p. 316.

Hab. in apricis circa Czerno et Boccagnazzo prope Zara, in insula Crappano prope Sebenico, circa Koinsko, in Monte Mossor, circa Ragusa et Pastrovichio: var. circa Salona, et in insula Lesina. Flores rosei. Floret Majo. ♃.

Obs. Planta, quam refero ad O. condensatam DESF., etsi spica longiore, floribus magis confertis minoribusque, bracteis apice subulatis, et habitu ab O. pyramidali prima fronte diversa videatur, tamen notis potissimis ita cum ista congruit, ut ab illa nullo pacto specifice distingui nequeat. Cl. DESFONTAINES plantae suae affinitatem confessus eam tantummodo discriminari putavit spica densiore, floribus duplo fere minoribus, lobis labelli angustioribus aequalibus, dum ex ipso in O. pyramidali lobus intermedius lateralibus sensim angustior. At spica densior, et flores minores notas minime constantes, ideoque nec specificas exhibent, cum et in O. pyramidali et in O. condensata individua occurrant spica densiore et laxiore, longiore et breviore, floribus majoribus minoribusque. Lobus autem labelli medius in O. pyramidali quandoque angustior est lateralibus, ut in icone cl. NEES supra citata; saepius tamen iisdem aequalis, ut in aliis iconibus et auctoribus supra notatis, ne LINNÆO quidem excepto, videre est. Lobus hic in utraque variat integer, aut raro apice levissime emarginatus. Laciniae perianthii acutae, calcar filiforme ovario aut subaequale, aut longius, bracteae trinerves, quandoque tamen in O·

condensata uninerves, apice cuspidatae, aut in hac interdum longe subulatae, notas aut communes, aut variabiles offerunt, ideoque ad diversitatem specierum statuendam minime conferunt. Cl. DESFONTAINES silet equidem de lamellis e labelli basi prominulis varietati nostrae, uti et speciei, solemnibus: attamen ex affinitate ab ipso indicata cum O. pyramidali vero simile videtur lamellas hasce nec in O. condensata sua desiderari. Huc quoque forsitan pertinet specimen nimis imperfectum in insulae Brazza saxosis a PORTENSCHLAGIO collectum et sub nomine Orchis n. sp. in herbario HOSTII servatum.

Sect. III. Himantoglosum SPR.

Syst. veg. 3. p. 675.

labello longissimo lineari, retinaculo unico.

330. Orchis hircina Sw. act. holm. 1800. p. 207. HOST. fl. austr. 2. p. 531.

O. labello integerrimo tripartito, lobis linearibus undulatis, medio longissimo subbifido subcontorto, perianthii laciniis ovatis conniventibus, calcare brevissimo bracteis lanceolato-linearibus trinerviis ovario longioribus, spica oblongata laxa, foliis late lanceolatis.

Syn. Satyrium hircinum L. sp. pl. ed. II. p. 1337.
Himantoglossum hircinum SPR. l. c. p. 694. REICHB. fl. exc. p. 120.
Loroglossum hircinum RICH. mem. du mus. 4. p. 46. C. F. NEES gen. pl. fasc. V. n. 3.

Icon. C. F. NEES l. c.
JACQ. fl. austr. tab. 367.
LAM. enc. bot. t. 34.
Engl. bot. t. 34.
HALL. hist. stirp. helv. n. 1268.

Hab. in apricis prope Boccagnazzo, ubi legit prof. ALSCHINGER. Flores virides rubro maculati. Fl. Majo. ♃.

CV. Aceras R. BR.

Hort. Kew. ed. III. tom. V. p. 191.

Char. Perianthium laciniis quinis conniventibus, interioribus multo angustioribus, labello pendulo lineari-trifido basi gibboso. Gynostemium breve erectum, anthera adnata, loculis discretis basi approximatis. Pollinaria bina caudiculata, retinaculis in unum connatis bursicula inclusis. Staminodia obsoleta. Stigma cordiforme gynostemio et labello marginatum. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Diandria. *Syst.* sex. —

331. Aceras anthropophora R. BR. l. c. REICHB. fl. exc. p. 127.

A. labio tripartito scabro, laciniis omnibus, mediaeque longioris profunde bifidae lacinulis filiformibus.

Syn. Ophrys anthropophora L. sp. pl. ed. II. p. 1343.
Loroglossum anthropophorum RICH. de Orch. eur. annot. p. 32.
Himantoglossum anthropophorum SPR. syst. veg. III. p. 694.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. V. n. 4.
Engl. bot. t. 29.
Hall. hist. stirp. helv. n. 1264.
Vaill. bot. paris. tab. 31. f. 19. 20.
Columm. ecphr. 1. p. 320. f. ext.

Hab. in pineto insulae Lesina et circa Ragusa. Flores viriduli, margine purpurascentes. Fl. Majo. ♃.

Obs. Icon Florae danicae sub n. CIII. ab auctoribus huc citata evidenter pertinet ad Orchidem ustulatam.

CVI. Spiranthes Rich.

Orch. eur. in Memor. du Mus. IV. p. 50.

Char. Perianthium ringens laciniis conniventibus, binis exteriorum patulis, labello apice deflexo subfimbriato, basi unguiculato ecalcarato. Gynostemium breve, anthera stipitata, loculis remotis. Pollinaria bina bipartita, demum proscollae apice affixa. Staminodia nulla. Stigma subrotundum, rostello laminari bifido proscolla lineari instructo. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Diandria. *Syst.* sex. —

332. Spiranthes autumnalis Rich. l. c. Reichb. fl. exc. p. 127. Alsch. fl. jadr. p. 214.

S. foliis radicalibus ovali-oblongis in petiolum contractis, caulinis adpressis vaginiformibus, spica spirali villosa, labio obovato crenato.

Syn. Ophrys spiralis L. sp. pl. ed. II. p. 1340. (excl. var. γ.)
Neottia autumnalis Host. fl. austr. 2. p. 543.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. V. n. 13.
Engl. bot. t. 541.
Fl. dan. t. 387.

Hab. in graminosis circa lacum Boccagnazzo prope Zara ubi legit prof. Alschinger. Flores albidi, labello viridi, fragrantes. Floret Aug. Sept. ♃.

CVII. Ophrys L.

Gen. pl. ed. II. p. 333. (excel. specc.)

Char. Perianthium laciniis duabus exterioribus patulis, suprema galeata, duabus internis minoribus erectis, labello patente trilobo ecalcarato. Gynostemium breve, antherae adnatae loculis ad basim usque discretis, connectivo loculos excedente. Pollinaria bina caudiculata, retinaculis basi bursiculis duabus distinctis inclusis. Staminodia minuta. Stigma subrotundum erostrae. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Diandria. *Syst.* sex. —

* cornutae: labelli basi utrinque corniculata ant gibbosa.

333. Ophrys arachnites Reich fl. moeno-franc. 2. p. 89. (excl. syn. L.) Host. fl. austr. 2. p. 541. Alsch. fl. jadr. p. 214.

O. labello late obovato-triangulari velutino, apicis emarginati appendicula cristata inflexa, gibbis baseos abbreviatis villosis, laciniis perianthii internis convoluto-corniculatis pubescentibus gymnostemium rostratum subaequantibus.

Syn. O. insectifera adrachnites η. L. sp. pl. ed. II. p. 1343.
O. oestrifera M. B. Reichb. fl. exc. p. 128.
O. fuciflora (Hall.) Reichb. fl. exc. in add. p. 140. 19. n. 867. et icon. bot. cent. IX. p. 24.

Icon. Reichb. icon. bot. IX. f. 1162.
Curt. bot. mag. tab. 2516.
Hall. hist. stirp. helv. n. 1266. f. sinixtr. 1—3.
Vaill. bot. paris. tab. XXX. f. 10—13.

Illyr. Ljubidragh.

Hab. in collibus et ad vineas circa Zara, Dernis, et in Zagorie, nec non in olivetis ad Stolivo prope Cattaro. Perianthii laciniae superiores roseae aut albidae viridi lineatae; labellum ferrugineum flavo-lineolatum. Flor. Aprili. ♃.

Obs. Quamquam in icone citata bot. mag. laciniae perianthii internae pingantur glabrae, tamen in descriptione minute ciliatae dicuntur.

334. Ophrys atrata Lindl. bot. reg. n. 1087. Reichb. fl. exc. p. 129. et Ic. bot. cent. IX. p. 21.

O. labello obovato villoso, apice emarginato mutico aut mucronulato, corniculis baseos conicis crassis obtusis, laciniis perianthii internis lanceolato-oblongis obtusis glabriusculis planis gynostemium rostratum subaequantibus.

Icon. Reichb. Ic. bot. IX. f. 1150.
Bory et Chaub. exp. scient. de Mor. bot. pl. XXXII. f. 4.

Hab. in saxosis apricis insulae Ossero circa Lossin piccolo, et ins. Lesina. Perianthii laciniae virides, internae olivaceae, labellum atroviolaceo-villosum, lineis binis glabris subparallelis cyaneis longitudinaliter pictum. Floret Aprili. ♃.

Obs. Laciniae perianthii internae, vix et sparsim puberulae, semper obtusae, quandoque retusae. Nimium affinis sequenti, a qua tamen villositate majori atroviolacea, corniculis duplo longioribus, laciniis perianthii internis brevioribus videtur diversa.

335. Ophrys aranifera Huds. fl. angl. ed. II. p. 392. (1778.) Host. fl. austr. 2. p. 540. Reichb. fl. exc. p. 129. et in add. p. 140. 19. n. 871. et in Icon. bot. cent. IX. p. 23.

O. labello obovato velutino, apice emarginato mutico aut mucronulato, gibbis baseos abbreviatis, laciniis perianthii internis oblongo-linearibus obtusis glabris planis gynostemio rostrato longioribus.

Icon. Reichb. Ic. bot. cent. IX. f. 1154—1156.
Engl. bot. t. 65.
Segu. veron. 2. tab. XV. f. 13.
Tourn. inst. V. herb. tab. 247. C.
Vaill. bot. paris. tab. XXXI. f. 15. 16.

Hab. in saxosis circa Lossin piccolo in insula Ossero, et in olivetis ad Stolivo prope Cattaro. Perianthium viride, labellum cinereo-fuscum margine lutescens, lineis binis parallelis lividis. Fl. Aprili, Majo. ♃.

Obs. **Labellum ut plurimum integrum, raro trilobum, lobo medio saepius integro, mucronulato aut mutico, interdum bilobo cum vel sine mucrone, quo in casu videtur quadrilobum.**

336. Ophrys apifera Huds. fl. angl. ed. I. p. 340. Host. fl. austr. 2. p. 540. Reichb. fl. exc. p. 128. et in add. p. 140. [19.] n. 869. et Ic. bot. Cent. IX. p. 24. Alsch. fl. jadr. p. 213.

O. labello obovato-subrotundo velutino, trilobo, lobis lateralibus triangulo-corniculatis villosis, medio trilobo apice deflexo-appendiculato, laciniis perianthii internis lanceolatis convolutis villosis, gynostemii duplo longioris rostro elongato demum flexuoso.

Icon. Reichb. ic. bot. bent. IX. f. 1159. Hall. hist. stirp. helv. n. 1266. f. sinixtr. n. 4. Vaill. bot. paris. tab. XXX. f. 9. a. Segu. pl. veron. suppl. tab. VIII. f. 2. *Illyr.* Pçelliza. *Hab.* in pascuis inter Boccagnazzo et Dihlo prope Zara, nec non circa Cattaro. Perianthium roseum, nervis viridibus, labellum ferrugineum luteo maculatum. Fl. Aprili. ♃.

337. Ophrys cornuta Stev. in Bieb. fl. tauro-cauc. 2. p. 370. Reichb. fl. exc. in add. p. 140. [19.] n. 867. b.

O. labello obovato-triangulari velutino trilobo, lobis lateralibus longe subulato-corniculatis villosis, medio emarginato inflexo appendiculato, laciniis perianthii internis lanceolatis sub-convolutis villosis, gynostemio rostrato duplo brevioribus.

Syn. O. oestrifera Alsch. fl. jadr. p. 213. (excl. syn.) Bory et Chaub. exp. de Mor. bot. p. 265. an Bieb.? O. Scolopax Host fl. austr. 2. p. 541. ex herb.! Host et Portenschl. (nec Cav.) *Icon.* Reichb. ic. bot. Cent. IX. f. 1166. Bory et Chaub. l. c. pl. XXXI. f. 1. et XXXII. f. 8. *Hab.* in pascuis circa Boccagnazzo, Nona, Ragusa, et Cattaro circa Troiza. Perianthium flavo-virens, labella fusco, maculis lutescentibus. Fl. Aprili, Majo. ♃.

Obs. **Appendicula carnosa inflexa uni-tridentata, nunc augustior nunc latior. Gynostemii apex nunc brevis acutus ut in icone cl. Reichenbachii, nunc longiusculus flexus ut in illa cll. Bory et Chaubart: corniculi quoque nunc magis nunc minus longi, nunquam tamen adeo curvi ut in icone hac postrema. Juxta hosce auctores O. cornuta Stev. varietas est O. oestriferae Bieb. ex inspectione speciminis in herbario Musaei Parisiensis servati. Attamen ipse Biebersteinius utrasque distinxit, etsi ex notis quibus in fl. tauro-caucas. II. p. 369. 370. illas idem auctor descripsit, minime specifica earumdem diversitas elucescat.**

338. Ophrys bombyliflora Link in Schrad. diar. bot. 1799. 2. p. 325. Reichb. Icon. bot. cent. IX. p. 24.

O. labello obovato velutino medio glabriusculo, trilobo, lobis lateralibus abbreviatis conice breviterque corniculatis villosis, medio emarginato inflexo-appendiculato, laciniis perianthii internis lanceolato-linearibus convolutis obtusis villosis gynostemio rostrato paullo brevioribus.

Syn. O. bombylifera W. sp. pl. IV. p. 68. Bory et Chaub. exp. scient. de Mor. bot. p. 265. *Icon.* Reichb. l. c. f. 1160—61. Bory et Chaub. l. c. pl.

XXXII. f. 7. *Hab.* in graminosis apricis Mulla prope Cattaro, unde misit Neumayer. Perianthium roseum, labello fusco, ad latera et apicem flavescente. Floret Aprili. ♃.

339. Ophrys tabanifera W. sp. pl. IV. p. 68. Reichb. icon. bot. cent. IX. p. 26.

O. labello ovato tenuissime velutino trilobo, lobis lateralibus abbreviatis lanceolatis acutis basi gibbis villosis, medio elliptico, apice truncato-trifido penicillato-villoso recte appendiculato, laciniis perianthii internis subcordato-ovatis acutis margine revolutis obtusis villosis gynostemio mutico subaequalibus.

Syn. O. distoma Bivon. sic. pl. cent. I. p. 59. O. pulla Tenr. fl. napol. II. p. 311. O. hiulca Maur. roman. pl. cent. XIII. p. 43. O. myodes? Alsch. herb! an et fl. jadr. p. 213? *Icon.* Reichb. l. c. f. 1169—70. Bory et Chaub. exp. scient. de Mor. botan. p. 264. pl. XXXI. f. 2. Ten. fl. nap. tab. XCVII. (mediocr.) *Hab.* ad vineas circa Zara ubi legit prof. Alschinger. Perianthium flavo-virens: carina laciniarum viridi, labello fusco. Floret Mart. ♃.

Obs. Ad labelli apicem et ante appendiculum extat penicillus villorum albidorum, crassorumque. Species florum parvitate O. myodi e longinquo similis, gracilitate sua, caule in nostris speciminibus, ut etiam in planta romana a cl. Moricand communicata, semper bifloro, perianthii laciniis labelloque subelliptico, lacinia suprema galeata a plurimis prima etiam fronte diversa.

* ecornes: labelli basi utrinque plana.

340. Ophrys Bertolonii Morett. pl. ital. dec. VI. p. 9. Reichb. fl. exc. p. 128. et in add. p. 140. 19. n. 866.

O. labello amplo obovato villosulo, medio nitido glabro, basi integro, apice subtrilobo, lobo medio minimo appendiculiformi glabro, laciniis perianthii internis linearibus planis margine puberulis gynostemium rostratum subaequantibus.

Syn. O. Speculum Bertol. pl. gen. ed. I. p. 124. (nec Link.) Pett. bot. Wegw. n. 648. n. 648. (exl. syn.) O. Scolopax Alsch. fl. jadr. p. 213. nec Cav. *Icon.* Reichb. icon. bot. IX. f. 1157—58. *Illyr.* Kokiza. *Hab.* in saxosis apricis insularum Cherso, Ossero, et circa Zara, Spalato, Ragusa et Pastrovichio. Flores magni 2—4; perianthio albido, labello atro-violaceo macula media obcordata nigricante glabra. Floret Majo. ♃.

341. Ophrys flavicans. *

O. labello obovato villosulo medio glabro, basi integro, apice trilobo, lobo medio minimo appendiculiformi glabro obtuso recto, laciniis perianthii internis lanceolato-linearibus planis margine puberulis, gynostemio rostrato aequalibus.

Hab. in saxosis montis Bernistroviza prope Traù, ubi legit A. Andrich. Flores perianthio albido, labello fascia flavo-viridi villosula circumcincto, medio macula oblonga apice acute bifida glabra fusca. Floret Majo. ♃. *Descr.* Tubera subglobosa. Planta bi-tripollicaris gracilis biflora. Folia usque ad tertiam caulis partem lanceolata, basi angustata, plana acutiuscula. Flores bini mediocres, illis O. luteae vix majores, bracteis lanceolatis subaequales, perianthii lacinia suprema obovato-spathulata, vix galeata, lateralibus externis elliptico-oblongis, intimis lanceolato-linearibus planis glabris margine sparse et minute puberulis, apice obtusis, externis vix tertio brevioribus; labello laciniis externis paullo longiore, obovato,

convexo, marginibus replicatis, integro, apice emarginato cum appendicula carnosa minima glabra recta, vel si eam pro lobo medio sumas, trilobo, supra villositate brevi flavida undique circum cincto, medio macula late lineari basi velutina, caeterum glabra, apice acute excisa, fusca notato. Gynostemium plus minusve rostratum laciniis perianthii internis aequilongum.

Obs. Affinis O. villosae Desf. coroll. de Tourn. p. 8. tab. 4 quae O. tenthredinifera Bory et Chaub. exp. scient. de Mor. bot. p. 263. pl. XXXII. f. 3. nec W., et magis O. villosae Reichb. icon. bot. cent. IX. p. 27. f. 1172., quae ab icone et descriptione utriusque auctoris quidquam differt labello panduriformi nec integro, velutino nec longe villoso, perianthii laciniis internis lanceolato-linearibus gynostemio aequalibus, nec triangularibus ipsoque brevioribus. Differt nostra ab utraque flore duplo minore, labelli appendicula minima recta obtusa, nec inflexa majore acuta, disci macula quadrata nec subrotundo-obcordata, unicolore nec zonis discoloribus picta. Differt insuper a planta graeca cll. Desf. et Bory labello obovato nec subquadrato, breviter nec longe villoso, unde nomen, a planta calabrica cl. Reichenbachii praecipue forma labelli, quod nec obcordato-panduriforme nec velutinum, sed obovatum est, margine integrum, et breviter villosum.

342. Ophrys iricolor Desf. coroll. de Tourn. p. 6. Reichb. icon. bot. cent. IX. p. 21.

O. labello late cuneato-oblongo velutino, supra medium trilobo, lobis lateralibus semiovatis obtusis, medio latiore emarginato aut truncato mutico duplo brevioribus, laciniis perianthii internis late linearibus planis margine puberulis gynostemio mutico longioribus.

Icon. Desf. loc. cit. tab. 3. Reichb. icon. bot. l. c. f. 1148. *Hab.* in dumetis insulae Lesina, ubi legit prof. Stalio. Flores perianthio flavo-viridi, labelli atro-violacei disco maculis binis parallelis oblongis contiguis, azureis ornato. Floret Aprili. ♃.

Obs. Affinis O. fuscae Lk., a qua praecipue differt labello plano nec convexo, velutino nec margine villoso, omnino fusco nec disco azureo, lobo medio vix emarginato aut simpliciter truncato nec bilobo, laciniis perianthii internis gynostemio multo, nec vix, longioribus. Hanc conferas in cl Reichb. icon. bot. IX. f. 1148. et cll. Bory et Chaub. exp. scient. de Mor. bot. p. 263. pl. 32. f. 1.

343. Ophrys lutea Cavan. ic. pl. 2. p. 46. Reichb. fl. exc. p. 128. et in add. p. 140. 19. n. 864. Alsch. fl. jadr. p. 213—14.

O. labello obovato villosulo, medio velutino, margine glabriusculo, supra medium trilobo, lobis lateralibus semiovatis obtusis, medio latiore obcordato-bilobo paullo brevioribus, laciniis perianthii internis oblongo-linearibus planis glabris gynostemio mutico subaequalibus.

Syn. O. insectifera ε. L. sp. pl. ed. II. p. 1343. *Icon.* Reichb. icon. bot. IX. f. 1149. Bory et Chaub. exp. scient. de Mor. bot. pl. XXXII. f. 2. Cavan. ic. pl. 2. tab. 160. Breyn. exot. pl. cent. tab. 45. f. ext. Moris. hist. pl. 3. S. 12. t. 13. f. 15. *Hab.* in pascuis umbrosis circa Zara non longe a Fontana degli Artiglieri, ubi invenit prof. Alschinger. Flores perianthii laciniis exterioribus viridibus, internis luteis, labello luteo, disco sanguineo, basi maculis binis oblongis cinereis notato. Floret April. Majo. ♃.

CVIII. Serapias L.

Gen. pl. ed. II. p. 332. (excl. spec.)

Char. Perianthium laciniis externis cucullato-conniventibus: internis superioribus e basi dilatata longe cuspidatis, labello ecalcarato basi bilamellato subtrilobo, lobis lateralibus erectis, medio majore deflexo. Gynostemium elongatum erectum, apice in foliolum lanceolatum producto: antherae adnatae loculis medio disjunctis. Pollinaria bina, caudiculis retinaculo unico bursicula incluso connexis. Staminodia obsoleta. Stigma oblongum erostre. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Diandria. *Syst.* sex.

344. Serapias Lingua L. sp. pl. ed. II. p. 1344. Host. fl. austr. 2 p. 537. (excll. syn.) Reichb. fl. exc. p. 129. Alsch. fl. jadr. p. 212. excll. syn.)

S. labelli basi glabra aut pilosiuscula, lobo medio ovali-lanceolato acuto, foliis omnibus patentibus.

Icon. Petiv. oper. vol. I. tab. 128. f. 2. Columm. ecphr. 1. tab. 321. Moris. hist. pl. 3. S. 12. t. 14. f. 21. Zannich. ist. piant. ven. t. 42. f. 1. *Hab.* in pratis, locisque graminosis insulae Ossero, ad Xerava prope Zara, nec non circa Cattaro in valle Zuppa, et Bogdassich. Flores purpurascentes, labello incarnato venis saturationibus picto. Floret Majo, Junio. ♃.

Obs. Labelli lobus medius longitudine varius plus minusve acutus, initio horizontalis demum refractus dependens. Tuber alterum in utraque specie brevius longiusve pedicellatum.

345. Serapias cordigera L. sp. pl. ed. II. p. 1345. Reichb. fl. exc. p. 130. Alsch. fl. jadr. p. 212.

S. labelli basi barbata, lobo medio amplissimo cordato-ovato acuminato, foliis supremis adpressis.

Syn. Helleborine cordigera Sebast. et Maur. fl. rom. prodr. p. 312. *Icon.* Sebast. et Maur. l. c. tab. X. *Hab.* in pratis prope Stabilimento di Nona, circa Xerava prope Zara, et circa Perzagno prope Cattaro. Flores atrorubentes, labello venis saturationibus picto. Floret Majo. ♃.

CIX. Cephalanthera Rich.

de Orchid. annot. p. 21.

Char. Perianthium laciniis quinis erectis subconniventibus aequalibus, labello transverse geniculato, articulo basilari saccato, terminali apice reflexo. Gynostemium elongatum erectum: antherae mobilis dorso affixae loculis discretis. Pollinaria cylindrica bina biloba. Staminodia nulla. Stigma transversum erostrae. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Diandria. *Syst.* sex. —

346. Cephalanthera pallens Rich. l. c. Reichb. fl. exc. p. 132. (excl. syn. L.)

C. labello incluso, perianthiique laciniis omnibus obtusis, bracteis foliaceis ovario glabro longioribus, foliis oblongo-lanceolatis.

Syn. Epipactis pallens W. sp. pl. IV. p. 85. Host. fl. austr. 2 p. 544. Flor. dan. fasc. XXIV. p. 2. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. V. tab. 12. Hall. hist. stirp. helv. n. 1298. Flor. dan. t. 1400. *Hab.* in sylvaticis montis Koziak supra

Verlika. Flores pallidi, labelli disco lineis tribus prominulis flavis cristato. Floret Junio. ♃.

Obs. Utrum Serapias grandiflora L. syst. nat. ed. XII. tom. II. p. 594. huc vel potius ad sequentem pertineat, ambigitur inter auctores. Diagnosis, qua Linnaeus ipse in Itinere oelandico p. 144. suam speciem descripsit, ob folia ensiformia sequentem certe designat. Synonimon Hallerianum e contra ab ipso adductum loco citato, praecedenti absque dubio pertinet. Serius Linnaeus in Mant. II. p. 491. icones quoque citavit Halleri flor. 1298. t. 41., Oed. dan. 506., Damasonium fl. albo Riv. hex. t. 5. 4., quarum prima Cephalantheram pallentem, alterae C. ensifoliam exhibent. Ex hisce patet Linnaeum species has simul confudisse: sed patet quoque plantam quam ob oculos habuit, et cui primum S. grandiflorae nomen imposuit, foliis ensiformibus praeditam fuisse, quae nota cum unius C. ensifoliae specifica sit, clare elucet hanc esse veram Linnaei plantam, cui servanda sunt synonima Halleri et Rivini, excludendam autem synonimon et icon Halleri.

347. Cephalanthera ensifolia Rich. l. c. Reichb. fl. exc. p. 132. Alsch. fl. jadr. p. 215.

C. labello incluso perianthiique laciniis interioribus obtusis, exterioribus acutis, bracteis subulatis, superioribus ovario glabro multo brevioribus, foliis ensiformibus acuminatis distichis.

Syn. Serapias grandiflora L. syst. nat. ed. XII. 2. p. 594. S. ensifolia Sm. engl. bot. 7. Host fl. austr. 2. p. 544. *Icon.* Oed. fl. dan. t. 506. Engl. bot. t. 594. Rivin. irr. hexap. t. 5. f. ext. *Hab.* in umbrosis sylvaticis montis Vellebith, et in insulis circa Zara, ubi legit prof. Alschinger. Flores albi, labelli sulcati apice flavo. Floret Aprili. ♃.

348. Cephalanthera rubra Rich. l. c. Reichb. fl. exc. p. 132.

C. labello exserto laciniisque perianthii omnibus acuminatis, bracteis foliaceis ovario pubescenti subaequalibus, foliis lanceolatis.

Syn. Serapias rubra L. syst. veg. ed. XIII. p. 679. Sm. Engl. bot. 7. Flor. dan. fasc. 6. p. 8. Epipactis rubra Sw. act. holm. 1800. p. 232. Host fl. austr. 2. p. 545. *Icon.* Engl. bot. t. 437. Fl. dan. t. 345. Hall. hist. stirp. helv. n. 1299. Rivin. irr. hexap. t. 6. fig. intern. *Hab.* in sylvaticis montis Dinara ubi legit Doct. Clementi. Flores purpurei, labello albido, lineis parallelis longitudinalibus undulatis flavidis prominulis cristato. Floret Jun. Julio. ♃.

CX. Limodorum Tourn.

Inst. r. herb. 2. p. 437.

Char. Perianthium laciniis omnibus erecto-patulis, internis multo angustioribus, labello transverse geniculato, articulo basilari unguiculato calcarato, terminali indiviso gynostemium marginibus amplectente. Gynostemium elongatum erectum, antherae mobilis dorso affixae loculis approximatis. Pollen granulosum proscollae demum agglutinatum. Staminodia nulla. Stigma obcordatum rostello brevissimo proscolla instructo. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Diandria. *Syst.* sex. —

349. Limodorum abortivum Sw. nov. act. holm. 6. p. 80. Host fl. austr. 2. p. 545. Reichb. fl. exc. p. 131.

L. caule vaginato aphyllo, labello ovato undulato, calcare subulato ovarium subaequante.

Syn. Orchis abortiva L. sp. pl. ed. II. p. 1336. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fasc. V. tab. 11. Jacq. fl. austr. tab. 193. Hall. hist. stirp. helv. n. 1288. *Hab.* in dumetis collium circa Cattaro, et Bogdassich. Tota planta violacea. Floret Majo. ♃.

CXI. Neottia L.

act. upsal. 1740. p. 33. (excl. specieb.)

Char. Perianthium laciniis quinis conniventibus subaequalibus, labello pendulo basi saccato ecalcarato subtrilobo, lobo medio producto, apice bifido. Gynostemium breve erectum antherae mobilis basi affixae loculis medio disjunctis. Pollinaria bina subbipartita nuda retinaculo communi juncta. Stigma transversum marginatum, rostello laminari indiviso antherifero, proscolla nulla. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Diandria. *Syst.* sex. —

350. Neottia Nidus-Avis Rich. annot. de Orchid. p. 37. Reichb. fl. exc. p. 132.

N. caule vaginato, labello obcordato reliquis perianthii laciniis obtusis longiore.

Syn. Ophrys Nidus Avis L. sp. pl. ed. II. p. 1379. Fl. dan. fasc. IV. p. 3. n. 1. Listera Nidus Avis Hook. fl. lond. Host. fl. austr. 2. p. 539. Neottidium Nidus avis Schlechtdl. fl. berol. p. LXV. C. F. Nees gen. pl. fasc. V. *Icon.* C. F. Nees l. c. tab. 15. Fl. dan. tab. 181. Engl. bot. t. 48. Hall. hist. stirp. helv. n. 1290. Rivin. hexap. irreg. tab. 7. f. ext. *Hab.* in sylvis vallium montis Biokovo supra Macarsca in radicibus arborum parasitica. Planta omnis ex albido testacea. Radix fibroso-fasciculata in nidi modum intricata, unde nomen. Legi florentem et fructificantem initio Junii. ♃.

CXII. Corallorrhiza Hall.

hist. stirp. helv. 2. p. 159.

Char. Perianthium laciniis quinis conniventibus subaequalibus, labello patente breviter calcarato trilobo, lobo medio maximo lineari-bicalloso. Gynostemium oblongum, antherae liberae basi affixae transverse dehiscentis loculis contiguis. Pollinaria rotunda quaterna proscollae globosae agglutinata. Stigma triangulare, rostello obsoleto, proscollae margine infero antherae adhaerente. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Diandria. *Syst.* sex. —

351. Corallorrhiza innata R. Br. in hort. Kew. p. 209. Reichb. fl. exc. p. 131.

C. racemo paucifloro, perianthii laciniis acutis, inferioribus deflexis, labello oblongo obtuso.

Syn. Ophrys Corallorrhiza L. sp. pl. ed. II. p. 1339. Flor. dan. fasc. VIII. p. 6. Corallorrhiza dentata Host. fl. austr. 2. p. 547. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fasc. X. tab. 12. Flor. dan. tab. 451. Hall. hist. stirp. helv. n. 1301. Clus. hist. pl. p. CXX. f. int. *Hab.* in sylvis vallium montis Biokovo cum praecedente, et in monte Svilaja. Flores albido-virescentes. Radix coralliformis, unde nomen. Legi initio Junii. ♃.

CXIII. Epipactis Hall.

enum. stirp. helv. 1. p. 277.

Char. Perianthium laciniis omnibus patentibus subaequalibus, labello ecalcarato transverse geniculato, articulo basilari concavo nectarifero, terminali basi bilamellato. Gynostemium erectum breve, antherae basi affixae liberae loculis longitudinaliter dehiscentibus contiguis. Pollinaria bina ecaudata demum proscollae globosae agglutinata. Staminodia nulla. Stigma subquadratum, rostello brevi proscolla terminato. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Diandria. *Syst.* sex. —

352. Epipactis latifolia Allion. fl. ped. 2. p. 152. Host. fl. austr. 2. p. 543. Reichb. fl. exc. p. 133. Alsch. fl. jadr. p. 214. Pett. bot. Wegw. n. 360.

E. labello ovato-acuminato integro laciniis perianthii reliquis subbreviore, bracteis inferioribus flore longioribus, foliis ovatis, infimis subrotundis.

Syn. Serapias Helleborine a. latifolia L. sp. pl. ed. II. p. 1344. S. latifolia Sm. engl. bot. 4. p. 269. *Icon.* Sm. engl. bot. t. 269. Hall. hist. stirp. helv. n. 1297. Rivin. irr. hexap. tab. 2. opt.! *Hab.* in sylvaticis montium Vellebith, Dinara, et Veliki-Grad supra Clissa. Flores virides labello rubente. Floret Junio, Julio. ♃.

Obs. Jcon. Camerar. Epit. p. 889., etsi a Linnaeo ipso huc citata, ex habitu, et floribus, et statione palustri potius sequentem exhibet.

353. Epipactis palustris Crantz austr. 6. p. 462. (1769) Host fl. austr. 2. p. 544. Reichb. fl. exc. p. 134. Alsch. fl. jadr. p. 214.

E. labello subrotundo crenulato obtuso lacinias perianthii aequante, bracteis omnibus flore brevioribus, foliis lanceolatis.

Syn. Serapias longifolia γ. L. sp. pl. ed. II. p. 1345. S. palustris Scop. fl. carn. 2. p. 204. Engl. bot. 4. p. 270. Helleborine latifolia Fl. dan. fasc. V. p. 6. *Icon.* C. F. Nefs gen. pl. fasc. X. tab. 7. Engl. bot. t. 270. Flor. dan. t. 267. Crantz l. c. t. 1. f. 5. Hall. hist. stirp. helv. n. 1296. *Hab.* in paludosis prope Zara, ad Stobrez prope Spalato, ad Ombla prope Ragusa. Flores rubelli. Floret Junio, Julio. ♃.

354. Epipactis microphylla Sw. act. holm. 1800. p. 232. Host fl. austr. 2. p. 543. Reichb. fl. exc. p. 133.

E. labello ovato-acuto crenulato perianthii lacinias subaequante, bracteis omnibus flore brevioribus, foliis lanceolatis.

Icon. Waldst. et Kit. pl. rar. hung. tab. 270. *Hab.* in sylvaticis ad pedem montis Dinara supra Glavasc, ubi legi m. Julio florentem. Etiam e ditione Ragusina, sed sine loci specialis indicatione, misit Neumayer. Flores flavo-virides, suaveolentes. ♃.

Ordo XV. CALLACEÆ.

Bartl. ord. nat. pl. p. 66.

Flores unisexuales et nudi, vel hermaphroditi et perigonii rudimentis squamaeformibus praediti, secus spadicem carnosum simplicem spatha basi circumdatum, in unisexualibus medio staminiferum, inferne pistilliferum, apice nudum spicato-congesti. Stamina plurima, in hermaphroditis perianthii squamis opposita, antheris

saepius bilocularibus. Ovaria plurima uni-trilocularia multiovulata libera, stigmate unico. Genitalia abortiva setacea, masculina (staminodia) supra flores masculos, foeminea (pistillidia) supra foemineas. Pericarpium baccatum indehiscens uni-triloculare, mono-polyspermum. Semina albuminosa, testa saepius crassa, embryone axili, radicula hilum spectante, aut ipsi opposita.

Herbae tuberosae, scapigerae acres, foliis nervosis aestivatione convolutis, petioli basi dilatato-vaginantibus.

Clavis analytica generum.

Spatha basi tubulosa vid. No. . . 1	Spatha basi convoluta **Arum.**
1 Floribus masculis a foemineis distantibus **Biarum.**	Floribus masculis foemineisque contiguis **Arisarum.**

CXIV. Arum L.

Gen. pl. ed. II. p. 338. (excl. spec. pl.)

Char. Spatha basi convoluta marginibus distinctis. Spadix androgynus, floribus masculis a foemineis distantibus vel contiguis, apice sub-clavatus, inclusus. Genitalia abortiva setacea supra et infra stamina. Antherae distinctae, aut connatae, subsessiles, loculis bilateralibus, rima dehiscentibus. Ovaria plurima, ovulis 2—6 parietalibus, stigmate sessili disciformi, bacca mono-oligosperma. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Polyandria. *Syst.* sex. —

α. Arum Schott. melet. p. 17.
floribus masculis a foemineis distantibus.

355. Arum maculatum L. sp. pl. ed. II. p. 1367. Host fl. austr. 2. p. 553. Reichb. fl. exc. p. 10.

A. scapo nudo, foliis hastatis unicoloribus aut fusco maculatis, lobis deflexis vel conniventibus, spadice spatha duplo breviore, staminodiis plurimis sparsis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. II. tab. 5. Engl. bot. t. 1298. Blackw. herb. 1. tab. 228. *Hab.* in umbrosis, nemorosis circa Umljanovich prope Dernis, et ad Bogdassich prope Cattaro. Spatha pallide virens, spadice atropurpureo. Baccae miniatae. Floret Majo, Junio. ♃.

356. Arum italicum Lam. enc. bot. ed. Pat. III. p. 8. Vis. stirp. dalm. p. 26. Host. fl. austr. 2. p. 552. Reichb. fl. exc. p. 10. Alsch. fl. jadr. p. 219. Pett. bot. Wegw. n. 113.

A. scapo nudo, foliis hastato-sagittatis albo-venosis lucidis, lobis divaricatis lanceolatis, spadice spatha triplo breviore, staminodiis multiserialibus subverticillatis.

Icon. Sabbat. hort. rom. II. tab. 75. Zannich. ist. piant. ven. tav. 239. *Illyr.* Kozlaz. Zmjnaz. Kozalaz. Brada aranova. Kozalaz Konjski. *Hab.* ad sepes et in umbrosis et dumetis totius Dalmatiae frequens. Spatha extus virescens, intus basi purpurascens, caeterum albida, spadice flavo. Baccae rubrae. Floret Aprili, Majo. ♃.

Usus. Planta omnis tum hujus, tum praecedentis speciei, quae multo rarior, acris est, et recens cuti applicita eam irritat: vesicare cogit, exulcerat. Radix vero siccata,

amylacea est, sudorem et expectorationem promovet, et in morbis pituitosis et catarrhalibus quandoque exhibetur.

357. Arum orientale Bieb. fl. tauro-cauc. 2. p. 407.

A. scapo nudo foliis cordato-hastatis albo-venosis, lobis deflexis divaricatisve, spadice spatha duplo breviore, staminodiis verticillatis uni-biserialibus.

Syn. A. maculatum var. caucasica W. sp. pl. IV. p. 483. A. pictum Pett. bot. Wegw. n. 114. non L. fil. *Hab.* in sylvaticis collium supra Bergato prope Ragusa, et montis supra Bogdassich prope Cattaro. Spatha atro-purpurea, basi extus virescens, intus albida, spadice atro-purpureo. Baccae rubrae? Floret Majo. ♃. *Descr.* tuber subrotundum. Folia hastato-sagittata, vel cordato-hastata, apice plus minusve acuta, lobis baseos semiovato-oblongis deflexis, interdum divaricatis, numquam tamen rectangulo divergentibus, ut in A. italico. Scapus petiolis brevior. Spatha basi convoluta, apice longe acuminata, spadicem duplum longa. Spadix basi floribus foemineis dense congestis obsitus; horum glomerulo oblongo-cylindrico semipollicari, ovariis supremis abortivis in rostrum setaceum abrupte attenuatis: spatio inter haec et antheras nudiusculo bilineari; floribus masculis in glomerulum subrotundum bi-trilinearem confertis, spatio inter hos et staminodia aequilongo: staminodia basi lata, apice setacea, deflexa, atropurpurea, flores masculos fere attingentia pauca, uni-biseriata, verticillata. Clava terminalis spadicis cylindrica, aut leviter conica, stipiti suo aequilonga. Baccae mono-trispermae, seminum altero, binisve abortientibus, parietalibus oblique affixis, obovatis, parte latiore lenticulari utrinque convexa, angustiore complanata tenuiore.

Obs. Statura plantae nunc ut in A. maculato, nunc ut in A. italico, dempta spatha, cujus proportio cum spadice semper minor in A. orientali quam in A. italico. Species natura sua revera distinctae, attamen notis artificialibus difficillime discriminandae. Clavae proportio cum stipite suo variat pro vario antheseos tempore; initio enim stipitem aequans, foecundatione peracta in omnibus stipite longior evadit. Haec semper plus minusve cylindrica. Foliorum lobi in harum neutra directionem constantissimam servant, nam et in ipso A. maculato quandoque divergunt, et in A. orientali interdum formam lanceolatam, ac divergentiam quandam assumunt. Copiam et dispositionem staminodiorum differentiam minus fallacem praebere mihi visum est, cum in A. maculato inordinate sparsa et plurima reperiantur; in A. italico pauciora sint, et in series subverticillatas plures digesta; in A. orientali vix decem, et verticillum unicum, vel binos vix distinctos efforment. Cl. Bieberstein huc Arum byzantinum Clus. rar. pl. hist IV. p LXXIV. pertinere putavit, quod valde dubium, cum in nostro nec radix digitum longa, nec foliorum lobi lanceolati acuti rectangulo-patentes, nec folia maculis nigris notata, quales notae in descriptione et icone Clusii petuntur, videre sit.

β. Dracunculus Tourn. inst. r. herb. p. 160.

floribus masculis foemineisque contiguis.

358. Arum Dracunculus L. sp. pl, ed. II. p. 1367. Vis. stirp. dalm. p. 26. Host. fl. austr. 2. p. 552. Reichb. fl. exc. p. 10. Alsch. fl. jadr. p. 219. Pett. bot. Wegw. n. 112.

A. scapo petiolis vaginato, foliis pedatis integerrimis albo-venosis, spadice conico acuto fistuloso spatha paullo breviore.

Icon. Sabbat. hort. rom. 2. tab. 76—77. Bull. herb. de la fr. tab. 73. Matth. disc. sopra Diosc. ed Valgr. p. 624. *Illyr.* Lopar. Zmajno zalje.

Zmjnaz velli. Scher. *Hab.* in sylvaticis circa Bristiviza prope Traù, circa Clissa, in insula Solta, et Ragusa prope Bergato. Vaginae foliorum livide striatae: flores atropurpurei foetidi: baccae rubrae. Floret Majo. ♃.

Usus. Colitur frequenter apud mapalia pastorum pro fumigationibus radice sua instituendis in epizootis bovinis.

CXV. Biarum Schott.

melet. p. 17.

Char. Spatha marginibus basi connatis tubulosa. Spadix androgynus, floribus masculis a foemineis distantibus, apice subulatus longe exsertus. Genitalia abortiva setacea supra et infra stamina. Antherae distinctae, bilabiato-dehiscentes. Ovaria plurima, ovulo unico basilari, stylo distincto, sigmate subcapitato, bacca monosperma. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Polyandria. *Syst.* sex.

359. Biarum tenuifolium Schott. l. cit.

B. foliis lanceolatis oblongisve hysteranthiis, spatha lanceolata, spadice vermiformi declinato exserto.

Syn. Arum tenuifolium L. sp. pl. ed. II. p. 1370. Vis. stirp. dalm. p. 26. Host fl. austr. 2. p. 553. Reichb. fl. exc. p. 10. Draconculo minore Anguill. sempl. p. 126. et p. 176. *Icon.* Botan. mag. tab. 2282. Clus. rar. pl. hist. IV. p. LXXIV. et stirp. hisp. p. 305. Moris. hist. pl. sect. 13. tab. 6. f. 21. *Hab.* in saxosis collinis circa Sebenico, in insula Curzola, et in peninsula Sabbioncello. Flores atropurpurei, spadix nitidus. Fructum non vidi. Floret Sept. Oct. ♃.

Obs. Folia variant angusta et latiora, quandoque etiam oblongo-elliptica. Antherae conspicue bilabiatae, ut jam observaverant cl. Sims in botan. mag. p. 2282. et cl. Reichenbach loc. cit. Planta singularis ab Aloysio Anguillara jam ab anno MDLXI in Dalmatia detecta, a me iisdem locis circa Sebenico, et alibi postea reperta, et in Specimine stirp. dalm. anno MDCCCXXVI publici juris facto indicata, eodem anno scilicet quo cel. Sprengel in Syst. veg. III. p. 769 asserebat neminem post Anguillaram plantam hanc spontaneam vidisse. Utinam genus hoc, quomodo ab Aris veris probe distinctum, sic etiam aptiori nomine salutatum fuisset!

CXVI. Arisarum Tourn.

Inst. r. herb. p. 161.

Char. Spatha inferne tubulosa. Spadix androgynus, floribus utriusque sexus contiguis, apice clavatus. Genitalia abortiva nulla. Antherae distinctae rarae filamentis instructae, bilabiato-dehiscentes. Ovaria pauca, ovulis plurimis basilaribus, stylo distincto, stigmate subpeltato, bacca 2—8 sperma. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Polyandria. *Syst.* sex. —

360. Arisarum vulgare Targion. Tozz. obs. bot. dec. IV. p. 47. Host fl. austr. 2. p. 551. Reichb. fl. exc. p. 188. n. 33. b. Alsch. fl jadr. p. 219.

A. acaule, foliis hastatis, lobis baseos spathaeque apice obtuso, spadice exserto nutante.

Syn. Arum Arisarum L. sp. pl. ed. II. p. 1370. Vis. stirp. dalm. spec. p. 26. Pett. bot. Wegw. n. 111. *Icon.* Targ. loc. cit. tab. VIII. f. 6—9., 16—19., 24—26. Jacq. hort. schoenbr. 2. t. 192. Sabbat. hort. rom. 2. t. 79. Clus.

rar. pl. hist. IV. p. LXXIV. *Hab.* ad vineas et in argillosis insularum Ossero, Pago, Melàda, Lesina, Curzola, nec non circa Lapad prope Ragusa. Spatha viridula rubro albidoque alternatim striata. Fl. a Novembri ad Febr. ♃.

Ordo XVI. TYPHACEÆ.

Juss. gen. pl. p. 25. (Typhae.)

Flores monoici secus rachidem dense spicati vel capitati, squamis aut setis pro perianthio muniti. Elores masculi superiores, staminibus plurimis, antheris basifixis bilocularibus, loculis longitudinaliter dehiscentibus, connectivo ultra ipsos producto. Flores foeminei, ovariis unilocularibus uniovulatis liberis, ovulo e loculi apice pendulo, stylo simplici, stigmate ligulato unilaterali. Pericarpium subdrupaceum, stylo persistente rostratum, monospermum. Semen inversum, albumine subcarnoso copioso, embryone axili, radicula apice incrassata verticem fructus spectante.

Herbae perennes palustres rhizomate crasso repente, caulibus enodibus teretibus, foliis alternis linearibus integris, basi vaginantibus.

CXVII. Typha Tourn.

Inst. r. herb. p. 530.

Char. Flores spicati, spicis subcylindricis, bracteis caducis alternantibus interstinctis: mares e filamento filiformi, apice antheris tribus pluribusve quadri-locellatis instructo, basi setis stipato constantes: foeminei ex ovario unico, setis obsito, demum pedicellato. Fructus ovalis teres. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Triandria. *Syst.* sex. —

361. Typha latifolia L. sp. pl. ed. II. p. 1377. Host fl. austr. 2. p. 554. Reichb. fl. exc. p. 11—12. Alsch. fl. jadr. p. 228. Pett. bot. Wegw. n. 135.

T. foliis linearibus planis caule florigero longioribus, spica mascula foemineaque contiguis cylindricis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. II. tab. 1. Engl. bot. t. 1455. Fl. dan. t. 645. Lam. Enc. bot. pl. 748. f. 1. *Hab.* ic aquis stagnantibus, locisque paustribus insulae Pago, et circa Narenta. Floret Julio. ♃.

CXVIII. Sparganium Tourn.

Inst. r. herb. p. 530.

Char. Flores in capitula globosa dense congesti, bracteis foliaceis alternis persistentibus interstincti: mares e squama membranacea, filamentis subternis, et antheris totidem bilocularibus, loculis indivisis, constantes: foeminei ex ovariis binis, squamis 3—6 circumdatis, sessilibus. Fructus obovatus angulatus. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Triandria. *Syst.* sex. —

362. Sparganium erectum L. sp. pl. ed. II. p. 1378. (excl. var. β.) Reichb. fl. exc. p. 12.

Sp. foliis basi triquetris, lateribus concavis, rachide florali ramosa, stigmate lineari.

Syn. Sp. ramosum Huds. fl. angl. p. 401. Host fl. austr. 2. p. 670. Alsch. fl. jadr. p. 223. Pett. bot Wegw. n. 897. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fasc. II.

tab. 2. f. 1. Engl. bot. t. 744. Lam. Enc. bot. pl. 748. Leers. fl. herborn. t. XIII. f. 11. Lob. icon. stirp. t. 80. f. 1. *Illyr.* Jexinaz. *Hab.* in fossis, et ad fluviorum ripas circa Obbrovazzo, Nona, Zara, Salona, Narenta, Zuppa. Flores viriduli. Floret Junio. ♃.

Ordo XVII. NAJADEÆ.

A. Rich. elem. bot. p. 416. (err. Nayadeae.)

Flores unisexuales aut hermaphroditi axillares, vel spicati, jam spatha communi inclusi. Flores masculi monandri nudi, aut squama muniti, aut spatha propria inclusi, filamento distincto aut nullo, antherae loculis connectivo crasso conjunctis, longitudinaliter dehiscentibus. Flores foeminei superiores, ovariis solitariis approximatisve liberis unilocularibus uniovulatis, ovulo e satura ventrali pendulo, stylo simplici, pluribusve aut nullis, stigmate lineari aut peltato. Pericarpium indehiscens vel irregulariter rumpens monospermum. Semen exalbuminosum erectum vel pendulum, embryone recto aut curvato.

Herbae aquaticae, saepius submersae, caulibus nodoso-articulatis ramosis, foliis simplicibus nervosis petiolatis, stipulis intra petiolaribus membranaceis amplexicaulibus.

Clavis analytica generum.

	Flores secus rachidem spadicemve digesti vid. No. 1	Flores in axilla foliorum **Zannichellia.**
1	Floribus nudis 2	Floribus perianthio cinctis **Potamogeton.**
2	Floribus monoicis **Zostera.**	Floribus hermaphroditis **Posidonia.**

CXIX. Zannichellia Michel.

nov. Gen. pl. p. 70.

Char. Flores polygami axillares solitarii sessiles, stipula membranacea suffulti, aperianthei: mares stamine unico, filamento filiformi, antheris sagittatis: hermaphroditi, stamine unico, ovariis quatuor, stylo brevi, stigmate peltato sublaterali. Nuculae 3—6 coriaceae stipitatae stylo persistente rostratae. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Monandria. *Syst.* sex.

363. Zannichellia major Boenningh. in Reichb. fl. exc. p. 7.

Z. spatha ovata aperta, filamento ovario vix superante, umbella sub-sessili, nuculis stipitatis dorso integris repandisve, stylo iisdem dimidio breviore rostratis.

Syn. Z. palustris Sm. engl. bot. 26. Fl. dan. II. p. 4. Host fl. austr. 2. p. 670. Alsch. herb! non L. Z. gibberosa Reichb. fl. exc. p. 7. et icon. bot. cent. VIII. p. 24. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. VI. n. 11. f. 1—7. Reichb. ic. bot. VIII. fig. 1005—1006. Sm. engl. bot. t. 1844. Fl. dan. t. 67. *var. β.* pedunculata: umbella fructifera pedunculata, nuculis dorso cristatis, saepius spinulosis. *Syn.* Z. pedunculata Reichb. fl. exc. p. 7. et icon. bot. VIII. p. 24. *Icon.* Reichb. icon. bot. VIII. f. 1007. *Hab.* in aquis fluminis Kerka ad Cascata di Scardona, et lacus Boccagnazzo prope Zara, var. in lacu insulae Cherso, ubi eam detexit doct. Biasoletto. Florent Majo. ♃.

Obs. Umbellam nunc omnino sessilem nunc breve pedunculatam, nuculas dorso leves cristatas, aut dentatas, et brevius longiusve stipitatas pro aquae profunditatae variare vidi prout observarit cl. KOCH Syn. fl. germ. p. 579., et ingenue testantur icones citatae. Attamen plantam hanc ad Z. palustrem MICHELII referre nequeo usquedum spatham campanulatam clausam, huic postremae ex MICHELII icone solemni, in planta MICHELIANA ipsa eapse deficere, et formam ovatam planam nostrae propriam exhibere quis demonstraverit, ut recte animadvertit cl. REICHB. l. c.

CXX. Posidonia KOEN.

annal. of bot. II. p. 95.

Char. Flores hermaphroditi secus spadices 3—6 flores intra spatham foliaceam bivalvem congestos, singulos spathilla bivalvi munitos dispositi, aperianthei. Stamina novem, filamentis dilatatis aristatis, tribus sterilibus. Ovarium unicum, stigmate terminali subsessili echinato. Capsula baccata. — *Cl.* Polygamia. *Ord.* Monoecia. *Syst.* sex. —

364. Posidonia Caulini KOEN. l. c. p. 96. REICHB. fl. exc. p. 137.

Syn. Zostera oceanica L. syst. veg. p. 829. Z. marina VIS. stirp. dalm. p. 51. ALSCH. fl. jadr. p. 2. non L. Caulinia oceanica DEC. fl. fr. 3. p. 156. Taenidium oceanicum TARG. TOZZ. cat. veg. marin. p. 81. *Icon.* CAVOL. Zoster. ocean. anth. cum icon. TARG. TOZZETT. l. c. tab. 1. *Illyr.* Voga, Svilina, Porost. Herba rhizomate longissimo articulato repente ramoso, basi dense paleaceo setoso, foliis in apice ramorum congestis linearibus obtusissimis integris aut serrulatis, scapo bitripollicari crassiusculo e foliorum centro exserto, inflorescentia subcymosa. *Hab.* in mare secus oram dalmaticam copiosissime. Fl. Martio. ♃.

Usus. Vitris involvendis vulgo adhibetur. *Obs.* Icon LOBELII in icon. stirp. p. 248. f. int. ab auctoribus huc citata, una cum illa TOURN. inst. r. herb. tab. 337. aliorumque, Taenidio acuminato TARG. Tozz. l. c. p. 84. pertinent. Nomen specificum, synonimi LINNAEANI caussa, in Posidoniam oceanicam mutari debet.

CXXI. Zostera L.

Gen. pl. ed. V. p. 415.

Char. Flores monoici secus spadicem compressum, e rima longitudinali spathae foliaceae prodeuntem, antice biseriatim digestis, aperianthei: mares unica anthera subsessili constantes, foeminei cum masculis alternantes, ex ovario solitario, stylo subulato persistente, et stigmatibus binis capillaribus. Uriculi membranacei spadici alterne adhaerentes irregulariter dehiscentes sessiles. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Polyandria. *Syst.* sex. —

365. Zostera nana ROTH. en. pl. germ. 1. p. 8.

Z. Caule compresso repente nodoso foliis uninervibus, spathae foliaceae pedunculo filiformi.

Syn. Phucagrostis minor CAVOL. in Uster. ann. der Bot. XI. p. 60. Z. marina β. angustifolia fl. dan. 26. p. 3. TARG. TOZZ. cat. veg. marin. p. 89. Z. Noltei HORN. fl. dan. 12. p. 3. et C. F. NEES gen. pl. fasc. VI n. 14. Z. uninervis REICHB. fl. exc. p. 137., an VAHL? *Icon.* CAVOL. l. c. tab. IV. Fl. dan. l. c. tab. 1501. et tab. 2041. C. F. NEES gen. pl. l. c. n. 14. f. 1—14. *Hab.* in profundo maris prope Budua. Doct. CLEMENTI. Floret Martio. ♃.

CXXII. Potamogeton Tourn.

Inst. r. herb. p. 232.

Char. Flores hermaphroditi spicati. Perianthium calycinum tetraphyllum. Stamina quatuor unguibus phyllorum inserta, filamentis brevissimis. Ovaria quatuor stylo subnullo, stigmate peltato obliquo. Drupae quatuor sessiles. — *Cl.* Tetrandria. *Ord.* Tetragynia. *Syst.* sex. —

366. Potamogeton natans L. sp. pl. ed. II. p. 182. Host fl. austr. 1. p. 221. Reichb. Fl. germ. exc. p. 9. Alsch. fl. jadr. p. 35.

P. foliis omnibus longe petiolatis coriaceis natantibus integris, inferioribus lanceolatis, caeteris ovato-oblongis, stipulis convexis petiolo duplo brevioribus, drupis carinatis.

Icon. Chamiss. in Linnafa II. tab. VI. f. 20. fruct. Flor. dan. t. 1025. Lam. enc. bot. pl. 89. Engl. bot. t. 1822. *Hab.* in aquis stagnantibus et rivulis prope Zara. Prof. Alschinger. Fl. Junio, Julio. ♃.

367. Potamogeton oblonga Viv. ann. bot. I. part. I. p. 102. Reichb. fl. exc. p. 9.

P. foliis omnibus longe petiolatis coriaceis ovali-oblongis integris, stipulis convexis petiolo triplo brevioribus, drupis ecarinatis.

Icon. Chamiss. loc. cit. tab. VI. f. 19. fruct. Vivian. fl. ital. fragm. I. p. 1. tab. II. *Hab.* aquis fluentibus torrentis Cikola prope Dernis. Legi floridam m. Julio. ♃.

Obs. Vox Potamogeton primum a Dioscoride adhibita lib. IV. cap. 101., sine generis indicatione, latine a Plinio. (hist. mund. edit. Basil. lib. 26. p. 474. lin. 11—12.) sub genere foeminino usurpata fuit, et hoc duce a primis quoque nuperae rei herbariae patribus Dodonaeo et Tabernaemontano. Hinc tantae auctoritati obsequens, ipsam huic generi restituendam esse arbitror, nec neutro adscribendam, uti Bauhini, et posteriores fecere. Nec eadem de caussa aptius alii eam masculini generis esse autumant.

368. Potamogeton fluitans Roth. tent. fl. germ. 1. p. 72. Host fl. austr. 1. p. 222. Reichb. fl. exc. p. 9.

P. foliis omnibus longe in petiolum attenuatis acutis integris, submersis elongato-lanceolatis membranaceis pellucidis, natantibus oblongis ovalibusve coriaceis, stipulis bicarinatis, drupis compressis margine acutis.

Hab. in aquis stagnantibus lacus Boccagnazzo prope Zara, et fluentibus torrentis Cikola prope Dernis, et fluvii Narenta. Floret Julio, Aug. ♃.

369. Potamogeton lucens L. sp. pl. ed. II. p. 183. Host fl. austr. 1. p. 223. Reichb. fl. exc. p. 8. Alsch. fl. jadr. p. 35.

P. foliis omnibus breviter petiolato-attenuatis submersis membranaceis pellucidis nitidis ovali-lanceolatis cuspidatis, margine serrulato-scabris, pedunculis superne incrassatis, drupis compressis margine obtuso subcarinatis.

Syn. P. Proteus lucens Chamiss. in Linn. II. p. 197. *Icon.* Chamiss. l. c. tab. V. f. 16. a—d. fruct. Flor. dan. t. 295. Engl. bot. t. 376. Dodon. pempt. 4. p. 582. f. ext. sup. *Hab.* in lacu Boccagnazzo, et in fluvio Narenta. Floret Junio, Aug. ♃.

370. Potamogeton crispa L. sp. pl. ed. II. p. 183. Host fl. austr. 1. p. 223. Reichb. fl. exc. p. 8. Alsch. fl. jadr. p. 35.

P. foliis omnibus submersis semiamplexicaulibus membranaceis pellucidis lineari-oblongis acutis serrulatis undulatis, pedunculis aequalibus, drupis compressis, dorso obtusis, apice rostratis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. VI. n. 13. f. 1—8. Chamiss. l. c. tab. V. f. 12. Engl. bot. t. 1012. Flor. dan. t. 927. Lobel. icon. stirp. t. 286. f. 2. *Hab.* in aquis fluentibus circa Zara, et in fluviis Kerka, et Narenta. Flore Majo, Aug. ♃.

371. Potamogeton perfoliata L. sp. pl. ed. II. p. 182. Host fl. austr. 1. p. 222. Reichb. fl. exc. p. 8.

P. foliis omnibus submersis cordato-amplexicaulibus membraneceis pellucidis subovatis obtusis serrulatis planis, pedunculis aequalibus, drupis compressis dorso obtusis apice mucronatis.

Icon. Chamiss. l. c. tab. V. f. 13. Flor. dan. t. 196. Loesel. fl. pruss. t. 65. Joh. Bauh. hist. 3. p. 778. f. int. sup. *Hab.* in aquis fluviorum Kerka prope S. Arcangelo et Narenta. Floret Majo, Aug. ♃.

372. Potamogeton pectinata L. sp. pl. ed. II. p. 183. Host fl. austr. 1. p. 224. Reichb. fl. exc. p. 7.

P. foliis omnibus submersis linearibus membranaceis pellucidis basi vaginantibus apice acutis, uninerviis, transverse venosis, margine integris planis, pedunculis aequalibus elongatis, spica interrupta, drupis dorso carinatis.

Icon. Chamiss. loc. cit. tab. IV. f. 2. fruct. Flor. dan. t. 1746. Engl. bot. t. 323. Vaill. bot. paris. t. 32. f. 5. *Hab.* in aquis fluvii Kerka supra Scardona, et locis palustribus prope Traù. Floret Julio, Aug. ♃.

Obs. Simillima P. marinae, a qua differt solummodo drupis ecarinatis. Affinis quoque P. pusillae, quae discrepat caule compresso, ligulis discretis nec adnatis, foliis tri-quinquenervibus.

Lemnaceae Lk.

Ordo XVIII. ALISMACEÆ.

L. C. Rich. mém. du Mus. 2. p. 365.

Flores hermaphroditi vel monoici terminales, racemosi, verticillati aut paniculati Perianthium (rarissime bractea) hexaphyllum biseriatum, phyllis omnibus, interioribusve petaloideis caducis. Stamina hypogyna saepius sena, raro multipla, phyllis opposita, antheris bilocularibus basi vel dorso affixis, longitudinaliter dehiscentibus. Ovaria 3, 6. vel plurima, unilocularia, libera, uni-biovulata, vel in unicum pluriloculare connata, stylis totidem liberis, stigmatibus simplicibus vel plumosis. Carpidia sicca mono-disperma dehiscentia. Semen exalbuminosum solitarium erectum, aut bina, altero horizontali; embryone recto aut curvato, radicula umbilico proxima centripeta.

Herbae palustres, ut plurimum perennes, glaberrimae, rhizomate carnoso repente, foliis radicalibus aggregatis petiolatis integerrimis, basi vaginantibus.

CXXIII. Triglochin L.

Gen. pl. ed. II. p. 126.

Char. Flores hermaphroditi spicati. Perianthium hexaphyllum deciduum. Stamina sex phyllorum basi inserta, filamentis brevissimis, antheris extrorsis. Pistil-

lum ex ovario sexloculari, stylis 3—6 subnullis, stigmatibus plumosis adnatis. Capsula subclavata, loculis 3—6, intus dehiscentibus monospermis. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Trigynia. *Syst.* sex. —

M **373. Triglochin maritimum** L. sp. pl. ed. II. p. 483. Host fl. austr. 1. p. 460. Reichb. fl. exc. p. 96. Alsch. fl. jadr. p. 84.

T. radice fibrosa, foliis semicylindricis, capsulis ovatis sexlocularibus.

Icon. C. F. Nees. gen. pl. fasc. II. n. 8. f. 16—19. Engl. bot. t. 255. Fl. dan. t. 306. Zannich. ist. piant. ven. tav. 273. f. 2. *Hab.* prope Carin ad mare — Prof. Alschinger. Flores viriduli. Floret Apr., Majo. ♃.

374. Triglochin Barrelieri Loisel. Desl. fl. gall. p. 725. et ed. II. tom. 1. p. 264.

T. bulbis aggregatis, foliis semicylindricis, capsulis oblongo-conicis trilocularibus.

Icon. J. Bauh. hist. pl. 2. p. 508. f. Barrel. Icon. pl. 271. *Hab.* in maritimis insulae Crappano prope Sebenico. Flores ex viridi rubescentes, vel prorsus pallide virides. Inveni floridum fructiferumque initio Maji. ♃.

Obs Affine T. laxifloro Gusson. ind. sem. H. Boccadif. 1825. p. 12. Bertol. fl. ital. IV. p. 266. quod vero differt bulbo solitario, pedunculis strictis, nec adscendentibus ut in nostro, capsulis laevibus nec striatis.

CXXIV. Alisma Juss.

Gen. pl. p. 46.

Char. Flores hermaphroditi verticillati. Perianthii phylla tria exteriora calycina persistentia, tria interiora petaloidea decidua. Stamina 6—plura hypogyna, antheris introrsis. Pistillum ex ovariis plurimis distinctis unilocularibus, stylis totidem brevissimis lateralibus, stigmatibus terminalibus obsoletis. Carpidia plura verticillata evalvia monosperma. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Polygynia. *Syst* sex.

375. Alisma Plantago L. sp. pl. ed. II. p. 486. Host fl. austr. 1. p. 464. Reichb. fl. exc. p. 12. Alsch. fl. jadr. p. 86. Pett. bot. Wegw. n. 24.

A. scapo verticillato-paniculato, carpidiis obtusis trigonis, foliis multinervibus.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. VI. n. 18. Lam. Enc. bot. pl. 272. Engl. bot. t. 837. Matth. disc. sopra Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 510.

var. β. angustifolia foliis lanceolatis utrinque attenuatis.

Hab. in aquosis circa Zara, Dernis, Knin, Salona, Almissa, Narenta, Ragusa et Cattaro. Fl. Apr. Junio. Phylla perianthii interna rosea. ♃.

Obs. Folia in hac specie ludunt subcordata, ovata, lanceolata, et linearia, hinc in diagnosi omittenda. Icon Barrelieri 1157. ab auctoribus sub varietate nostra citata recedit foliis basi utrinque excisis.

X **376. Alisma ranunculoides** L. sp. pl. ed. II. p. 486. Host fl. austr. 1. p. 465. Alsch. fl. jadr. p. 85.

A. scapo verticillato paucifloro, carpidiis acutis pentagonis globoso-congestis, foliis lanceolatis trinervibus.

Icon. Reichb. icon. bot. cent. 1. tab. 79. Engl. bot. t. 326. Flor. dan. t. 122. Lobel. icon. stirp. 1. t. 300. f. 2. *Hab.* in lacu insulae Veglia, in lacu Boccagnazzo prope Zara, circa Nona, et in aquis fluentibus circa Stobrez prope Spalato. Floret Julio, Aug. Phylla perianthii interna carnea. ♃.

Ordo XIX. BUTOMEÆ.

L. C. Rich. Mém du Mus. 2. p. 365.

Flores hermaphroditi in scapi apice solitarii aut umbellati, bracteati. Perianthium hexaphyllum persistens biseriatum, phyllis tribus interioribus petaloideis. Stamina plurima subhypogyna, externis interdum sterilibus, antheris introrsis terminalibus, longitudinaliter dehiscentibus. Ovaria 6 — plurima verticillata unilocularia multiovulata, stylis brevissimis liberis, stigmatibus simplicibus. Carpidia sicca polysperma intus dehiscentia. Semina plurima exalbuminosa placentae parietali reticulatim ramosae affixa erecta, embryone recto aut adunco, radicula umbilico proxima basim fructus spectante.

Herbae perennes palustres glabrae, scapigerae, foliis radicalibus confertis, petiolis semivaginantibus, lamina simplici integerrima.

CXXV. Butomus Tourn.

inst. r. herb. p. 271.

Char. Perianthium phyllis omnibus coloratis. Stamina novem hypogyna. Ovaria sex inferne connata, stigmatibus obtusis. Capsulae uniloculares apice liberae, seminibus flexuoso-costatis. — *Cl.* Enneandria. *Ord.* Hexagynia. *Syst.* sex. —

377. Butomus umbellatus L. sp. pl. ed. II. p. 532. Host fl. austr. 1. p. 488. Reichb. fl. exc. p. 99.

β. foliis linearibus elongatis, canaliculato-triquetris acutis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. VI. n. 20. Engl. bot. t. 651. Fl. dan. t. 604. Lam. enc. bot. pl. 324. *Hab.* in aquosis, palustribus circa Lossin piccolo, in insula Pago, et circa Narenta. Floret Junio, Julio. Flores rosei. ♃.

Ordo XX. HYDROCHARIDEÆ.

DeC. fl. fr. vol. III. p. 265.

Flores dioici rarius hermaphroditi. Flores masculi intra spatham uni-bivalvem plerumque plures, pedicillati, raro sessiles. Perianthii hexaphylli phyllis tribus exterioribus calycinis majoribus, interioribus petaloideis. Stamina imo perianthio inserta, ejusque phyllis numero aequalia iisque opposita, vel dupla aut plura, filamentis liberis vel basi connatis, interdum bifurcis, antheris longitudinaliter dehiscentibus; ovarii rudimento centrali. Flores foeminei et hermaphroditi intra spatham plerumque tubulosam solitarii sessiles, perianthio sexpartito adnato laciniis exterioribus calycinis, internis petaloideis, staminibus plerumque sterilibus, ovario infero, ex pluribus connatis uni-sexloculari, interdum superne in processum filiformem inter stigmata producto, stylis cum perianthii tubo connatis, stigmatibus 3 — 6. Fructus coriaceo-carnosus uni-sexlocularis indehiscens. Semina plurima adscendentia, pulpa obducta, exalbuminosa, placentis parietalibus et septalibus simplicibus affixa, embryone recto, radicula umbilico contigua.

Herbae aquaticae ut plurimum perennes, breviter vel longe et nodose caulescentes, foliis plerumque radicalibus, confertis, petiolatis, integerrimis, nervosis.

CXXVI. Hydrocharis L.

Gen. pl. ed. II. p. 374.

Char. Flores dioici, perianthii laciniis exterioribus ovalibus, interioribus orbiculatis. Mares spatha in scapi apice bivalvi, staminibus duodecim, filamentis basi connatis, quibusdam sterilibus, pistillo abortive trilobo: foeminei spatha radicali univalvi, staminibus sex abortivis, ovario sexloculari, stylo brevissimo, stigmatibus plurimis parietalibus. — *Cl.* Dioecia. *Ord.* Decandria. *Syst.* sex. —

378. Hydrocharis Morsus ranae L. sp. pl. ed. II. p. 1466. Host fl. austr. 2. p. 667. Reichb. fl. exc. p. 14.

Herba bulbillis foliisque radicalibus, his orbiculato - reniformibus nervosis natantibus, scapigera, floribus quoque radicalibus pedunculatis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. VI. n. 15. Flor. dan. t. 878. Engl. bot. t. 808. Dodon. pempt. p. 583. *Hab.* in aquosis circa Narenta. Neumayer. Floret Julio, Aug. Flores albi macula flava notati. ♃.

Classis III. PHANEROGAMAE DICOTYLEDONES.

Subclassis I. CHLAMYDOBLASTAE.

Ordo XXI. ASARINAE.

Agardh aphor. bot. LXXXVI. p. 244.

Flores hermaphroditi axillares solitarii aut fasciculati, ebracteati. Perianthium ovario adnatum herbaceum monophyllum, limbo epigyno colorato trifido aut ligulato, lobis aestivatione valvatis aut induplicatis. Stamina 6. vel 12. disco epigyno inserta, filamentis brevissimis styli basi adnatis, antheris extrorsis longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium inferum sexloculare, dissepimentis valvaribus, ovulis plurimis biseriatis loculorum angulo centrali affixis. Stylus brevis, stigmatibus senis radiantibus. Capsula vel bacca umbilicata aut coronata sexlocularis, loculis polyspermis, seminibus angulatis albumine carnoso repletis, embryone minimo albumine incluso, radicula umbilico approximata.

Herbae rhizomate aut tuberibus perennantes, foliis alternis petiolatis simplicibus, petiolo semiamplexicauli, lamina integerrima indivisa reticulato - nervosa.

Clavis analytica generum.

Antheris sex sessilibus stylo adnatis	Staminibus duodecim ovarii apici insertis
Aristolochia.	**Asarum.**

CXXVII. Aristolochia Tourn.

Inst. r. herb. 1. p. 162.

Char. Perianthium tubulosum basi ventricosum, apice in ligulam obliquam productum. Antherae sex stylo adnatae sessiles. Ovarium, stylo brevissimo, stigmate radiato-sexpartito antheras tegente. Capsula sexlocularis polysperma. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Hexandria. *Syst.* sex.

379. Aristolochia Clematitis L. sp. pl. ed. II. p. 1364. Host fl. austr. 2. p. 549. Reichb. fl. exc. p. 183. Alsch. fl. jadr. p. 215. Pett. bot. Wegw. n. 99.

A. radice repente, caule erecto, foliis late cordatis petiolatis obtusiusculis emarginatisve, margine cartilagineo-serrulatis, floribus fasciculatis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. VIII. n. 16. Bull. herb. de la Fr. t. 39. Fl. dan. t. 1235. Blackw. herb. t. 255. *Illyr.* Divia jabuka. Vuçia stoppa vella. Kokotinja. *Hab.* in vineis, ad agrorum margines, loca sterilia circa Zara, Sebenico, Dernis, Spalato, Salona, Lesina, Ragusa, Cattaro. Flores ochroleuci. Floret Majo, Junio. ♃.

Usus. Radix tuberosa hujus et sequentis plantae graveolenti odore et sapore acri et amaro praedita habetur menagoga, sub forma infusi vel etiam pulveris intus sumpta.

380. Aristolochia rotunda L. sp. pl. ed. II. p. 1364. Host fl. austr. l. c. Reichb. fl. exc. l. c. Alsch. fl. jadr. l. c. Pett. bot. Wegw. n. 100.

A. radice globosa, caule erectiusculo subramoso, foliis cordato-ovatis brevissime petiolatis margine laevibus, floribus solitariis, perianthii ligula oblonga retusa tubo subaequali.

Icon. Blackw. herb. t. 256. Sabbat. hort. roman. t. 80. Clus. stirp. hist. 2. p. 70. f. ext. Matth. discors. ed. Valgr. 1568. p. 684. *Illyr.* Vuçja stoppa. Lukovaz. *Hab.* in saxosis, nec non ad sepes locisque incultis circa Zara, Sebenico, Salona, Almissa, Duare, Ragusa nec non in insulis Pago et Lesina. Flores tubo ochroleuco fusco-striato, ligula fusco-spadicea. Floret Majo, Julio. ♃.

381. Aristolochia pallida Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 3. p. 267. Host fl. austr. l. c. Reichb. fl. exc. l. c.

A. radice globosa, caule adscendente subsimplici, foliis cordato-triangularibus petiolatis margine laevibus, floribus solitariis, perianthii ligula lanceolata emarginata tubo dimidio breviore.

Icon. Waldst. et Kit. l. c. tab. 240. Boccon. ic. rar. pl. sicil. tab. 3. fig. f. g. Moris. pl. histor. sect. XII. tab. 18. f. 2. cum icone Bocconi. *Hab.* in umbrosis montium Svilaja supra Dernis, et Sniesnizza prope Ragusa. Flores viridi-flavescentes, ligula, striis tubi longitudinalibus, et macula ad ligulae basim atropurpureis. Floret Junio. ♃.

Obs. Saepe species haec confusa fuit cum A. longa L., quae radice longa subcylindrica, caule magis ramoso, floribus ex icone Blackw. t. 257 unicoloribus, facile discriminatur. Bocconius, ipse eam confudit, ut ex citatione Clusii A. longam spectante cognoscitur: icon tamen ejus, etsi deflorata, ex radicis forma huc omnino trahenda.

CXXVIII. Asarum Tourn.

inst. r. herb. 1. p. 501.

Char. Perianthium campanulatum trifidum. Stamina duodecim epigyna, filamentis abbreviatis, antherarum loculis connectivo subulato brevioribus. Ovarium stylo brevi, stigmate sexpartito, lobis papillosis reflexis. Capsula sexlocularis irregulariter dehiscens polysperma. — *Cl.* Dodecandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

382. Asarum europaeum L. sp. pl. ed. II. p. 633. Host fl. austr. 1. p. 564. Reichb. fl. exc. p. 183.

A. hirsutiusculum foliis binatis reniformibus rotundatis, calycibus erectis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. VIII. n. 17. Engl. bot. t. 1083. Fl. dan. t. 633. Bull. herb. t. 69. *Illyr.* Kopitnjak. *Hab.* in subalpinis umbrosis loci Czerquizze montium Krivosaxe prope Cattaro. Consil. Tommasini. Flores fusci: herba omnis Valerianam vel Camphoram olens. Floret Apr. Majo. ♃.

Usus. Radix emetica, drastica, diuretica et diaphoretica virtute pollet: exhibetur sub forma pulveris vol decocti. Pulvis haec sternutamenta commovet.

Ordo XXII. CYTINEAE.

Ad. Brongn. ann. des scienc. nat. 1824. 1. p. 29.

Flores monoici in apice caulis ex axilla bracteae. Perianthium superum carnosum monophyllum limbo 3—6-fido lobis aestivatione imbricatis: masculi superiores, staminibus 8. vel pluribus in columnam centralem (synema) connatis, antheris extrorsis columnae adnatis, loculis oppositis longitudinaliter dehiscentibus: foeminei inferiores ovario perianthii fundo adnato, uniloculari, placentis parietalibus membranaceis, ovulis plurimis sessilibus, stylo terminali e pluribus in cylindrum connatis, stigmate subgloboso. Bacca unilocularis, seminibus plurimis in pulpa nidulantibus, albumine carnoso, embryone axili recto.

Herbae carnosae chloroticae in arborum fruticumve radicibus parasiticae, stipite bracteis squamaeformibus dense imbricatis obtecto, ex axillis bractearum superiorum floriferae, floribus bi-tri bracteolatis.

CXXIX. Cytinus L.

gen. pl. ed. VI. p. 566.

Char. idem ac ordinis. — *Cl.* Gynandria. *Ord.* Octandria. *Syst.* sex.

383. Cytinus Hypocistis L. syst. veg. ed. XIV. p. 826. Host fl. austr. 2. p. 630—31. Reichb. fl. exc. p. 843. Alsch. fl. jadr. p. 90.

Syn. Asarum Hypocistis L. sp. pl. ed. II. p. 633. *Icon.* Cavan. ic. pl. 2. t. 171. Lam. enc. bot. t. 737. Duh. trait. des arbr. 1. t. 68. (icon Matthioli.) Matth. discors. ed. Valgr. 1568. p. 196. *Illyr.* Scipakçich. Prasaz. *Hab.* in insulis Ossero, Brazza, Lesina, et Curzola alla Badia, supra radices Cisti salvifoliae, et villosi. Flores lutei exsiccatione rubentes. Fl. Majo. ♃.

Usus. Plantae totius succus valde adstringens vi stiptica et vulneraria gaudet.

Ordo XXIII. NYMPHAEACEAE.

Salisb. in Konig. ann. of bot. II. p. 69. (Nymphaeeae.)

Flores hermaphroditi in pedunculo longissimo solitarii ebracteati. Calyx 4—6 sepalus persistens herbaceus, intus coloratus, sepalis aestivatione imbricatis toro carnoso epigyno insertis. Petala plurima toro inserta multiseriata, interioribus in stamina transeuntibus. Stamina plurima multiseriata cum petalis inserta, filamentis liberis, exterioribus petaloideis, antheris introrsis, loculis connectivo brevioribus longitudinaliter dehiscentibus. Ovaria plura in unicum multiloculare toro obductum connata, ovulis plurimis parietalibus. Styli connati brevissimi: stigmata ovariis

numero aequalia in unicum peltatum radiatum ovarii apicem tegens coalita. Fructus extus baccatus indehiscens, intus pulposus multilocularis, seminibus plurimis nidulantibus pendulis, albumine farinaceo, embryone crasso, cotyledonibus brevissimis.

Herbae aquaticae, caule crasso repente limo affixae et perennantes, foliis floribusque emersis natantibus, foliis longe crasseque petiolatis, lamina simplici subrotunda cordata aut peltata, integerrima aut denticulata.

CXXX. Nymphaea Neck.

Elem. bot. 3. n. 1828.

Char. Calyx e sepalis 4 — 5 intus coloratis deciduis. Petala numerosa eglandulosa. Stamina filamentis petaloideis. Stigma sessile peltatum multi-radiatum glandula subglobosa sessili centro umbonatum. Bacca ovata. — *Cl.* Polyandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

384. Nymphaea alba L. sp. pl. ed. II. p. 729. Vis. stirp. dalm. p. 41. Host fl. austr. 1. p. 51. Reichb. fl. exc. p. 15. Alsch. fl. jadr. p. 118. Pett. bot. Wegw. n. 632.

N. foliis cordatis margine integerrimis, lobis baseos subovatis, stigmatis radiis 12 — 20 adscendentibus.

Syn. N. alba β minor Reichb. fl. exc. p. 139. n. 59. N. thermalis Pett. bot. Wegw. n. 634. nec DeC. *Icon.* Engl. bot. t. 160. Flor. dan. t. 602. Camer. Epit. p. 634. Matth. Discors ed. Valgr. 1568. p. 944. *Illyr.* Lepen. Plutnjak. Tikvina vodena. Podbio vodena. *Hab.* in lacu Boccagnazzo prope Zara, in stagnis circa Nona, Slap, Knin, Sign, Imoski et Narenta. Flores albi speciosi e maximis inter nostrates. Floret Majo, Julio. ♃.

Usus. Radix vesicatoria: flores sub syrupi forma propinati, et folia extus applicita refrigerantia. *Obs.* Planta lacus Boccagnazzo, quam ad varietatem minorem retulit cl. Reichb., nulla nota differt a specie, at, ni fallor, distinguitur a N. alba minore Tabernaemontani, Gerardi, Matthioli, Weinmanni et Dalechampii, quantum ex eorundem iconibus conjicere licet, quae stirpem exhibent, foliis fere Hydrocharidis, lobis nempe baseos rotundatis, et flore parvulo a nostra diversam. Num huc vel illuc pertineat icon. Horti Eystettensis a cl. Reichb. citata me latet, cum opus illud haud viderim. Foliorum lobi in N. alba ludunt acutiusculi aut obtusi, latere interno curvilinei vel rarius rectilinei, sinu clauso imbricati, vel sinu aperto divaricati.

CXXXI. Nuphar Sm.

prodr. flor. graec. 1. p. 361.

Char. Calyx e sepalis 5 — 6 coloratis persistentibus. Petala numerosa dorso nectariflua. Stamina filamentis brevissimis. Stigma stipitatum peltatum radiatostriatum repandum, centro depresso umbilicatum. Bacca subglobosa basi angustata. — *Cl.* Polyandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

385. Nuphar luteum Sm. l. c. Host fl. austr. 2. p. 52. Reichb. fl. exc. p. 14.

N. foliis cordatis ovalibus, petiolis triquetris, calyce pentasepalo, antheris oblongo-linearibus, stigmate profunde umbilicato subrepando.

Syn. Nymphaea lutea L. sp. pl. ed. II. p. 729. Vis. stirp. dalm. p. 41. Pett. bot. Wegw. n. 633. *Icon.* Fl. dan. t. 603. Engl. bot. t. 159. Camer. Epit.

pl. p. 635. *Illyr.* Plutnjak. Boxur vodeni. Podlio vodena. *Hab.* in aquis lente fluentibus circa Dernis in fluento Cikola, circa Sign, Jmoski, Narenta. Flores flavi. Floret Junio, Julio. 4.

Subclassis II. GYMNOBLASTAE.

Legio I. MONOCHLAMYDEAE.

Ordo XXIV. CONIFERÆ.

L. ord. nat. XV.

Flores unisexuales amentacei aperianthei: mares ex antheris bractearum squamaeformium basi adnatis sessilibus, vel filamentis monadelphis, aut liberis, rarius involucri tubulosi fundo, saepius secus amenti ebracteati axim, vel bracteati apici insertis: foeminei bracteati, ex ovariis squamaeformibus apertis, in amenti apice auf secus axim digestis, ovula nuda bina, raro plura, erecta aut inversa, vertice pertusa, basi gerentibus, vel ex involucro carnoso apice pervio ovulum 1—2 includente. Fructus vel carpidiis carnosis incrassatis connatis bacciformis, vel carpidiis lignosis demum patulis strobilaceus, vel involucro carnoso carpidia obvolvente drupaceus: seminibus nudis albuminosis erectis inversisve, embryone axili recto, cotyledonibus saepe pluribus verticillatis.

Arbores vel frutices ramosi resinosi, foliis in nostratibus simplicibus integris, acerosis, sparsis, oppositis, verticillatis, fasciculatisve, rigidis, ut plurimum perennantibus, exstipulatis, interdum vaginula basi cinctis, rarissime squamaeformibus.

Clavis analytica generum.

	Fructu lignoso vide No. 1	Fructu carnoso vide No. 2
1	Strobili conici squamis oblongis imbricatis **Pinus.**	Strobili globosi squamis peltatis contiguis **Cupressus.**
2	Fructu apice pervio 3	Fructu clauso **Juniperus.**
3	Fructu dispermo apice bifido **Ephedra.**	Fructu monospermo apice perforato **Taxus.**

Tribus I. ABIETINAE Rich. de conif, Ann. du Mus. XVI. p. 296.

Fructu strobilaceo conico, squamis (carpidiis) oblongis imbricatis lignosis, seminibus in earumdem basi inversis, saepissime alatis, antheris apice cristatis, longitudinaliter, raro transverse dehiscentibus.

CXXXII. Pinus L.

Gen. pl. ed. V. p. 434.

Char. Flores monoici: mares e staminibus secus amenti ebracteati, simplicis aut ramosi, axim insertis: foeminei ex squamis bractealibus evanescentibus, et ovariis imbricatis basi ovula bina inversa gerentibus, utrisque secus amenti simplicis axim alternatim dispositis. Semina basi hinc in alam membranaceam producta. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Monadelphia. *Syst.* sex. —

Sect. I. Pinus

strobili squamis (carpidiis) apice in peltam subrhomboidem incrassatis, foliisque fasciculatis persistentibus.

386. Pinus Pinaster AIT. hort. Kew. 3. p. 367. REICHB. fl. exc. p. 160. ALSCH. fl. jadr. p. 227. (excl. syn. TENOR.)

P. foliis geminis rigidis, strobilis sessilibus ovato-conicis patulis folio brevioribus, squamarum pelta valde exserta, plica transversa prominula apice mucronata, infimarum retroflexa, semine ala sua obverse dolabriformi, apice rotundata duplo breviore.

Syn. P. maritima LAM. fl. fr. ed. II. 2. p. 201. KOCH. syn. fl. germ. p. 667. P. Laricio SANTI viagg. al. Montam. 3. p. 60. P. sylvestris γ.: L. sp. pl. ed. II. p. 1418. VIS. stirp. dalm. p. 43. *Icon.* SANTI loc. cit. tab. 1. DUHAM. trait. des arbr. ed. I. tom. II. tab. 29. (icon. ex MATTHIOL.) DALECH. hist. lugd. 1. p. 45. f. int. MATTH. discors. ed. Volgr. 1568. p. 112. *Illyr.* Czerni bor. *Hab.* in sylvaticis insularum, et praesertim Brazza, Lesina, Curzola. Floret Majo. ♄.

Obs. Pinus brutia TENORE, quae auctoritate cel. SPRENGELII huc trahitur in Flora jadrensi, omnino differt squamis strobili complanatis muticis.

387. Pinus sylvestris L. sp. pl. ed. II. p. 1418. VIS. stirp. dalm. p. 43. HOST fl. austr. 2. p. 629. REICHB. fl. exc. p. 159. ALSCH. fl. jadr. p. 227.

P. foliis geminis rigidis, strobilis pedunculatis reflexis ovato conicis ovatisve folio subaequalibus, squamarum pelta truncata exserte umbonata plicaque inermi prominulis, semine ala sua obverse dolabriformi triplo breviore.

Syn. P. Mughus JACQ, icon. rar. 1. p. 19. (excl. syn. SCOP.) *Icon.* RICH. de conif. et cycad. tab. XI. JACQ. loc. cit. tab. 193. CLUS. hist. pl. 1. p. 32. (ex LOBEL.) LOBEL. icon. stirp. 2. p. 227. f. int. *Illyr.* Luç. Bov divii. *Hab.* in sylvis montium Vellebith, et in insula Crappano. Floret Majo. ♄.

Usus. Ex hujusce arboris cortice manat Terebinthina communis, quae in morbis arthriticis, in illis membranas mucosas afficientibus, in asthmate et scorbuto laudatur. Summitates juniores ramorum (turiones off.) ex aqua decoctae in morbis cutaneis utiliter exhibentur Terebinthina quoque artibus ad usus plures inservit.

388. Pinus nigricans HOST fl. austr. 2. p. 628. (quoad pl. dalmat.) p. 160.

P. foliis geminis rigidis glaucis, amentis masculis cylindricis terminalibus fasciculatis, strobilis sessilibus ovato-subrotundis patulis folio brevioribus inermibus, semine ala sua oblonga obtusa paullo breviore.

Syn. P. austriaca TRATT. REICHB. fl. exc. p. 160. *Icon.* CLUS. pl. hist. 1. p. 31. f. 1. *Illyr.* Bor. *Hab.* in sylvaticis insularum Cherso, Brazza, et Lesina. Floret Majo. ♄.

Obs. Si ulli ex notis, certe huic speciei planta nostra referri debet quae tamen foliis glaucis, strobilo pollicari, et alis semine paullo latioribus a descriptionibus auctorum supra citatorum recedit. Quod si ex comparatione plurium speciminum fructiferorum plantae dalmaticae cum austriacae, quorum utraque mihi in praesens copia sufficiente deficiunt, earundem differentia specifica umquam patebit, ut valde suspicor, haec postrema P. dalmaticae nomine decorabitur. Icon CLUSII nostram sat bene refert.

M **389. Pinus pinea** L. sp. pl. ed. II. p. 1419. REICHB. fl. exc. p. 160. ALSCH. fl. jadr. p. 227.

P. foliis geminis rigidis, strobilis maximis pedunculatis reflexis ovato-subrotundis obtusis folio longioribus, squamarum pelta valde exserta, plica transversa inermi vix prominula, semine duro ala sua circumdante et apice oblique truncata triplo longiore.

Icon. Blackw. herb. 1. t. 189. Duh. trait. des arbr. ed. 1. tom. 2. t. 27. (icon. ex Matthiol.) Camerar. epit p. 39. Matthiol. discors. ed. Valgr. 1568. p. 108. *Illyr.* Pin. Bor pitomi. *Hab.* in sylvaticis ruris Coritti in insula Meleda; alibi colitur ob semina edulia. Floret Majo. ♄.

390. Pinus halepensis Rand. h. chels. ind. p. 158. Host fl. austr. 2. p. 629. Reichb. fl. exc. p. 160. Alsch. fl. jadr. p. 227. Pett. bot. Wegw. n. 702.

P. foliis geminis tenuibus, strobilis pedunculatis reflexis ovato-conicis, folio subaequalibus, squamarum pelta plicaque inermi parum prominulis, semine, ala sua dolabriformi triplo breviore.

Syn. P. maritima Lamb. monogr. pin. p. 13. Vis. stirp. dalm. p. 43. *Icon.* Duh. trait. des arbr. ed. I. tom 2. tab. 28. (ex Matthiol.) Mill. fig. of. pl. 2. tab. CCVIII. Dalech. hist. lugd. 1. p. 44. Camer. Epit. p. 43. (ex Matthiol.) Matthiol. disc. et Valgr. 1568. p. III. *Illyr.* Bili bor. Sosna. *Hab.* in maritimis in insularum Crappano, Brazza, Lesina, Curzola, Lissa, et ad oram continentis prope Macarsca, Ragusa, et Cattaro. Fl. Majo. ♄.

Usus. Cortex virtute aromatica et adstringente praestat: retibus quoque tingendis vulgo adhibetur.

391. Pinus Mughus Scop. fl. carn. ed. II. (1772) tom. 2. p. 247. Reichb. Fl. germ. exc. p. 159.

P. depressus, foliis geminis rigidis abbreviatis, strobilis subsessilibus, erectis aut inclinatis, ovatis obtusis folio subaequalibus, squamarum pelta vix exserta, plica acuta inermi prominula, semine ala sua obverse dolabriformi apice rotundata duplo breviore.

Syn. P. Pumilio Haenk. Beob. auf Reis. n. d. Rieseng. p. 68. (1791.) Host fl. austr. 2. p. 629. Waldst. et Kit. pl. rar. hung. 1. p. 160. *Icon.* Waldst. et Kit. l. c. tab. 149. Clus. hist. pl. 1. p. 32. f. int. Dalech. hist. lugd. 1. p. 47. f. int. *Illyr.* Klekovina. *Hab.* in cacuminibus montium Vellebith et Dinara. Floret Majo. ♄.

Obs. Forma alae seminum nimis lata male exhibetur in icone pl. hung. litt. K. Icon autem Matthioli discors. ed. Valgr. 1568. p. 113. et Duh. trait. des arbr. 1. tab. XXXI. quae eadem, ab auctoribus huc citatae vel alienae vel pessimae, habitu diverso elatiore, conis reflexis majoribus, peltis magis exsertis: potius P. sylvestri similes.

Sect. II. Abies

strobili maturi squamis (carpidiis) deciduis apice tenuibus, antheris transverse dehiscentibus, foliis solitariis distichis.

392. Pinus Abies Du Roi harbk. 2. p. 95. Vis. stirp. dalm. p. 43. Alsch. fl. jadr. p. 227. (ex herb.! excl. diagn. et syn.) Pett. bot. Wegw. n. 701. (excl. syn.)

P. foliis pectinatis linearibus planis obtusis emarginatus subtus albo-bilineatis, strobilis oblongis erectis sessilibus folio multo longioribus squamis obovato-dilatatis obtusissimis adpressis, bractealibus apice acuto reflexis, semine ala sua dolabriformi duplo longiore et latiore.

Syn. P. Picea L. sp. pl. ed. II. p. 1420. Host fl. austr. 2. p. 630. Abies Picea Reichb. fl. exc. p. 159. et p. 844. A. pectinata DeC. fl. fr. 3. p. 275. Rich. de conif. et cycad. p. 166. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fasc. 1. n. 3. Rich. loc. cit. tab. XVI. f. 2. Camer. epit. pl. p. 48. et 49. Matthiol. discors. ed. Valgr. 1568. p. 119. *Illyr.* Jela, Czapin. *Hab.* in sylvis montium Vellebith et Biokovo. Floret Aprili, Majo. ♄.

Usus. Ex hujusce cortice fluit resina, quae Terebinthina argentoratensis, vi diuretica commendata. Ramorum juniorum apices ex aqua aut vino decocti laudantur in scorbuto. Lignum apud fabros lignarios frequentissime in usum venit. *Obs.* Praeter indicatas aliae extant sectiones hujusce generis, nempe III. Picea, quae P. piceam Du Roi harbk. 2. p. 110., seu P. Abietem L sp. pl. ed. II. p. 1421. includit, strobili squamis apice tenuibus foliisque solitariis persistentibus distincta; et IV. Larix, quae P. Laricem L. sp. pl. ed. II. p. 1420. complectitur, et foliis fasciculatis annuis, strobili squamis persistentibus apice tenuibus designatur: quarum utraque in Flora nostra mihi adhuc invisa.

Tribus II. CUPRESSINEAE Rich. loc. cit.

Fructu strobilaceo subrotundo, squamis (carpidiis) peltatis arcte stipatis lignosis, vel connatis carnosis, seminibus in earumdem basi erectis saepissime apteris, antheris rima longitudinali dehiscentibus.

CXXXIII. Cupressus Tourn.

Inst. r. herb. p. 587.

Char. Flores monoici: mares ex antheris quatuor bracteae squamaeformis (filamentum) basi adnatis, secus amenti elliptici axim digesti: foeminei ex ovulis 8—pluribus erectis pertusis in basi bractearum superiorum amenti gemmacei brevis ovaria squamaeformia patentia constituentium. Strobilus subrotundus, squamis (carpidiis) peltatis coriaceo-lignosis margine sibi contiguis arcte clausus, demum dehiscens. Semina plura angulata carpidii basi insidentia. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Monadelphia. *Syst.* sex. —

393. Cupressus sempervirens L. sp. pl. ed. II. p. 1422. Vis. stirp. dalm p. 32. Host fl. austr. 2. p. 615. Reichb. fl. exc. p. 161. Alsch. fl. jadr. p. 228. Pett. bot. Wegw. n. 312.

C. conica, ramis strictis, ramulis quadrangulis, foliis quadrifariam imbricatis obtusis adpressis convexis, strobilis globosis, squamis umbonatis muticis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. I. n. 5. Rich. de conif. et cycad. t. 9. Pall. fl. ross. 2. tab. LIII. Lam. enc. bot. ed. Pat. pl. 787. Duh. trait. des arbr. ed. 1. tom. 1. tab. 81. *Illyr.* Çempres. Çipres. *Hab.* in tota Dalmatia litorali, et praecipue circa Ossero, Spalato, Orebich, Ragusa, Castelnuovo: sed num vere indigena valde dubium. Arbor procera sempervirens. Floret Febr. Martio. ♄.

CXXXIV. Juniperus L.

Gen. pl. ed. II. p. 377.

Char. Flores dioici: mares ex antheris 3—7 bracteae squamaeformis (filamenti) basi adnatis, secus amenti elliptici axim digesti: foeminei ex ovulis tribus erectis pertusis in basi trium bractearum supremarum amenti gemmacei ovati ovaria squamaeformia carnosa conniventia constituentium. Strobilus globosus bacciformis ex carpidiis auctis carnosis connatis, indehiscens. Semina tria subtriquetra foveolis quinque glanduliferis basi exarata. — *Cl.* Dioecia. *Ord.* Monadelphia. *Syst.* sex.

394. Juniperus communis L. sp. pl. ed. II. p. 1470. Host fl. austr. 1. p. 669. Reichb. fl. exc. p. 161.

J. foliis ternis patentibus laxis linearibus cuspidatis pungentibus supra planiusculis glaucis, basi sola uninervibus subtus costa longitudinaliter unisulca obtusa carinatis, strobilis subglobosis pruinosis folio duplo brevioribus.

Icon. C. F. Nees gen pl. fasc. I. n. 7. Engl. bot. t. 1100. Fl. dan. t. 1119. Duham. trait. des arbr. 1. p. 127. (icon. ex Matth.) Matth. disc. ed. Valgr. 1568. p. p, 135. *Illyr.* Smriç, et fructus Smriçka, aut Smriska. *Hab.* Hactenus unico loco inveni prope Mioçich supra Dernis. Floret Mart. Majo. Strobili atri caesio-pruinosi. ♄.

Usus. Strobili, vulgo baccae, praecipue, sed lignum quoque vi diuretica et carminativa praestant, et in hydrope, asthmate, catarrho, morbis cutaneis, et vesicae laudantur, forma pulveris, infusi, extracti, roob, et tincturae: frequentius pro fumigationibus adhibentur.

395. Juniperus Oxycedrus L. sp. pl. ed. II. p. 1470. Vis. stirp. dalm. p. 38. et 55. Host fl. austr. 2. p. 669. Reichb. fl. exc. p. 160. Alsch. fl. jadr. p. 230. Pett. bot. Wegw. n. 519.

J. foliis ternis patentibus laxis linearibus cuspidatis pungentibus, supra planiusculis glauco-bilineatis a basi ad apicem uninervibus, subtus costa acuta convexa carinatis, strobilis globosis pruinosis.

var. α. Strobilis folio aequalibus longioribusve.

Syn. J. macrocarpa Koch syn. fl. germ. p. 665. (nec Sibth.) ex herb. Noë! Ginepro a frutti grossi Anguill. sempl. p. 46. *Icon.* Rich. de conif. et cycad. tab. 6. opt. Dalech. hist. lugd. 1. p. 38. *Illyr.* Puczalika.

var. β. strobilis folio brevioribus.

Syn. J. Oxycedrus Koch. loc. cit. Ginepro a frutti piccioli Anguill. sempl. p. 46. *Icon.* Duham. trait. des arbr. 1. tab. 128. (ex Matthiol.) Camer. epit. pl. p. 58. Clus. hist. pl. 1. p. 39. Matthiol. disc. ed. Valgr. 1568. p. 142. *Illyr.* Smriç, Smrik, et fructus Smriska. *Hab.* locis saxosis collinis totius Dalmatiae litoralis frequentissima, utraque promiscue crescens. Strobili coccinei caesio-pruinosi, et rore detenso nitidi, maturi autem rufo coccinei. Floret Aprili, Majo. ♄.

Usus. Iisdem viribus pollens ac praecedens, illius loco et iisdem usibus adhibetur. *Obs.* Juniperus macrocarpa Sibth. prodr. fl. gr. 2. p. 262. bacca obovata, vel elliptica et nigra cum rore caeruleo insignis, a planta ab egr. Noë circa Fiume et Ossero lecta, et cl. Koch et mihi communicata, quae cum aliis dalmaticis

omnino congruit, certe diversa, uti ex comparatione iconis Lobel. ic. stirp. 2. pag. 223 f. 1., et Tabernaem. ic. stirp. pag. 949.f. 1. ab auctoribus pro J. macrocarpa citatis aperte patet. Magnitudo strobilorum magnopere variat, ut etiam eorundem proportio cum foliis, ita ut varietates ipsae supra propositae, et hac unica nota distinctae sensim una in alteram confluant. Speciem genuinam Linnaeanam autem in harum prima quaerendam esse ex ipsis Linnaei verbis elucet, quae Oxycedro suo tribuunt folia bacca breviora, et baccas Avellanae magnitudine. Plantae mares proceras constituunt arbores, femineae demissos effusosque caespites.

396. Juniperus nana W. arb. p. 159. Host fl. austr. 2. p. 669. Reichb. fl. exc. p. 161. Pett. bot. Wegw. n. 518.

J. foliis ternis erectis incurvis confertis lanceolato-linearibus acutis supra planiusculis glaucis enervibus, subtus costa convexa obtusa carinatis, strobilis ovatis pruinosis folia subaequantibus.

Syn. J. communis γ. L. sp. pl. ed. II. p. 1470. *Icon.* Pall. fl. ross. 2. tab. 54. A. B. J. Bauh. hist. pl. lib. IX. p. 302. Clus. hist. pl. 1. p. 38. f. 2. *Illyr.* Cesmika planinska. *Hab.* in summis jugis montis Ossero, Vellebith, Dinara et Biokovo. Floret Junio, Julio. Strobili atri caesio-pruinosi. ♄.

397. Juniperus phoenicea L. sp. pl. ed. II. p. 1471. Vis. stirp. dalm. p. 38. Host fl. austr. 2. p. 670. Reichb. fl. exc. p. 162. Alsch. fl. jadr. p. 231. Pett. bot Wegw. n. 520.

J. foliis ternis oppositisque brevissimis ovato-rhombeis obtusis convexo-concavis arcte imbricatis, dorsi medio glandula impressa lineari notatis, strobilis globosis nitidis.

Syn. Savina II.^{a} specie Anguill. sempl. p. 46. *Icon.* Camer. epit. pl. p. 59. Lobel. icon. stirp. 2. t. 221. f. 1. Clus. hist. pl. 1. p. 38. f. 1. *Illyr.* Gluhi smriç. *Hab.* in collibus, locisque saxosis apricis totius Dalmatiae litoralis et insularis ab Ossero ad Ragusa. Floret Martio, Aprili. ♄. Strobili rubri nitidi hic quoque variant majores (J. lycia? L. loc. cit.) et minores, folia terna sexfariam imbricata, non raro opposita quadrifaria.

Obs. In sylvaticis Baossich prope Castelnuovo di Cattaro inveni mense Novembris Juniperum fructu carentem foliis inferioribus serioribus linearibus cuspidatis pungentibus patulis, supra uninervibus et glauco-bilineatis subtus costa acute convexa utrinque (in sicco) unisulca carinatis, illis Oxycedri forma similibus sed paullo minoribus, junioribus superioribus illis J. phoeniceae figura et magnitudine omnino conformibus, hinc speciebus hisce exacte intermediam, et probabiliter ex utraque hybridam. Huc pertinere credo Sabinam bacciferam Lob. ic. stirp. 2. p. 220, quae J. phoenicia β. Lobelii Gusson. pl. rar. p. 370. tab. 62.

398. Juniperus Sabina L. sp. pl. ed. II. p. 1472. Host fl. austr. 2. p. 670. (excl. habit.) Reichb. fl. exc. p. 161.

J. foliis oppositis quadrifariam imbricatis brevissimis ovato-rhombeis obtusis convexo-concavis, dorsi medio glandula extante oblonga notatis, strobilis globosis pruinosis.

Icon. Pall. fl. ross. 2. tab. 56. f. 2. Bull. herb. de la Fr. tab. 139. Lobel. ic. stirp. 2. p. 219. f. 2. et 220. f. 1. Blackw. herb. 1. t. 214. Matthiol. disc. ed. Valgr. 1568. p. 137. *Hab.* ad pedem montium Vellebith in sylva Pakleniza, et ad pedem montis Biokovo. Floret Aprili, Majo. Strobili atro-caerulei. ♄.

Usus. Ramuli hujusce plantae valida virtute menagoga, antispasmodica, et anthelminthica gaudent; hinc in menstruorum retentione sub forma pulveris vel decocti exhibentur. Paratur etiam ex ipsis tinctura, aqua et extractum. Externe inspersa fungosas ulcerum carnes et verrucas absumit. *Obs.* Plantam a cl. Host pro J. Sabina descriptam ex loci natalis indicatione potius ad J. phoeniceam referri debere credo, cum in saxosis Dalmatiae, Istriae et insularum adriaticarum haec postrema tantum proveniat, quae loca aprica sicca et maritima diligit, dum Sabina vera montium interiorum vallibus locisque sylvaticis delectatur. Locum natalem plantae hujus probabiliter habuit cl. Host a consobrino suo ven. Jos. Host, qui in Catalogo plantarum Dalmaticarum in meo Specim. stirp. dalm. edito, inter plantas insulae Apsyrtii ibidem mense Junio ab ipso collectas J. Sabinam enumerat (p. XXI.) quae planta cum hac in insula desit putandum est pro ea Virum cl. J. phoeniceam ibidem frequentissimam sumpsisse: hallucinatio certe excusabilis, cum hae species, si fructu maturo careant, ut mense supradicto obvenit, facillime invicem commutentur.

Tribus III. EPHEDRINAE C. F. Nees gen. pl. fasc. 1. n. 8.

Fructu bacciformi ovali, e carpidiis binis in involucro demum succulento apice bifido immersis, ovula solitaria erecta apice pertusa et processu styloideo apiculata includentibus, antheris apice rima oblonga dehiscentibus.

CXXXV. Ephedra Tourn.

corolI. inst. r. herb. p. 53.

Char. Flores dioici, rarius monoici, decussatim squamati: mares ex involucro tubuloso superne bifido, et androphoro ejusdem fundo inserto apice in 2—8. filamenta fisso, antheris totidem bilocularibus: foeminei ex amenti squamis binis supremis connatis, apice liberis, demum carnosis involucrum pervium constituentibus, et carpidiis binis uniovulatis involucro inclusis. — *Cl.* Dioecia. *Ord.* Syngenesia. *Syst.* sex. —

399. Ephedra major Host. fl. austr, 2. p. 671.

E. amentis oppositis aggregatisve, masculis subsessilibus, foemineis pedunculatis.

Syn. E. distachya Vis. stirp. dalm. p. 34. Alsch. fl. jadr. p. 155. Pett. bot. Wegw. n. 357. Reichb. fl. exc. p. 156. (quoad pl. dalmat. et excl. icon. Lam.) C. F. Nees gen. pl. 1. n. 8. an L.? E. fragilis Pett. bot. Wegw. n. 358. Reichb. fl. exc. p. 156. an Desf.? E. vulgaris Rich. de conif. et cycad. p. 135. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fasc. 1. n. 8. Rich. de conif. et cycad. tab. 4. f. 1. J. Bauh. hist. pl. 1. p. 407. f. 1. Clus. hist. pl. p. 92. f. 1. Barrel. icon. stirp. p. 796. f. 2. Lobel. icon. stirp. p. 796. f. 2. *Hab.* ad scopulos, muros, locisque rupestribus totius Dalmatiae litoralis. Flores flavidi, baccae rubrae. Floret Aprili, Majo. ♄.

Obs. Diu dubitavi an plantam nostram ad E. distachyam L. traherem, vel in E. distachyam ipsam et E. fragilem Desf. specifice scinderem, vel demum novo nomine a b. Host proposito ipsammet designarem. E. distachya L. ex ipsius verbis (pedunculis oppositis) H. cliff. p. 465. n. 1. et operibus posterioribus, nec non ex iconibus ab ipso citatis (Camer. hort. med. 171. tab. 46., Dalech. hist. p. 1388., Bauh. hist. 1. p. 405., Clus. hist. 1. p. 92. fig. ext., Barr. rar. t. 731. f. 2. et Lobel. advers. 355.) distingui debet amentis utriusque generis pedunculatis (ut in icone Lam. ill. 330) quod nostrae deest, quae semper amenta mascula gerit vel omnino sessilia vel brevissime (et hoc raro) pedunculata. E. fragilis Desf. fl. atl. 2. p. 372. ex auctore ipso a prima differt tantumodo ramis fragilibus et amentis (utriusque sexus) ses-

silibus, ut in icone Alpin. exot. p. 141. quod nostram excludit, quae amentis foemineis distincte, et aliquando longe pedunculatis gaudet. Planta dalmatica e contra ea procul dubio videtur, quam sub nomine Tragi, sive Uvae marinae majoris Lobelius et Bauhinus, et distinctius sub illo Polygoni quarti majoris Clusius, descripsere et bonis iconibus firmavere, quam plantam a Linnaeo et posterioribus omnino neglectam, eodem specifico nomine retento, b Host sub E. majore proposuit, uti ex hujusce herbario mihi aperte patuit. Malui itaque stirpem admodum dubiam certo, etsi recentiori, nomine salutare, quam ad anteriora sed minus certa referre. Planta haec mire variat caule erecto, vel procumbente, ramis longioribus tenuioribus gracilibus fragilibus verticillatis, vel brevioribus rigidioribus tenacibus alternis sparsis oppositisve, ita ut diversa individua pro diversis speciebus sumeres ni inter utraque discrimen vere specificum prorsus deesset. Vaginae articulares semper in ramis, quandoque etiam in nodis, sterilibus utriculosae, apice utrinque in cuspidem attenuatae; in fertilibus ob gemmas florales axillares intumescentes, vel ob articulorum basim incrassatam in bina foliola acuta et scariosa fissae; quandoque inter haec irregulariter lacerae: hinc character e vaginis diphyllis, vel tantum bifidis ductus minime differentialis habendus. Amenta mascula saepius opposita sunt, quandoque terna aut quaterna aggregata, rarissime solitaria, sed semper vel reapse sessilia, vel pedunculo tam exiguo suffulta, ut sessilia videantur. Qua notarum fere omnium summa variabilitate perpensa, ita ut huic quoque bene quadrare credam quod de E. monostachya scripsit Gmelinus in fl. sibir. 1. p. 172., eam proteum vegetabilem vocans, dubium oritur an E. distachya, fragilis et major specifice distingui possint debeantque, nec ne. E. minor autem Host fl. austr. 2. p. 671. E. monostachyae hungaricae auctorum, nec sibiricae Linnaei et Gmelini superstructa, amentis utriusque sexus pedunculatis distinguitur, et huic praeter synonimum Clusii hist. pl. p. 92. f. 2. ab Hosto citatum, pertinent ex iconum similitudine eae omnes a Linnaeo pro sua E. distachya propositae et superius enumeratae, ad quam igitur E. minor Hosti revocanda videtur.

Tribus IV. TAXINEAE Rich. ann. du Mus. XVI. p. 296.

Fructu drupaceo e semine unico nuciformi erecto apice pertuso, involucro carnoso cupulaeformi, apice perforato laxe circumdato, antheris subtus longitudinaliter dehiscentibus.

CXXXVI. Taxus Tourn.

inst. r. herb. 1. p. 589. tab. 362.

Char. Flores dioici axillares imbricato-squamati: mares e staminibus pluribus apici axis amenti subglobosi insertis, filamentis brevissimis, antheris peltatis 3—8. locularibus: foeminei e disco annuliformi demum in cupulam carnosam apertam increscente, et ovulo unico sessili in disco incluso, apici amenti gemmiformis uniflori insidentes. — *Cl.* Dioecia. *Ord.* Monadelphia. *Syst.* sex. —

400. Taxus baccata L. sp. pl. ed. II. p. 1472. Reichb. fl. exc. p. 156.

T. foliis distichis approximatis linearibus planis, floribus sessilibus, fructus globosis.

Syn. T. baccifera Host. fl. austr. 2. p. 670. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fasc. I. n. 9. Rich. de conif. et cycad. tab. 2. Engl. bot. t. 746. Duh. trait. des arbr. II. tab. 86. (ex Matthiol.) Matthiol. discors ed. Valgr. 1568. p. 1156. *Hab.* in sylvaticis Pakleniza, et Monte Santo in montibus Vellebith. Jos. Kargl. Floret Martio, Aprili. Fructus laete rubri. ♄.

Usus. Planta omnis, sed folia praecipue virtute valide deprimenti gaudent, hinc in morbis phlogisticis, praesertim pectoris, forma pulveris utiliter exhibentur.

Ordo XXV. AMENTACEÆ.*

(Betulinae et Cupuliferae Rich.)

Flores monoici amentacei, squama suffulti, perianthio nullo aut 3—6-fido: mares staminibus 4—24. perianthio aut squamae insertis, antheris uni-bilocularibus longitudinaliter dehiscentibus: foeminei ex ovario biloculari, loculis uni-biovulatis, stigmatibus binis filiformibus sessilibus, vel stylo columnari suffultis. Fructus nucamentacei indehiscentes, vel cum squamis in strobili speciem digesti, vel in involucro cupuliformi aut capsuliformi sessiles, abortu uniloculares, ut plurimum monospermi, seminibus exalbuminosis pendulis, radiculae verticem fructus spectante.

Arbores vel frutices ramosissimi, foliis simplicibus plerumque alternis dentatis lobatisve, stipulis liberis deciduis.

Clavis analytica generum.

Fructibus sparsis vide No. . . . 1	Fructibus in strobilum racemumve aggregatis vide No. 4
1 Involucro fructus echinato pungente 2	Involucro inermi aut foliaceo . . . 3
2 Florum amentis subglobosis **Fagus.**	Florum amentis linearibus **Castanea.**
3 Glande in cupula haemisphaerica basi immersa **Quercus.**	Nucula involucro tubuloso inclusa **Corylus.**
4 Strobilo imbricato 5	Racemo laxo **Carpinus.**
5 Strobili squamis membranaceis **Ostrya.**	Strobili squamis lignosis **Alnus.**

Tribus I. CUPULIFERAE.

Stylo columnari, ovario perianthio adnato, ovulis loculorum angulo centrali affixis.

CXXXVII. Fagus Tourn.

Inst. r. herb. p. 584. tab. 351.

Char. Flores in amentis subglobosis pedunculatis: mares perianthio campanulato 5—6-fido, staminibus 8—12 ejus basi insertis, antherarum loculis connectivo crasso conjunctis, basifixis: foeminei involucro subquadrilobo bifloro, perianthio conico in limbum superum laciniatum producto ovarium triloculare sexovulatum, stylosque tres stigmate laterali praeditos obducente. Fructus ex involucro sublignoso demum quadrivalvi nuculas binas uniloculares monospermas acute triquetras includente. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Polyandria. *Syst.* sex. —

401. Fagus sylvatica L. sp. pl. ed. II. p. 1416. Vis. stirp. dalm. p. 35. Host. fl. austr. 2. p. 623. Reichb. fl. exc. p. 176. Alsch. fl. jadr. p. 225. Pett. bot. Wegw. n. 403.

F. foliis ovatis nitidis glabris, margine pubescentibus subundulatis repandis.

Icon. C. F. Nees. gen. pl. 1. n. 16. Lam. enc. bot. pl. 782. f. 2. Engl. bot. t. 1846. Gaertn. de fr. et sem. 1. t. 37. f. 2. Matthiol. disc. ed Valgr. 1568. p. 223. *Illyr.* Buk, Bukva. *Hab.* in sylvis montium Vellebith, Svilaja, Biokovo. Floret Aprili, Junio. ♄.

Usus. Lignum ad opera varia praestat.

CXXXVIII. Castanea Tourn.

Inst. r. herb. p. 584. tab. 352.

Char. Flores masculi secus amenta filiformia laxa erecta glomerulati, perianthio sexpartito, staminibus 8—15. ejus basi insertis, antheris bilocularibus dorso affixis, connectivo obsoleto: foeminei subglobosi gemmiformes involucro campanulato subtrifloro, perianthio infundibiliformi limbo 5—8 fido supero, ovarium trisexloculare 6—12 ovulatum vestiente, stylo brevissimo, stigmatibus tribus-sex setiformibus. Fructus ex involucro sublignoso demum quadrivalvi nuculas 2 — 3 (magnas) uniloculares monospermas plano-convexas fovente. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Polyandria. *Syst.* sex. —

402. Castanea sativa Mill. gard. dict. ed. VIII. (1768.) sp. 1.

C. foliis oblongo-lanceolatis acuminatis mucronato-serratis glabris.

Syn. C. vesca Gaertn. de fr. et sem. 1. p. 181. (1788.) Host. fl. austr. 2. p. 623. Reichb. fl. exc. p. 176. Alsch. fl. jadr. p. 225. Pett. bot. Wegw. n. 212. C. vulgaris Lam. enc. meth. botan. 1. p. 708. (1783.) Fagus Castanea L. sp. pl. ed. II. p. 1416. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fasc. 1. n. 17. Lam. enc. bot. pl. 782. f. 1. Duh. trait. des arbr. 1. t. 50. Matthiol. disc. ed. Valgr. 1568. p. 229. *Illyr.* Kostànj. *Hab.* forte culta, in insulis circa Zara, et in insula Solta: sylvulam vero constituit loco ex ipsa Kostanjcza dicto, et supra Stolivo in Canale di Cattaro. Floret Junio. ♄.

Usus. Fructus edules: lignum ad opera varia adhibetur tum a fabris lignariis tum a doliariis.

CXXXIX. Quercus L.

gen. pl. ed. II. p. 354.

Char. Flores masculi secus amenta filiformia laxa pendula glomerulati, perianthio 6—8-partito ciliato, staminibus 6—10 ejus basi insertis, antheris bilocularibus basifixis: foeminei subglobosi gemmiformes, bracteis et involucro unifloro in cupulam connatis, perianthium limbo supero sexfido aut denticulato, ovarium triloculare sexovulatum, stylum brevissimum et stigma trilobum basi excipientem. Fructus glans cupulae extus squamosae basi immersa. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Polyandria. *Syst.* sex. —

403. Quercus Robur L. sp. pl. ed. II. p. 1414. Host fl. austr. 2. p. 622. Pett. bot. Wegw. n. 749.

Q. foliis deciduis oblongo-obovatis sinuatis pinnatifidisque glabris, lobis apice rotundatis muticis, fructibus longe pedunculatis, cupulae squamis adpressis brevissimis.

Syn. Q. pedunculata W. arbr. p. 278. Vis. stirp. dalm. spec. p. 45. Reichb. fl. exc. p. 177. Alsch. fl. jadr. p. 226. Q. foemina fl. dan. fasc. XX. p. 6. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fasc. 1. n. 15. Fl. dan. t. 1180. Engl. bot. t. 1342. Duh. trait. des arbr. 2. t. 47. Matth. disc. ed. Valgr. 1568. p. 222. *Illyr.* Dub. Rast, et lignum Rastovina. *Hab.* in sylvaticis totius Dalmatiae. Fl. Majo. ♄.

Usus. Cortex coriis perficiendis inservit: lignum ad varii generis opera fabris lignariis utile: cortex ipse, folia, et gallae virtute adstringente et roborante gaudent, hinc in febribus intermittentibus, profluviis chronicis, prolapsibus vaginae et intestini; relaxatione uvulae, interne sub forma pulveris aut decocti, externe sub forma fotus in-

jectionis vel gargarismatis frequenter in usum veniunt. Glandes quoque coffeae modo torrefactae, in pulverem tritae, et aqua ferventi infusae in atrophia et emaciatione utiliter propinantur. Duo sequentes iisdem usibus adhibentur.

404. Quercus pubescens W. sp. pl. 4. p. 450. Host fl. austr. 2. p. 622. Reichb. fl. exc. p. 177.

Q. foliis deciduis obovatis sinuato-lobatis subtus pubescentibus, lobis obtusis integris bilobisque muticis, fructibus subsessilibus cupulae squamis brevissimis adpressis.

Icon. Clus. stirp. hisp. hist. p. 21. et rar. pl. p. 18. (absque fruct. et cum gallis.) *Hab.* in sylvaticis Dalmatiae cum priore. Floret Majo. ♄.

Obs. Synonima Clusii Robur I. et II. in rar. stirp. hisp. hist. p. 20. et Robur I. et III. in rar. pl. hist. p. 18. (quas plantas sola magnitudine inter se differre auctor ipse testatur) huc omnino spectare arbitror, quod foliorum canities in ejusdem descriptionibus indicata, ex earum forma loborumque incisurae in citatis iconibus expressae luculenter testantur.

405. Quercus Cerris L. sp. pl. ed. II. p. 1415. Host fl. austr. 2. p. 622. Reichb. fl. exc. p. 177. Alsch. fl. jadr. p. 226. Pett. bot. Wegw. n. 747.

Q. foliis deciduis oblongis obovatisve sinuatis pinnatifidisque subtus pubescentibus, lobis late lanceolatis mucronatis subunidentatis, fructibus subsessilibus, cupulae squamis lineari subulatis apice contortis patulis.

Syn. Q. austriaca W. sp. pl. 4. p. 454. Reichb. fl. exc. p. 178. *Icon.* Clus. hist. pl. rar. 1. p. 20. Lobel. ic. stirp. 2. p. 156. f. 2. *Illyr.* Sladun, Czer et lignum Czerovina. *Hab.* in sylvis montium Vellebith, circa Kruppa prope Obbrovazzo, supra Verlika, in monte Vissosnizza, et alibi in ditione Spalatensi. Floret Majo. ♄.

Obs. Clls. Host et Koch testantibus in una eademque arbore hujus speciei folia breviter sinuata et alia pinnatifida inveniri propria observatione edoctus ipsemet plane assentior; qua de re minime Q. austriacam a Q. Cerri differre credo. Habui quoque e sylvaticis circa Kruppa formam hujusce plantae foliis pinnati partitis, lobisque angustis distinctam; quae tamen a specie neutiquam separari meretur.

406. Quercus Ilex L. sp. pl. ed. II. p. 1412. Vis. stirp. dalm. p. 45. Host fl. austr. 2. p. 621. Reichb. fl. exc. p. 176. (excl, syn. Blackw.) Alsch. fl. jadr. p. 225. Pett. bot. Wegw. n. 748.

Q. foliis persistentibus coriaceis subtus cano-tomentosis, aut lanuginosis mucronato-serratis integerrimisve fructibus pedunculatis, cupulae squamis brevibus adpressis canescentibus.

var. α. nuda cortice integro laevi. *var. β.* Suberosa: cortice rimoso fungoso.

Syn. Q. Suber L. sp. pl ed. II. p. 1413. Host fl. austr. 2. p. 621. Reichb. fl. exc. p. 177. *Icon.* Duh. trait. des arbr. 1. pl. 123. 124. et 2. pl. 80. 81. (omnes ex Matthiol.) Clus. hist. pl. p. 22. 23. Dalech. hist. pl. 1. p. 22. 24. 25. et 26. f. 1. 2. Lobel. ic. stirp. 2. p. 159. f. 2. Matthiol. disc. ed. Valgr. 1568. p. 224. 225. 226. 227. *Illyr.* Çesmina, Çarnika, Svida. *Hab.* utraque arbor promiscue tum in continente, tum in insulis totius Dalmatiae. Floret Aprili. ♄.

Obs. A. Linnaeo ad recentiores universim consensere botanici, Q. Suber a Q. Ilice sola cortices fungositate differre; quae nota cum speciem constituere non valeat in Ulmo Acere, aliisque cortices suberosos quandoque praebentibus plantas simillimas hoc etiam

in genere dissociare non debet. Folia utriusque mire variant lanceolata, ovata, subcordata, subrotunda, mucronato-serrata, repanda vel integerrima, saepius in uno eodemque individuo, ideoque ne ad varietates quidem designandas sufficiunt. Memorabilior ea tamen est, quam Ilex folio Agrifolii vocavit omnium primus MAGNOLIUS in botan. monsp. p. 140. (Q. Ilex var. δ. LAM. enc. bot. ed. Pat. 1. p. 715., var. β. POLLIN. fl. veron. 3. p. 124.) foliis latis obovatis, vel etiam ellipticis, mucronato-serratis, subtus ad nervos lanuginosis, qualem in insula Sabbioncello lectam misit NEUMAYER et quam bene refert icon PLUKENETII in phytogr. tab. 197. f. 1. et TOURN. inst. r. herb. tab. 350. f. K. Hanc in herbario PORTENSCHLAGII dalmatico vidi falso sub nomine Q. rotundifoliae LAM.

405. Quercus coccifera L. sp. pl. ed. II. p. 1413. REICHB. fl. exc. p. 177.

Q. foliis persistentibus coriaceis oblongis spinoso-dentatis repandisve mucronatis utrinque glabris, fructibus racemosis secus amenti rachim sessilibus, cupulae squamis patulis.

Syn. Q. coccigera HOST fl. austr. 2. p. 621. *Icon.* DUH. trait. des arbr. 1. pl. 125. (ex MATTHIOL.) GARID. hist. des pl. d'Aix tab. 53. CAMER. epit. de pl. 1. p. 28. MATTHIOL. disc. ed. Valgr. 1568. p. 1084. *Hab.* in sylvaticis insularum Ossero circa Nevesine, et Sabbioncello. Floret Majo. ♄.

Usus. Supra hanc arborem hospitatur ac vescitur Coccus ilicis, qui siccatus est Kermes vegetale pharmacopaeorum, Coccinilla tinctorum, apud illos equidem fere obsoletus hisce vero sericis pannisque rubro colore inficiendis usitatissimus. *Obs.* Icones BLAKW. herb. 1. p. 186., et CLUS. hist. pl. 1. p. 24., quamvis huc certe spectant tamen ob glandes pedicellatas minus bonae. Specimen habeo foliis vix repandis inermibus, basi obtusis nec emarginatis, apice mucronatis, ideoque habitu quodammodo a specie alienum. Quod florae germanicae auctoribus in votis est, nobis quoque magnopere efflagitandum, ut in hujus generis plantas accuratius investigemus, quarum plures certe hactenus praetervisas vel commutatas in sylvis latere putandum est.

CXL. Corylus TOURN.

inst. r. herb. p. 581. tab. 347.

Char. Flores masculi secus amenta cylindrica demum pendula dense imbricati, perianthio e squamis binis subtus invicemque connatis staminibus octo squamis inferne insertis, antheris unilocularibus supra basim affixis apice setosis: foeminei gemmiformes, involucri uni-biflori foliolis 2—3 laceris, perianthii ovarium biloculare biovulatum vestientis limbo supero minimo denticulato, stigmatibus binis filiformibus exsertis. Fructus nuculae inter involucra magna foliacea basi tubulosa apice lacera solitariae, uniloculares, monospermae. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Polyandria. *Syst.* sex. —

406. Corylus Avellana L. sp. pl. ed. II. p. 1417. VIS. stirp. dalm. p. 32. HOST fl. austr. 2. p. 627. REICHB. fl. exc. p. 175. ALSCH. fl. jadr. p. 225. PETT. bot. Wegw. n. 296.

C. foliis elliptico-subrotundis basi cordatis apice acuminatis, involucris fructus campanulatis apice lacero-dantatis patulis, nuce ovoidea.

Icon. C. F. NEES gen. pl. fasc. I. n. 14. Engl. bot. t. 723. LAM. Enc. bot. pl. 780. MATTHIOL. disc. l. c. p. 303. *Illyr.* Ljescnik. Ljscovo. Jegra,

Jezgariza et fr. Ljscujak. *Hab.* ad sepes in sylvaticis totius Dalmatiae montanae, nec non in insulis Lesina, Brazza. Floret Febr. Mart. ♄.

Usus. Nuculae edules sunt.

CXLI. Carpinus Tourn.

inst. r. herb. 1. p. 532.

Char. Flores masculi secus amenta cylindrica patula dense imbricati ebracteati perianthio e squama simplici stamina 12—plura basi gerente, filamentis simplicibus: antheris unilocularibus subbasifixis apice pilosis: foeminei secus amenta laxa erecta dispositi bracteis deciduis, involucri biflori foliolis geminis inaequaliter trilobis petiolatis, perianthii cupuliformis limbo supero denticulato ovarium biloculare biovulatum vestiente, stylo brevissimo, stigmatibus binis filiformibus exsertis. Fructus ex involucris foliaceis nuculas totidem costatas monospermas ad latus cingentibus, in racemum pendulum laxe digestis. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Polyandria. *Syst.* sex. —

407. Carpinus Betulus L. sp. pl. ed. II. p. 1416. Vis. stirp. dalm. p. 29. Host fl. austr. 2. p. 626. Reichb. fl. exc. p. 175. Alsch. fl. jadr. p. 25.

C. involucri foliolis tripartitis, laciniis lanceolatis, lateralibus integris, intermedia longiore.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. I. n. 12. Duh. trait. des arbr. 1. t. 49. Lam. Enc. bot. pl. 780. Gaertn. de fr. et sem. 2. t. 89. f. 2. Tourn. inst. r. herb. 1. tab. 348. *Illyr.* Bielo grab. *Hab.* rarius ac sequens in sylvis montium; legi in monte Svilaja. Floret Aprili. ♄.

408. Carpinus duinensis Scop. fl. carn. ed. II. tom. 2. p. 243. Reichb. fl. exc. p. 175.

C. involucri foliolis semi-cordatis inaequaliter serratis subangulatis indivisis.

Syn. C. orientalis Lam. Enc. bot. ed. Pat. 1. p. 700. Host. fl. austr. 2. p. 626. *Icon.* Scop. loc. cit. tab. 60. (excl. fig. inf. ext.) *Illyr.* Czerni grab. *Hab.* vulgatissimus in collibus locisque sylvaticis demissioribus totius Dalmatiae. Floret Martio, Aprili. ♄.

Obs. Figura inferior simulque exterior iconis Scopolianae involucrum tripartitum exhibet C. Betuli, comparationis causa cum illo C. duinensis in figura proxima delineato.

CXLII. Ostrya Michel.

nov. gen. pl. p. 223.

Char. Flores masculi secus amenta cylindrica pendula dense imbricati ebracteati, perianthio e squama simplici stamina 12—plura basi gerente filamentis ramosis, antheris unilocularibus basifixis, apice pilosis: foeminei secus amenta oblonga erecta laxe digesti, bracteis deciduis, involucri uni-biflori foliolis geminis margine coalescentibus integris perianthium ampullaceum limbo supero indiviso ovarium biloculare biovulatum obvolvente, stylum brevem, et stigmata bina filiformia includentibus. Fructus ex involucris in utriculos coalitis nuculas totidem laeves monospermas foventibus in strobilum membranaceum digestis. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Polyandria. *Syst.* sex. —

409. Ostrya carpinifolia Scop. fl. carn. ed. II. tom. 2. p. 243. Reichb. fl. exc. p. 175. C. F. Nees gen. pl. fasc. 1. n. 13.

O. strobilis ovalibus, foliis ovatis acuminatis duplicato-serratis, gemmis obtusis.

Syn. O. vulgaris W. sp. pl. 4. p. 469. Host fl. austr. 2. p. 627. Alsch. fl. jadr. p. 225. Pett. bot. Wegw. n. 674. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. l. c. Michel. nov. gen. pl. tab. 104. *Illyr.* Grab et lignum Graborina. *Hab.* in sylvaticis collium circa Zara, Sign, Vergoraz, Ragusa. Floret Majo. ♄.

Obs. Strobili nunc penduli, nunc patuli, nunc erecti in eadem arbore.

Tribus II. BETULINAE.

Stigmate sessili, ovario libero, ovulis dissepimento affixis.

CXLIII. Alnus Tourn.

inst. r. herb. 1. p. 587. tab. 359.

Char. Flores dense imbricati: masculi secus amenta cylindrica pendula, bracteis peltatis margine 5-bracteolatis, subtus trifloris, perianthio 4-partito staminibus 4 ejusdem lobis insertis oppositisque, antheris bilocularibus basifixis: foeminei secus amenta oblonga, bracteis subcarnosis, perianthio tetraphyllo ovaria bina bilocularia biovulata tegente, stigmatibus in utroque binis filiformibus. Fructus strobilus e bracteis lignescentibus nuculas binas lignosas monospermas foventibus. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Tetrandria. *Syst.* sex. —

410. Alnus glutinosa Gaertn. de fr. et sem. 2. p. 54. Host fl. austr. 2. p. 612. Reichb. fl. exc. p. 175.

A. foliis subrotundis basi cuneatis apice retusis repando-serratis glutinosis glabris axillis venarum subtus villosis, perianthio monophyllo quadrifido.

Syn. Betula Alnus α. glutinosa L. sp. pl. ed. II. p. 1394. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fasc. I. n. 11. Engl. bot. t. 1508. Gaertn. de fr. et sem. 2. t. 90. f. 2. Duh. trait. des arbr. 1. t. 15. Matthiol. disc. l. c. p. 157. *Illyr.* Jovina. *Hab.* in aquosis circa Narenta, ubi hactenus solummodo inveni. Floret Martio, Aprili. ♄.

Ordo XXVI. SALICINÆ.

Rich. in Kunth. nov. gen. americ. 2. p. 21.

Flores dioici amentacei, singuli bractea membranacea suffulti, aperianthiei, sessiles aut breviter pedicellati, toro carnoso praediti glandulam, annulum urceolumve oblique truncatum referente: mares staminibus duobus-pluribus e centro tori prodeuntibus, filamentis liberis aut monadelphis, antheris basifixis, loculis deficiente connectivo contiguis longitudinaliter dehiscentibus: foeminei ovario libero sessili uniloculari, placentis binis parietalibus linearibus multiovulatis, stylis geminis connatis, singulis stigmate bi-trilobo terminatis. Capsula bivalvis, valvis demum revolutis, seminibus plurimis minimis erectis, funiculo brevissimo crasso in comam lanuginosam adscendentem semen obducentem soluto, albumine nullo, radicula basim fructus spectante.

Arbores fruticesve ramosi, foliis alternis simplicibus indivisis in petiolum attenuatis, stipulis squamaeformibus deciduis, aut foliaceis persistentibus.

Clavis analytica generum.

Bracteis amenti indivisis Salix.	Bracteis amenti laciniatis Populus.

CXLIV. Salix Tourn.

inst. r. herb. p. 590. tab. 364.

Char. Flores bracteis integris interstincti; masculi e staminibus binis, raro 3—5, filamentis bracteae basi insertis liberis aut monadelphis, toro glandulaeformi basi cinctis; foeminei ex ovario glandulae laterali munito, stigmatibus bilobis. — *Cl.* Dioecia. *Ord.* Diandria. *Syst* sex. —

411. Salix alba L. sp. pl. ed. II. p. 1449. Vis. stirp. dalm. p. 46. Host fl. austr. 2. p. 658. Reichb. fl. exc. p. 172. Alsch. fl. jadr. p. 8. Pett. bot Wegw. n. 801.

S. arborea erecta foliis lanceolatis acuminatis serrulatis utrinque sericeis margine villosis, demum glaucis, stipulis lanceolatis, amentis in ramuli foliati apice diandris, capsulis maturis ovato-lanceolatis obtusis subsessilibus glabris, stylo brevi, stigmatibus emarginatis.

Icon. Host Salix 1. p. 9. tab. 32. 33. Hoffm. hist. salic. tab. 7. 8. et 24. f. 3. Engl. bot. t. 2430. Blackw. herb. 2. tab. 327. *Illyr.* Vârba.

β. vitellina: Vis. stirp. dalm. p. 46. Reichb. fl. exc. p. 172.

Syn. S. vitellina L. sp. pl. ed. II. p. 1442. Host fl. austr. 2. p. 638. Alsch. fl. jadr. p. 8. *Icon.* Host sal. 1. tab. 30. 31. Hoffm. hist. tab. 1. tab. 11. et 12. et tab. 24. f. 1. Engl. bot. t. 1389. *Hab.* in aquosis totius Dalmatiae vulgaris. Floret Aprili. ♄.

Usus. Cortex tum hujus tum S. amygdalinae et auritae virtute adstringente gaudent: prodest etiam in febribus intermittentibus pulveris aut extracti formae porrectus. *Obs.* Stylus ludit brevissimus aut subnullus in specie et in varietate, uti ex hujusce icone Hoffmanniana, nec non in cl. Nees gen. pl. fasc. 1. n. f. 11. cuique patet.

412. Salix fragilis L. sp. pl. ed. II. p. 1443. Reichb. fl. exc. p. 172.

S. arborea erecta, stipulis semicordatis, foliis late lanceolatis acuminatis concoloribus glanduloso-inflexo-serratis, glabris, junioribus subsericeis margine villosis amentis in ramuli foliati apice diandris, capsulis ovato-lanceolatis pedicellatis glabris: stylo mediocri, stigmatibus bifidis.

Syn. S. decipiens Hoffm. hist. sal. vol. 2. p. 9. Sm. engl. bot. 1937. *Icon.* Hoffm. l. c. tab. 31. Engl. bot. t. 1807. et 1937. *Hab.* ad aquas, locisque umbrosis humidis circa Dernis. Floret Aprili Majo. ♄.

413. Salix amygdalina L. sp. pl. ed. II. p. 1443. Host fl. austr. p. 634.

S. arborea erecta, stipulis semicordatis deciduis, foliis lanceolatis acuminatis subtus glaucis glanduloso-serratis glaberrimis, amentis in ramuli foliati apice triandris, capsulis ovato-conicis pedicellatis glabris, stylo brevissimo, stigmatibus divergentibus emarginatis.

Syn. S. amygdalina *β.* discolor Reichb. fl. exc. p. 171. S. triandra Alsch. fl. jadr. p. 8. nec L. *Icon.* Host sal. 1. tab. 13. 14. *Hab.* ad ripas lacus Boccagnazzo prope Zara et in insula Lesina. Floret Majo. ♄.

414. Salix purpurea L. sp. pl. ed. II. p. 1444. Reichb. fl. exc. p. 171.

S. fruticosa diffusa, exstipulata, foliis obverse lanceolatis breviter acuminatis subtus glaucis obsolete serrulatis planis glabris, amentis lateralibus sessilibus basi foliolatis, monandris, capsulis ovato-conicis sessilibus sericeo-tomentosis, stylo brevi, stigmatibus ovatis brevissimis.

Syn. S. monandra Arduin. Memor. di osserv. p. 67. Hoffm. hist. sal. 1. p. 18. S. capraea Pett. bot. Wegw. n. 802. ex herb.! non L. *Icon.* Hoffm. loc. cit. tab. 1. f. 1. 2., tab. V. f. 1. tab. XXIII. f. 1. Arduin. loc. cit. tav. II. *Illyr.* Ràketa. *Hab.* Huc veluti totidem unius speciei formae reducenda sunt S. Helix L. sp. pl. p. 1444., nec non S. Helix, purpurea, oppositifolia, et sec. cl. Koch etiam S. mutabilis, carniolica, et mirabilis Host sal. tab. 36. ad 46., et fl. austr. 2. p. 639—41.

415. Salix incana Schrank baier. Fl. 1. p. 230. Reichb. fl. exc. p. 170.

S. fruticosa erecta, foliis lineari-lanceolatis acuminatis glanduloso-denticulatis margine revolutis, subtus cano-tomentosis, junioribus supra canescentibus, amentis lateralibus subsessilibus basi foliolatis, diandris, capsulis ovato-lanceolatis pedicellatis glabris, stylo elongato, stigmatibus bifidis.

Syn. S. riparia W. sp. pl. 4. p. 698. Host fl. austr. 2. p. 644. *Icon.* Host sal. tab. 58. 59. *Hab.* ad ripas fluvii Buttisniza ad Golubich prope Knin, et in aquosis prope Stermizza. Floret Aprili, Junio. ♄.

416. Salix viminalis L. sp. pl. ed. II. p. 1448. Host fl. austr. 2. p. 643. Reichb. fl. exc. p. 170.

S. fruticosa erecta, foliis stipulisque lineari-lanceolatis acuminatis sub-repandis margine undulatis revolutis, subtus sericeis, amentis lateralibus sessilibus basi foliolatis diandris, capsulis ovato-lanceolatis sessilibus pubescentibus, stylo elongato, stigmatibus filiformibus indivisis.

Icon. Host sal. 1. t. 54. 55. Hoffm. hist. sal. tab. II. V. f. 2. et XXI. f. e, g. Engl. bot. t. 1898. *Illyr.* Vèzovi. *Hab.* culta locis udis, vel etiam in vineis. Floret Aprili. ♄.

Usus. **Rami juniores cortice lento et tenaci obducti et summopere flexiles tum agricolis tum doliariis frequentissime in usum veniunt.**

417. Salix aurita L. sp. pl. ed. II. p. 1446. Host fl. austr. 2. p 648. Reichb. fl. exc. p. 169.

S. fruticosa erecta, stipulis reniformibus subintegris, foliis obovatis oblongisve subundulato-serratis utrinque pubescentibus, subtus glaucis, demum rugosis, amentis lateralibus sessilibus diandris, fructiferis pedunculatis foliolatis, capsulis ovato-lanceolatis pedicellatis pubescentibus, stigmatibus ovatis emarginatis subsessilibus.

Syn. S. caprea Alsch.! fl. jadr. p. 8. nec L. *Icon.* Host sal. tab. 78. Hoffm. hist. sal. tab. XXII. f. 1. L. fl. lapp. tab. VIII. f. y. *Hab.* locis umbrosis sylvae cujusdam prope Stabilimento di Nona, locis humidis et ad aquas insulae Veglia, et ad fl. Titium prope Slap. Floret Aprili Majo. ♄.

418. Salix cinerea L. sp. pl. ed. II. p. 1449. Reichb. fl. exc. p. 169.

S. fruticosa erecta, stipulis semicordatis glanduloso-serratis, foliis oblongo-obovatis, undulato-serratis, utrinque pubescentibus, subtus glaucis demum rugosis

amentis lateralibus sessilibus diandris, fructiferis pedunculatis foliolatis, capsulis ovato-lauceolatis pedicellatis pubescentibus, stigmatibus ovatis bifidis subsessilibus.

Syn. S. polymorpha Host fl. austr. 2. p. 646. S. acuminata Hoffm. hist. sal. p. 39. *Icon.* Hoffm. l. c. tab. XXII. f. 2. *Hab.* in aquosis circa Narenta, unde misit Neumayer. Floret Martio. ♄.

Obs. Forma stipularum jam a Linnaeo in Fl. svec. p. 294. n. 805. indicata, in icone Hoffmanniana male expressa. Genus hoc in aliis Floris speciebus ditissimum, in nostra e paucis hactenus saltem inventis componitur, quod et solo generatim calcareo et arido, et sylvarum penuriae, et regionis alpinae defectu, quo fit ut speciebus frigidis et glacialibus omnino carere cogamur, prae primis tribuendum.

CXLV. Populus Tourn.

inst. r. herb. p. 592. tab. 365.

Char. Flores bracteis incisis interstincti, masculi e staminibus 8 — pluribus, filamentis liberis toro urceolari anterius oblique producto insertis; foeminei ex ovario toro persistente cincto, stigmatibus bipartitis elongatis. — *Cl.* Dioecia. *Ord.* Octandria. *Syst.* sex. —

419. Populus alba L. sp. pl. ed. II. p. 7463. Vis. stirp. dalm. p. 44. Host fl. austr. 2. p. 664. Reichb. fl. exc. p. 173. Alsch. fl. jadr. p. 92. (excl. syn. Sm.) Pett. bot. bot. Wegw. n. 722.

P. bracteis amenti foeminei lanceolatis apice crenatis ciliatis, foliis subrotundo-ovatis angulato-dentatis, ramulorum terminalium cordatis palmato-quinquelobis, subtus niveo tomentosis.

Icon. Engl. bot. t. 1618. Lobel. icon. stirp. 2. p. 193. f. 1. Camer. epit. p. 65. Matth. disc. ed. Valgr. 1568. p. 152. *Illyr.* Topòla. *Hab.* in sylvis et ad aquas circa Verlika, Knin, Sign, Narenta. Floret Martio, Aprili. ♄.

420. Populus tremula L. sp. pl. ed. II. p. 1464. Host fl. austr. 2. p. 665. Reichb. fl. exc. p. 173.

P. bracteis amentorum radiato-laceris villoso ciliatis, foliis omnibus suborbiculatis dentatis utrinque glabrescentibus.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. I. n. 20. f. 2—19. Engl. bot. t. 1909. Dodon. pempt. p. 836. Matth. discors l. c. p. 154. *Illyr.* Trepetljka. *Hab.* in sylvaticis circa Verlika. Floret vere. ♄.

421. Populus dilatata Ait. hort. Kew. 3. p. 406. (1789.) Vis. stirp. dalm. p. 44. Host fl. austr. 2. p. 665. Reichb. fl. exc. p. 173. Pett. bot. Wegw. n. 723.

P. bracteis amentorum glabris, foliis rhombeis acuminatis serratis glabris, diametro transversali longiore, ramis strictis virgatis.

Syn. P. pyramidalis Rozier cours. d'agric. vol. 7. p. 619. (1791.) P. fastigiata Poir. in Lam. enc. bot. ed. Pat. V. p. 222. *Icon.* Balb. et Nocc. fl. ticin. 2. t. 19. 20. Mirb. Elem. de bot. pl. 3. f. 1. *Illyr.* Jablan. *Hab.* ad vias, et secus aquas circa Slap, Kerka, Dernis, Knin, Verlika, Salona, e alibi. Floret vere. ♄.

Obs. Nomen Aitoni etiamsi ambiguum, tamen anterioritatis jure servandum.

422. Populus nigra L. sp. pl. ed. II. p. 1464. Host fl. austr. 2. p. 665. Reichb. fl. exc. p. 173. Alsch. fl. jadr. p. 91.

P. bracteis amentorum glabris, foliis deltoidibus acuminatis serratis glabris, diametro longitudinali longiore, ramis patentibus.

Icon. Engl. bot. t. 1910. Blackw. herb. t. 248. f. 1. Matthiol. disc. loc. cit. p. 153. *Hab.* ad aquas et pagos hinc inde in Dalmatia montana. Fl. vere ♄.

Ordo XXVII. JUGLANDEÆ.

DeC. th. elem. ed. I. p. 215.

Flores monoici: masculi amentacei laterales, perianthio inaequaliter bi-sexpartito bracteola squamaeformi adnata uniflora suffulto, staminibus 3 — plurimis receptaculo insertis, filamentis brevissimis liberis, antheris erectis connectivo incrassato et ultra loculos longitudinaliter dehiscentes producto: foeminei in ramulorum apice, calycis ovario adnati, limbo supero 4 — partito deciduo, petalis 4. calycis limbo insertis basi cohaerertibus, nullisve, ovario infero superne uniloculari basi bi-quadriloculari, ovulo unico in columellae apice sessili erecto, stylis 1 — 2 brevissimis, stigmatibus binis clavatis fimbriatis vel unico sessili peltato quadrilobo. Nux monosperma evalvis aut bivalvis, semine exalluminoso, radicula inclusa supera.

Arbores ramosae, foliis alternis impari-pinnatis exstipulatis, foliolis integerrimis serratisve graveolentibus.

CXLVI. Juglans L.

Gen. pl. ed. II. p. 355.

Char. Flores masculi perianthio 5 — 6 partito, staminibus 14 — 36: foeminei solitarii aut pauci glomerati, corollati, stylis duobus brevissimis stigmatibus elongatis recurvatis fimbriatis. Nux epicarpio irregulariter rumpente, putamine rugoso sulcato, semine sinuato, lobato. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Polyandria. *Syst.* sex. —

M **423. Juglans regia** L. sp. pl. ed. II. p. 1415. Vis. stirp. dalm. p. 38. Host fl. austr. 2. p. 623. Reichb. fl. exc. p. 489. Alsch. fl. jadr. p. 226. Pett. bot. Wegw. n.

J. foliolis subnovenis ovalibus subaequalibus subserratis glabris, fructibus subglobosis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. 3. n. 2. Lam. enc. bot. pl. 781. Blackw. herb. t. 247. Matthiol. disc. ed. Valgr. 1568. p. 297. *Illyr.* Orak. *Hab.* in Asia, jamdiu ubique culta. Floret Aprili. ♄.

Usus. Nux edulis, lignum densitate firmitate, ac vario colore praestans.

Ordo XXVIII. URTICACEÆ.

Rchb. fl. exc. p. 178.

Flores hermaphroditi, unisexuales aut polygami, capitati cymosi spicati aut paniculati, vel receptaculo cavo carnoso immersi, saepissime inconspicui. Perianthium inferum 3 — 6. partitum, laciniis, aestivatione imbricatis. Stamina definita imo perianthio inserta, ejusque laciniis numero aequalia et opposita, filamentis li-

beris antheris bilocularibus. Ovarium 1 — 2 — 3 loculare, ovulo in loculis unico, raro binis. Stylo 2 — 1. Fructus indehiscens simplex vel compositus, siccus, drupaceus vel pulposus, semine erecto aut pendulo.

Herbae aut arbores; foliis simplicibus petiolatis alternis, rarius oppositis, stipulis liberis, plerumque deciduis.

Clavis analytica generum.

Fructu sicco vide No. 1	Fructu pulposo vide No. 5
1 Fructu aptero 2	Fructu circumalato **Ulmus.**
2 Fructibus spicatis capitatis cymosisve 3	Fructibus in strobilum membranaceum digestis **Humulus.**
3 Semine erecto 4	Semine pendulo **Cannabis.**
4 Perianthiis foemineis tetraphyllis **Urtica.**	Perianthio foemineo monophyllo tubuloso **Parietaria.**
5 Fructu composito 6	Fructu simplici **Celtis.**
6 Fructu apice perforato intus cavo **Ficus.**	Fructu impervio farcto **Morus.**

Tribus I. URTICEÆ Reichb. l. c. p. 181.

Flores polygami aut unisexuales, staminibus 4 ante anthesim induplicatis, fructu simplici sicco, semina erecta albuminosa embryone recto.

CXLVII. Urtica Tourn.

Inst. r. herb. p. 534. tab. 308.

Char. Flores monoici aut dioici spicati aut capitati: masculi perianthio quadripartito, filamentis filiformibus laevibus antherarum loculis extrorsum longitudinaliter dehiscentibus; foeminei perianthio tetraphyllo, stigmate sessili. Fructus caryopsis perianthio persistente tecta. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Tetrandria. *Syst.* sex. —

424. Urtica urens L. sp. pl. ed. II. p. 1396. Vis. stirp. Dalm. p. 50. Host fl. aust. 2. p. 613. Reichb. fl. exc. p. 181. Alsch. fl. jadr. p. 223. Pett. bot. Wegw. n. 985.

U. sparse setosa, foliis ovatis ovalibusve acutis inciso-serratis, spicis geminatis compactis axillaribus petiolo brevioribus, floribus monoicis.

Icon. Fl. dan. tab. 739. Engl. bot. t. 1236. Dodon. pempt. p. 152. Matthiol. disc. ed. Valgr. 1568. p. 1185. *Illyr.* Xigaviza. Kòpriva.

425. Urtica dioica L. sp. pl. ed. II. p, 1396. Host fl. aust. 2. p. 613. Reichb. fl. exc. p. 181. Pett. bot. Wegw. n. 983.

U. setoso-hispida, foliis cordato-oblongis acuminatis grosse serratis, paniculis axillaribus laxifloris petiolo multo longioribus, floribus dioicis.

Syn. Urtica dioeca Spr. syst. veg. 3. p. 839. Alsch. fl. jadr. p. 223. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fasc. III. n. 7. f. 1 — 15. Fl. dan. tab. 746. Engl. bot.

t. 1750. Blackw. herb. tab. 12. Matthiol. disc. l. c. p. 1184. *Illyr.* Kòpriva. *Hab.* ad sepes circa Zara, Derni, Spalato, et allibi. Flores virides Fl. Junio, Oct. ♃.

Usus. Tum hujus tum praecedentis succus vi adstringente et deprimente polleus prodest haemoptoicis. Verberantur herba recenti partes paralyticae ut reviviscant.

426. Urtica glabrata Clementi iter dalmat. ined.

U. caule petiolisque sparse setosis, foliis ovatis acutis grosse inciso-serratis glabrescentibus longe petiolatis, superioribus oblongo-lanceolatis, paniculis axillaribus laxifloris petiolo duplo brevioribus, floribus dioicis.

Icon. Clem. loc. cit. tab. II. *Hab.* frequens in nemoroviis lateris orientalis montis Biokovo. Doct. Clementi. Flores virides. Fl. Junio. ♃. *Descr.* Radix perennis. Caulis sulcatus erectus laxe setotus ramulosus 3—4 pedalis. Folia supra glabra scabra, subtus vix ad nervos 3—5—7 sparse setulosa, saturate viridia, opposita, serraturis late lanceolatis incurvis mucronatis, petiolis setosis laminam dimidiam aequantibus, basi dilatatis, stipula lineari-lanceolata urinque praeditis: infima vix basi emarginata, subsequa late ovata acuta, superiora seu floralia oblongo-lanceolata latius serrata, dente terminali oblongo-acuto lateralibus duplo longiore; suprema linearia remote serrata apice integra. Paniculae florum oppositae axillares sessiles elongato-ramosae, florum fasciculis subsessilibus secus ramos setulosos laxe digestis. Nucula ovoidea compressa subtilissime punctata. Affinis praecedenti, quam vero habitu duplo minore setis undique hispido, foliis omnibus conformibus basi cordatis apice acuminatis utrinque setis et praecipue petiolis quartam laminae partem aequantibus ideoque panicula triplo saltem brevioribus satis differre censeo.

427. Urtica membranacea Poir. in Lam. Enc. meth. ed. Pat. IV. p. 597.

U. sparse setosa, foliis cordatis ovatisve acutis, grosse serratis longe petiolatis, floribus axillaribus monoicis, foemineis inferioribus in pedunculi filiformis apice glomeratis, masculis superioribus supra rachidem elongatam planam utrinque alato-membranaceam, subtus nudam, spicatis.

Icon. Poir. hist. phil. et litt. des pl. d'Europ. icon. *Hab.* in murorum fissuris urbium Ragusa et Cattaro, nec non in insula Giuppana. Flores virides. Fl. a Februario in aestatem. ☉.

Obs. Flores foemineos in hac specie longe pedunculatos video, nec subsessiles ut ait cl. Loiseleur in fl. gall. 2. p. 315. (edit. II.)

428. Urtica pilulifera L. sp. pl. ed. II. p. 1395. Vis. stirp. dalm. p. 50. Host fl. aust. 2. p. 613. Reichb. fl. exc. p. 181. Alsch. fl. jadr. p. 223. Pett. bot. Wegw. n. 984.

U. setosa, foliis ovatis subcordatisque cuspidatis inciso-serratis, floribus utriusque sexus contiguis, masculis secus pedunculum ramosum glomerato-spicatis, foemineis in pedunculi simplicis apice conglobatis.

Icon. C. F. Nees. gen. pl. fasc. III. no. 7. f. 16—18. Engl. bot. t. 148. Blackw. herb. t. 321. f. Lobel. ic. stirp. 522. f. 2. Matthiol. disc. l. c. p.

1183. *Illyr.* Kòperva ljuta. *Hab.* in cultis et ruderatis totius Dalmatiae frequentius ac reliquae. Fl. Apr., Sept. Fl. virides. ⊙.

CXLVIII. Parietaria Tourn.

Inst. r. herb. p. 509. tab. 289.

Char. Flores polygami cymosi bracteolati, hermaphroditi perianthio subrotato quadripartito, filamentis filiformibus transversim rugosis, antherarum loculis introrsum longitudinaliter dehiscentibus; foeminei perianthio tubuloso-ventricoso quadridentato, stylo simplici exserto. — *Cl.* Polygamia. *Ord.* Monoecia. *Syst.* sex. —

429. Parietaria diffusa Mert. et K. Deutschl. Fl. 1. p. 82. Reichb. fl. exc. p. 181.

P. caule procumbente diffuso ramoso foliis alternis ovalibus utrinque acuminatis triplinerviis superioribus ovali-lanceolatis, pedunculis cymoso-dichotomis.

Syn. P. officinalis Vis. stirp. dalm. p. 42. Host fl. aust. 1. p. 218. Alsch. fl. jadr. p. 231. Pett. bot. Wegw. n. 681. an L.? P. judaica Lam. enc. meth. bot ed. Pat. V. p. 16. non L. *Icon.* Lam. loc. cit. pl. 853. f. 2. *Illyr.* Czerquina. Drinak, Gomiaçina. *Hab.* in ruderatis, ad muros, et vias frequentissima. Fl. aestate. ♃.

Usus. Herba mucilaginosa, emolliens, refrigerans, diuretica, in irritatione aut phlogosi renum aut vesicae succi expressi aut decocti forma utiliter exhibetur. *Obs.* Folia variant in eadem planta inferius late ovalia, superius ovali-lanceolata: caules saepius ramosi, quandoque simplices, sed ramosi quoque in iconibus ipsis Camerarii, Dodonaei, Lobelii, et Florae danicae pro P. officinali citatis, ita ut valde dubitem an hae plantae reapse differant inter se. Nostrae autem certe spectat Parietaria N. 1. var. A. Hort. Cliff. p. 469; de quaS vecus immortalis ait: „Varietas a. foliis gaudet ovatis acutis, et haec in muris seu locis siccis crescit, at lanceolata et majora producit si colatur in hortis," qua observatione differentia omnis a foliorum forma petita inter P. diffusam et P. erectam MK. valde infirmatur. P. judaica L. vera differt ab utraque caule glabro, petiolis brevioribus, florum acervis ad ramos, vix vero ullis ad caulem, juxta L. fl. palaest. No. 582. in Amoen. Acad. 4. p. 466, et foliis trinervibus nec basi univervibus, supra basim trinervibus, seu triplinervibus juxta Sm. in fl. brit. 1. p. 189. in nota ad P. officinalem.

Tribus II. CANNABINEAE Koch. syn. fl. germ. p. 636.

Flores dioici, staminibus 5. Fructu simplici sicco, semine pendulo exalbuminoso, embryone falcato aut spirali.

CIL. Cannabis Tourn.

Inst. r. herb. p. 535. tab. 309.

Char. Flores masculi laxe racemosi perianthio 5-phyllo, staminibus pendulis, antheris muticis: foeminei spicato-glomerati conferti unibracteati, perianthio squamaeformi basi vertricosa pistillum includente, ovario subgloboso, stylo brevi, stigmatibus binis filiformibus. Caryopsis bivalvis indehiscens. — *Cl.* Dioecia. *Ord.* Pentandria. *Syst.* sex. —

430. Cannabis sativa L. sp. pl. ed. II. p. 1457. Vis. stirp. dalm. p. 29. Host fl. aust. 2. p. 662. Reichb. fl. exc. p. 179. Alsch. fl. jadr p. 229.

C. foliis oppositis petiolatis digitatis, foliolis inaequalibus serratis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. III. no. 9. Blackw. herb. t. 322 foem. Loebel ic. stirp. 526. f. 1. foem. f. 2. mas. Matthiol. disc. ed. Valgr. 1568. p. 979. mas. *Illyr.* Konoplje. Poskon. *Hab.* in Scythia, Thracia, Tauria, Sibiria, et India orientali, jamdiu in Europa culta. Fl. Junio, Aug. Flores herbacei. ⊙.

Usus. Macerationis ope fila suppeditat linteis funibusque parandis ubique gentium adhibita.

CL. Humulus L.

gen. pl. ed. II. p. 370.

Char. Flores masculi laxe racemosi aut paniculati, perianthio 5-phyllo, staminibus erectis, antheris connectivo excedente apiculatis: foeminei conferte amentacei bracteati, bracteis bifloris, perianthio squamaeformi basi ovarium ovatum amplectente, stigmatibus binis subulatis sessilibus. Fructus strobiliformis e perianthiis auctis imbricatis nuculas totidem resinoso-glandulosas foventibus. — *Cl.* Dioecia. *Ord.* Pentandria. *Syst* sex. —

431. Humulus Lupulus L. sp. pl. ed. II. p. 1457. Vis. stirp. dalm. p. 37. Host fl. aust. 2. p. 663. Reichb. fl. exc. p. 179. Alsch. fl. jadr. p. 229.

H. caule volubili scabro, foliis oppositis cordatis lobatis serratis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. III. no. 10. Lam. enc. bot. pl. 815. Engl. bot. t. 427. Fl. dan. t. 1239. Bull. herb. de la Fr. t. 234. *Illyr.* Bljust. Kuk. Melj. *Hab.* vulgaris ad sepes tum in continente tum in insulis. Floret aestate. Fl. virides. ♃.

Usus. Fructus vi deprimente praediti laudantur forma pulveris, decocti extracti aut tincturae in morbis scrophulosis, tympanitide, rachitide morbisque cutaneis. Turiones urinas cienti comeduntur quoque asparagorum more confecti. Praeterea strobili vino hordeaceo seu cerevisiae condiendae inserviunt.

Tribus III. MOREAE.

Flores unisexuales, staminibus 3—4, fructu composito pulposo aut carnoso, semine pendulo albuminoso, embryone falcato.

CLI. Morus Tourn.

Inst. r. herb. p. 589. tab. 362.

Char. Flores monoici dense spicati: masculi perianthio quadripartito, staminibus quatuor, ovario abortivo; foeminei perianthio 4-phyllo inaequali, ovario biloculari sessili, stigmatibus binis terminalibus filiformibus intus villosis. Fructus sorosus ex utriculis baccatis perianthio pulposo tectis spicato-aggregatus. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Tetrandria. *Syst.* sex. —

M **432. Morus alba** L. sp. pl. ed. II. p. 1398. Vis. stirp. dalm. p. 41. Host fl. austr. 2. p. 614. Reichb. fl. exc. p. 179. Alsch. fl. jadr. p. 35.

M. foliis oblique cordatis lobatis indivisisque inaequaliter serratis, amentis foemineis pedunculum subaequantibus, perianthiis margine glabris, stigmatibus papillosis glabris.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. III. no. 5. f. 1 — 6. Gaertn. de fr. et sem. II. tab. 126. f. 2. *Illyr.* Murva. Dud. *Hab.* in China et Persia, jamdudum in Europa culta. Fructus pallidi. Fl. Majo. ♄.

Usus. **Bombyces sericos hujusce arboris foliis ali notissimum.**

433. Morus nigra L. sp. pl. ed. II. p. 1398. Vis. stirp. dalm. l. c. Host fl. aust. 2. p. 615. Reichb. l. c. Alsch. l. c.

M. foliis cordatis ovatis lobatis indivisisque dentatis amentis foemineis subsessilibus, perianthii margine stigmatibusque hirsutis.

Icon. C. F. Nees l. c. f. 7 — 25. Lam. enc. bot. pl. 762. f. 1. Duh. trait. des arbr. 2. tab. 1. Blackw. herb. t. 126. *Illyr.* Murva czerna. *Hab.* circa Zara, Sebenico, Ragusa an sponte? Floret Majo. Fructus atro-rubri. ♄.

Usus. **Fructus edules sunt: ex his quoque paratur syrupus in aphtis et angina faucium usualis.**

CLII. Ficus Tourn.

Inst. r. herb. p. 662. tab. 420.

Char. Flores dioici, vel superiores masculi, reliqui foeminei, pedicellati in superficie interna receptaculi (Coenanthium Nees jun.) carnosi globosi aut pyriformis basi bracteati, apice squamato pervii: masculi perianthio tripartito, staminibus tribus: foeminei perianthio 5-fido, ovario pedicellato, stylo laterali, stigmatibus duobus brevibus. Fructus syconus e receptaculo pulposo clauso utriculos monospermos in pulpa immersos fovente. — *Cl.* Polygamia. *Ord.* Trioecia. *Syst.* sex. —

434. Ficus Carica L. sp. pl. ed. II. p. 1513. Vis. stirp. dalm. p. 35. Host fl. aust. 2. p. 555. Reichb. fl. exc. p. 179. Alsch. fl. jadr. p. 219. Pett. bot. Wegw. n. 413.

F. foliis palmato — 3 — 5 — lobis subcordatis scabris repandis, receptaculis laevibus.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. III. n. 6. f. 1 — 13. Lam. enc. bot. pl. 861. Blackw. herb. t. 125. Matthiol. disc. ed. Valgr. 1568. p. 309. *Illyr.* Smokveniza et fructus Smokva. *Hab.* sponte ad muros domorum et moenia urbium, nec non in ruderatis locisque asperis totius Dalmatiae. Floret Junio, Augusto. ♄.

Usus. **Quaelibet plantae pars vulnerata lac fundit acre verrucas absumens. Fructus maturi, detracto cortice in quo lac continetur, nutriunt, emolliunt, pectori prosunt, alvum leniter movent: siccati et ex aqua cocti raucedinem levant, tussim leniunt, obstipationem amovent: in lacte cocti et externe appliciti tumoribus inflammatoriis medentur, et dentium dolores minuunt.**

Tribus IV. CELTIDEAE Duby bot. gall. I. p. 421.

Flores polygami, staminibus 4 — 5, fructu drupaceo, semine pendulo, albumine tenui, embryone falcato.

CLIII. Celtis Tourn.

inst. r. herb. 1. p. 612. tab. 383.

Char. Flores hermaphroditi, aut abortu masculi, solitarii axillares, perianthio tetra-pentaphyllo deciduo, phyllis ciliatis concavis, staminibus 4 — 5; antheris supra basim insertis cordato-acuminatis, ovario bifido stigmatibus binis sessilibus

conico-subulatis glanduloso pubescentibus demum recurvis. Drupa laevis, nucleo osseo monospermo. — *Cl.* Polygamia. *Ord.* Monoecia. *Syst.* sex. —

435. Celtis australis L. sp. pl. ed. II. p. 1478. Vis. stirp. dalm. p. 30. Host. fl. aust. 1. p. 220. Reichb. fl. exc. p. 179. Alsch. fl. jadr. p. 68. Pett. bot. Wegw. No. 219.

C. foliis oblongo-lanceolatis serratis basi inaequalibus, apice acuminatis, supra scabris, subtus molliter villosis.

Icon. Lam. enc. bot. pl. 844. f. 1. Scop. delic. insubr. 2. tab. 18. Camer. epit. pl. p. 155. Matth. disc. ed. Valgr. 1568. p. 276. *Illyr.* Fafarinka. Kostila. *Hab.* locis saxosis, collinis totius Dalmatiae frequens. Floret Majo. Fl. fusci. ♄.

Usus. Fructus pulpa mellita obducti edules sunt, lignum flexile et tenax frequenter in usum venit. *Obs.* In planta dalmatica flores vidi semper perianthio tetraphyllo, et staminibus quatuor donatos.

Tribus V. ULMEAE Reichb. fl. exc. p. 180.

Flores hermaphroditi, staminibus 4—8 fructu samaroideo, semine pendulo exalbuminoso, embryone recto.

CLIV. Ulmus Tourn.

Inst. r. herb. p. 601. tab. 372.

Char. Perianthium persistens 4—8 fidum, staminibus ut plurimum 5 ejus basi insertis, antheris supra basim affixis, ovario libero biloculari, ovulis solitariis, stylis binis, intus stigmaticis villosis. Samara compressa membranacea, abortu monosperma. — *Cl.* Pentandria. *Ord.* Digynia. *Syst.* sex.

436. Ulmus campestris L. sp. pl. ed. II. p. 327. Vis. stirp. dalm. p. 50. Host fl. aust. 1. p. 350. Reichb. fl. exc. p. 180. Alsch. fl. jadr. p. 68. Pett. bot. Wegw. No. 982.

U. foliis duplicato-serratis basi inaequalibus, floribus subsessilibus, fructibus glabris. Koch syn. fl. germ. et helv. p. 637.

Var. α. nuda: cortice ramorum laevi.

Syn. U. campestris Sm. engl. fl. 2. p. 20. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fasc. III. No. 3. f. 1—5, 10—16. Engl. bot. t. 1586. Flor. danic. t. 682. Lam. enc. bot. pl. 115. f. 1. a. b. c. d. n. o.

Var. β. suberosa: cortice ramorum suberoso-alato.

Syn. U. suberosa Ehrh. Beitr. 6. p. 87. Vis. stirp. dalm. p. 50. Host fl. austr. 1. p. 328. Reichb. fl. exc. p. 180. Alsch. fl. jadr. p. 68. *Icon.* Engl. bot. t. 2161. *Illyr.* Brist, et lignum Bristovina. *Hab.* promiscue ad pagos et in montosis utraque varietas; altera vero frequentius ad sepes in Dalmatia litorali circa Zara, Sebenico, Ragusa. Flores purpurei. Floret Martio, Aprili. ♄.

Usus. Cortex interior ulmi vi adstringente, deprimente et sudorifera praeditus in morbis cutaneis ac rheumaticis ex aqua coctus communiter adhibetur; lignum duritie praestans a fabris in usus plurimos adhibetur.

Ordo XXIX. SANTALACEÆ.

R. Br. prodr. fl. nov. Holl. p. 350.

Flores hermaphroditi, vel abortu unisexuales, bracteati. Perianthium intus coloratum discoque carnoso vario munitum, tubo cum ovario connato, limbo 3—5-fido supero, lobis aestivatione valvatis. Stamina perianthii lobis numero aequalia, iis opposita, basique inserta, antheris bilocularibus longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium inferum uniloculare, ovulis 2. aut 3. 4. ex placentae centralis apice pendulis, stylo simplici, stigmate unico lobato, aut tribus. Fructus nucamentaceus aut drupaceus, perianthii limbo coronatus, monospermus, semine pendulo, embryone intra apicem albuminis dense carnosi orthotropo, cotyledonibus cylindricis, radicula supera.

Herbae vel frutices ramis inarticulatis, foliis sparsis, vel raro suboppositis, simplicibus integerrimis penninervibus exstipulatis.

Clavis analytica generum.

Fructu nuciformi exsucco	Fructu drupaceo
Thesium.	Osyris.

CLV. Thesium L.

Gen. pl. ed. II. p. 74.

Char. Flores hermaphroditi, perianthio quinquefido, staminibus quinque, antherarum loculis parallelis contiguis, ovario biovulato, stigmate capitato. Nux perianthio corticata. — *Cl.* Pentandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

437. Thesium Linophyllon L. sp. pl. ed. II. p. 301. Host fl. austr. 1. p. 312. Reichb. fl. exc. p. 158.

Th. radice repente, caulibus paniculato-ramosis, foliis lanceolato-linearibus trinerviis acutis, bracteis ternis, perianthii fructiferi laciniis nuce ovali-oblonga nervulosa triplo brevioribus.

Syn. Th. intermedium Schrad. spic. fl. germ. p. 27. *Icon.* Reichb. ic. bot. cent. V. f. 645. opt. Engl. bot. t. 247. Relh. fl. cantabr. p. 99. Clus. hist. pl. 1. p. 324. *Hab.* in sylvaticis montium supra Verlika, ubi inveni floridum mensibus Majo, Junio. Flores virides, intus et laciniarum margine pallidi. ♃.

438. Thesium ramosum Hayn. in Schrad. journ. bot. 1800. p. 30.

Th. radice perpendiculari, caulibus racemoso-ramosis, foliis lineari-lanceolatis subuninervibus obtusiusculis, bracteis ternis, perianthii fructiferi laciniis nuce ovato-oblonga crasse nervosa, et venoso-reticulata triplo brevioribus.

Icon. Reichb. icon. bot. cent. V. f. 646. *Hab.* in pascuis siccis, et devexitatibus apricis regionis subalpinae montis Dinara, ubi floridum legi mense Julio; cl. Kargl iisdem locis in Biokovo. ♃.

Obs. Specimina nostra ob regionis natalis altitudinem macriora sunt, et caulibus subsimplicibus, uti exhibentur in figura dextera iconis Reichenbachianae mox citatae, quin a ramosis distingui possint.

439. Thesium divaricatum Jan. catal. pl. phaenog. p. 65. Reichb. fl. exc. p. 157. Pett. bot. Wegw. n. 935.

Th. radice perpendiculari, caulibus racemoso-ramosis demum divaricato-paniculatis, foliis linearibus subuninervibus obtusiusculis bracteisque ternis subulatis crassiusculis, perianthii fructiferi laciniis nuce oblonga nervulosa, obsolete venoso-reticulata triplo brevioribus.

Icon. Reichb. pl. crit. V. ic. 648. *Syn.* Th. Linophyllum var. Vis. stirp. dalm. p. 49. Th. Linophyllum Alsch. fl. jadr. p. 57. non L. et excl. diagn. (ex loc.) *Hab.* in collibus apricis, locisque saxosis totius Dalmatiae, et praesertim circa Zara, Sebenico, Dernis, Salona, et in insulis Ossero et Brazza. Floret Majo, Junio. ♃.

Obs. Variat foliis angustis, latiusque linearibus, caulibus racemose, aut paniculate ramosis.

440. Thesium humile Vahl. symb. bot. 3. p. 43. Host fl. austr. 1. p. 313. Reichb. fl. exc. p. 158.

Th. radice perpendiculari, caulibus spicato-ramosis, foliis linearibus obtusiusculis uninerviis, bracteisque ternis carnosis, perianthii fructiferi laciniis brevissimis, nuce elliptica crasse nervosa, venoso-reticulata.

Icon. Reichb. icon. bot. cent. VIII. f. 947. Gusson. pl. rar. tab. 19. f. 2. *Hab.* in graminosis insulae Lesina ad portum, ubi invenit b. m. Portenschl. Floret Junio. ♃. (Vid. in herb. Portenschl. et Host.)

Obs. In speciebus hujusce generis statuendis extricandisve notae omnes ex foliorum scabritie vel levitate, bractearum longitudine proportionali, et fructuum pedicello plus minus brevi petitae omnino rejiciendae, cum admodum variant in una eademque planta, quod praesertim inter nostrates obvenit in Th. linophyllo, ramoso et divaricato.

CLVI. Osyris L.

Gen. pl. ed. II. p. 366.

Char. Flores dioici: mares perianthio tripartito, staminibus tri-quatuor, antherarum loculis divergentibus: foeminei perianthio urceolato trifido, ovario tri-quadriovulato, stigmatibus ternis. Drupa, pyrena fragili. — *Cl.* Dioecia. *Ord.* Triandria. *Syst.* sex. —

441. Osyris alba L. sp. pl. ed. II. p. 1450. Vis. stirp. dalm. p. 42. Host fl. austr. 1. p. 42. Reichb. fl. exc. p. 157. Alsch. fl. jadr. p. 15. Pett. bot. Wegw. n. 675.

O. foliis lineari-lanceolatis integerrimis hysteranthiis, floribus axillaribus sparsis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. III. n. 20. Lam. enc. bot. pl. 802. Camer. epit. pl. p. 26. *Illyr.* Metva. Metliza. *Hab.* locis saxosis, collinis, ad sepes circa Zara, Sebenico, Traù, Spalato, Salona, Clissa, Ragusa. Flores e viridi flavescentes, drupa coccinea. Floret Aprili, Majo. ♄.

Usus. Frutex hic ob ramos virgatos copiosos scopis rudioribus conficiendis vulgo adhibetur.

Ordo XXX. THYMELAEAE.

Juss. gen. pl. p. 76. (excl. Quisquali.)

Flores hermaphroditi, raro dioici, bracteolati aut involucrati. Perianthium tubulosum coloratum liberum, disco perigyno carnoso basi intus obductum, limbo 4—5-fido, lobis aestivatione alterne imbricatis. Stamina definita perianthii fauci tubove inserta, ejusdem laciniis numero duplo, raro pauciora aut copiosiora, an-

theris bilocularibus, loculis parallelis contiguis, longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium superum uniloculare, ovulo unico e loculi apice pendulo, stylo simplici, stigmate capitato. Fructus nucamentaceus aut drupaceus, nudus, aut perianthii basi tunicatus, monospermus, semine apice affixo, albumine nullo aut tenui, embryone orthotropo, cotyledonibus plano-convexis, radicula supera.

Frutices, raro herbae, ramis teretibus articulatis, foliis sparsis oppositisve simplicibus indivisis integerrimis, saepe nervosis, exstipulatis.

Clavis analytica generum.

Fructu baccato nudo	Fructu sicco perianthio persistente incluso.
Daphne.	**Passerina.**

CLVII. Daphne L.

Gen. pl. ed. II. p. 134.

Char. Flores hermaphroditi, perianthio infundibuliformi limbo quadripartito deciduo, staminibus octo biseriatis, stylo brevissimo terminali. Drupa baccata nuda. — *Cl.* Octandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

442. Daphne Mezereum L. sp. pl. ed. II. p. 509. Vis. stirp. dalm. p. 33. Host fl. austr. 1. p. 470. Reichb. fl. exc. p. 164. Alsch. fl. jadr. p. 91.

D. floribus lateralibus subternis pubescentibus, laciniis perianthii ovatis acutis, foliis lanceolatis glabris hysteranthiis deciduis.

Syn. D. Cneorum Pett. bot. Wegw. n. 428. non L. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fasc. VII. n. 2. f. 1 — 19. Engl. bot. tab. 1381. Lam. Enc. bot. pl. 290. f. 1. Flor. dan. t. 268. *Illyr.* Mozliniza. *Hab.* in nemorosis regionis subalpinae montium Vellebith et Biokovo. Floret Februario, Martio. Flores rosei fragrantes. Folia gemmae terminalis quandoque synanthia, caetera hysteranthia. ♄.

Usus. Cortex trunci et praecipue radicis vi acerrima, vesicatoria gaudet. Pulvis ejusdem vel decoctum dosi parva porrecta in morbis cutaneis, scrophulosis, siphyliticis arthriticisque commendantur.

443. Daphne alpina L. sp. pl. ed. II. p. 510. Host fl. austr. 1. p. 476. Reichb. fl. exc. p. 164. Pett. bot. Wegw. n. 327.

D. floribus terminalibus aggregatis villosis, laciniis perianthii acuminatis, foliis lanceolatis obovatisque pubescentibus, demum glabratis, synanthiis deciduis.

Icon. C. Gesn. op. bot. p. II. tab. III. n. 7. Barrel. ic. pl. 234. Lobel. icon. stirp. t. 370. f. 1. et advers p. 158. Pluken. phyt. tab. 229. f. 3. *Illyr.* Mozliniza. *Hab.* in rupestribus regionis subalpinae montium Vellebith, Vissosniza prope Sign, et Biokovo. Flores candidi vespere fragrantes. Floret Aprili, Majo. ♄.

444. Daphne Gnidium L. sp. pl. ed. II. p. 511. Reichb. fl. exc. p. 164. Alsch. fl. jadr. p. 91.

D. floribus terminalibus aggregatis paniculatis sericeis, laciniis perianthii obtusis, foliis confertis obverse lineari-lanceolatis acuminato-cuspidatis glabris synanthiis persistentibus.

Icon. Sibth. et Sm. fl. gr. cent. IV. tab. 356. Clus. hist. pl. 1. p. 87. Camer. epit. pl. p. 974. *Hab.* inter frutices locis collinis prope Cattaro, unde communicavit Doct. Noë. Floret a vere in autumnum. Flores albi inodori. ♄.

Usus. Et hujus cortex vesicatorius.

CLVIII. Passerina L.

Gen. pl. ed. II. p. 134.

Char. Flores hermaphroditi, rarius dioici, perianthio infundibuliformi limbo quadripartito persistente, staminibus octo biseriatis, stylo filiformi laterali. Utriculus monospermus perianthio persistente involucratus. — *Cl.* Octandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

445. Passerina annua Wickstr. in act. holm. 1820. p. 320. Alsch. fl. jadr. p. 91.

P. caule herbaceo, superne stricte ramoso, foliis sparsis lanceolato-linearibus planis glabris, floribus axillaribus subsolitariis pubescentibus.

Syn. Stellera Passerina L. sp. pl. ed. II. p. 512. Host fl. austr. 1. p. 478. Reichb. fl. exc. p. 163. Pett. bot. Wegw. n. 914. St. pubescens Gusson. fl. sic. prodr. 1. p. 466. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fasc. 7. n. 3. f. 1—17. Jacq. icon. pl. rar. 1. t. 68. Columm. ecphr. 1. pag. 82. f. 1. *Hab.* in arvis argillosis et inter segetes in tota *Dalmatia*. Fl. pallidi. Fl. a Majo in autumn. ☉.

Obs. Variat caule ramoso aut subsimplici, glabro aut superne pubescente, et foliis floralibus fructu aequalibus, vel brevioribus, vel saepius longioribus, quod obvenit interdum in una eademque spica, ut recte monuit cl. Bertol. in fl. ital. IV. p. 348.

446. Passerina hirsuta L. sp. pl. ed. II. p. 513. Host fl. austr. 1. p. 478. Reichb. fl. exc. p. 163. Alsch. fl. jadr. p. 91. Pett. bot. Wegw. n. 682.

P. caule fruticoso laxe ramoso, ramis nutantibus cano-tomentosis, foliis junioribus imbricatis ovatis carnosis convexis glabris intus tomentosis, floribus terminalibus axillaribusque aggregatis villosis. *Icon.* Sibth. et Sm. fl. graec. cent. IV. tab. 360. Bot. mag. t. 1949. Clus. hist. pl. 1. p. 89. C. Gesn. op. bot. p. II. tab. III. f. 8. *Hab.* in saxosis apricis insulae Sansego in sinu Flanatico (Quarnero), in insulis circa Zara, et in insula Meleda. Flores intus flavescentes. Floret vere et auctumno. ♄.

Ordo XXXI. LAURINEAE.

Venten. tabl. du regn. végét. II. p. 245.

Flores hermaphroditi, aut abortu unisexuales, bracteati aut involucrati. Perianthium calicinum 4—6-fidum disco perigyno carnoso increscente basi intus obductum, lobis alterne biseriatis, aestivatione imbricatis. Stamina definita at numero varia, bi-triserialia, disci margini inserta, intima abortiva, filamentis interioribus latere glandulosis, antherae erectae loculis simplicibus aut bilocellatis connectivo lato immersis discretis, singulis valvula longitudinali persistente a basi ad apicem revolubili dehiscentibus. Ovarium superum uniloculare, ovulo unico e loculi apice pendulo, stylo simplici, stigmate obtuso anguloso. Fructus baccatus aut drupaceus.

nudus vel perianthio cinctus, monospermus, semine inverso, albumine nullo, embryone orthotropo, cotyledonibus plano-convexis, radicula supera.

Arbores frondosae, foliis alternis simplicibus integris nervosis vel penninervibus, saepe coriaceis, perennantibus, exstipulatis.

CLIX. Laurus C. G. Nees ab Es.

Laurin. ind. orient. in Wall. pl. asiat. II. p. 61.

Char. Flores dioici in umbellas simplices involucratas digesti, perianthio quadripartito deciduo: mares staminibus duodecim triserialibus, filamentis omnibus medio bi-glandulosis, loculis simplicibus: foeminei staminibus 2—4 sterilibus biglandulosis hastaeformibus, ovario ovato, stylo crasso, stigmate subcapitato. Bacca carnosa monosperma. — *Cl.* Enneandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex. —

447. Laurus nobilis L. gen. pl. ed. II. p. 529. Vis. stirp. dalm. p. 39. Host fl. austr. 2. p. 667. Reichb. fl. exc. p. 183. Alsch. fl. jadr. p. 93. Pett. bot. Wegw. n. 538.

L. foliis oblongo-lanceolatis coriaceis subundulatis venosis, floribus axillaribus quadripartitis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. VII. n. 4. Sibth. et Sm. fl. graec. cent. IV. tab. 365. Lam. Enc. bot. pl. 321. f. 1. Matthiol. disc. ed. Valgr. 1568. p. 146. *Illyr* Lavorika, Lovor, Lavor. *Hab.* ad sepes circa Traù, et Castelli, et in insulis Brazza et Lesina. Floret a Februario in Aprilem. Flores virides. ♄.

Usus. Folia in pulverem trita contra febres intermittentes, et dispepsiam laudantur. Oleum ex baccis pressum intus sumptum contra vermes, extus inunctum contra tumores frigidos adhibetur.

Ordo XXXII. POLYGONEAE.

Juss. gen. pl. p. 82.

Flores hermaphroditi, aut abortu unisexuales, bracteati, aut involucrati, aut nudi. Perianthium 3—6 phyllum vel 3—6 partitum persistens, partitionibus aestivatione imbricatis, disco perianthii fundum vestiente, rarius in annulum glandulosum incrassato. Stamina omnia fertilia, hujus margini inserta, numero varia antheris incumbentibus bilocularibus rima longitudinali dehiscentibus. Ovarium superum uniloculare, ovulo unico basilari sessili, stylis 2—4, stigmatibus simplicibus vel plumosis. Fructus caryopsis monosperma triquetra nuda vel perianthio inclusa, semine erecto, albumine farinaceo, embryone antitropo, radicula elongata supera.

Herbae (nostrates) nodoso articulatae foliis alternis simplicibus indivisis, petiolo basi vaginante, vel stipulae intrapetiolari clausae vaginiformi (ochrea) inserto.

Clavis analytica generum.

Perianthii lobis subaequalibus, stigmatibus capitatis
Polygonum.

Perianthii phyllis intimis latioribus, stigmatibus plumosis
Rumex.

CLX. Polygonum L.

Gen. pl. ed. V. p. 170.

Char. Perianthium monophyllum coloratum, staminibus 3—8 cum glandulis nectariferis alternantibus, antheris dorso affixis introrsum dehiscentibus, stylis 1—3 erectis, stigmatibus capitatis. Caryopsis perianthio involucrata. — *Cl.* Octandria. *Ord.* Trigynia. *Syst* sex. —

* Bistorta Tourn. instit. p. 511. tab. 291.

Radice subcarnosa contorta, caule simplici, racemo unico terminali.

448. Polygonum viviparum L. sp. pl. ed. II. p. 516. Host fl. austr. 1. p. 484. Reichb. fl. exc. p. 573.

P. foliis oblongis lanceolatisve margine venulosis striatis revolutis subtus glaucis, racemi simplicis floribus inferioribus sessilibus.

Icon. Sm. engl. bot. t. 669. Flor. dan. tab. 13. Clus. rar. pl. hist. p. LXIX. f. dextr. *Hab.* in pascuis alpinis montium Vellebith, ubi legit prof. Alschinger. Floret aestate. Flores rosei. ♃.

Usus. Radix adstringens iisdem inservit usibus ac illa P. Bistortae.

** Persicaria Tourn. inst. p. 510. tab. 290.

Radix fibrosa, caule ramoso racemis pluribus terminalibus aphyllis.

449. Polygonum amphibium L. sp. pl. ed. II. p. 517. Host fl. austr. 1. p. 482. Reichb. fl. exc. p. 572.

P. caule inferius radicante repente, foliis ovato-oblongis lanceolatisve, ochreis nudis, racemo oblongo crasso compacto subsolitario, floribus pentandris.

var. α. natans: foliis natantibus ovato-lanceolatis longe petiolatis glabris. Koch syn. fl. germ. p. 617. *Icon.* Flor. dan. f. 282. Dodon. stirp. hist. p. 582. f. sinistr.

var. β. terrestre: foliis lineari-lanceolatis hirtellis subsessilibus. *Icon.* Dodon. l. c. f. dextr. *Hab.* var. *α.* in aquis fluentibus circa Narentam, ubi eam legit Neumayr, *β.* in pratis udis ad Xerava prope Zara, unde dedit prof. Alschinger. Floret aestate. Flores rosei. ☉.

450. Polygonum Persicaria L. sp. pl. ed. II. p. 518. Host fl. austr. 1. p. 482. Reichb. fl. exc. p. 571.

P. caule ascendente aut erecto divaricate ramoso ad nodos tumidulo, foliis oblongo-lanceolatis, ochreis longe ciliatis, pedunculis eglandulosis, floribus hexandris stylis inferne connatis, fructibus plano-lenticularibus triquetrisque.

Icon. Reichb. icon. bot. cent. V. t. 684. Engl. bot. t. 756. Flor. dan. t. 702. Matth. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 615. *Hab.* locis humidis herbidis, praecedente rarius. Habui ex insula Lesina a prof. Stalio. Floret a Julio in auctumnum. Flores rosei aut viriduli. ☉.

Obs. Num huic vel sequenti pertineat P. Persicaria Alsch. fl. jadr. incertum est ob synonimum P. nodosi ab auctore suae plantae subscriptum. Discrepant inter se hae plantae, caeterum simillimae, ciliorum longitudine, et glandularum praesentia. Caryopsides frequentius occurrunt trigonae in P. Persicaria, compressae sed excavatae in P. nodoso; quandoque tamen utraeque formae in una eademque spica simul observantur.

451. Polygonum nodosum Pers. ench. bot. p. 440. Reichb. fl. exc. p. 572.

P. caule ascendente incrassato-nodoso, foliis oblongo-lanceolatis, ochreis breviter ciliatis, racemis pedunculis glanduloso-scabris, floribus hexandris, stylis liberis, fructibus compressis utrinque excavatis.

Syn. P. lapathifolium Pett. bot. Wegw. n. 721. nec. L. *Icon.* Reichb. icon. bot. cent. V. f. 689. Lobel. icon. stirp. p. 315. f. dextr. Moris. oxon. sect. V. tab. 29. f. 2. ead. ac. Lob. *Illyr.* Lissaz.

β. incanum Reichb. f. exe. p. 572. macrius, foliis subtus lanato-tomentosis. *Syn.* P. incanum Schm. boh. n. 391. Bert. fl. ital. IV. p. 372. P. lapathifolium *β.* incanum Koch. syn. fl. germ. p. 617. P. persicaria *γ.* L. sp. pl. ed. II. p. 518. *Hab.* in ruderatis, udis, aquosis circa Sebenico, Spalato, ad ripas fl. Kerka et Narenta varietas locis siccioribus. Floret a Julio in Octobrem. Flores incarnati aut viriduli. ⊙.

Obs. P. lapathifolium L. sp. pl. ed. II. p. 517. recedit a planta homonyma recentiorum, et nostra floribus pentandris, stylis inferne connatis. Linnaeus pro sua planta Persicariam Hydropiper Lobelii icon. stirp. p. 315. sinistr. citavit, nec Persicariam mitem maculosam ejusdem f. dextr., quae nostro pertinet; hinc et ipse has plantas distinctas esse putavit. P. incanum ob pedunculos glandulosos et fructus compresso-excavatos huc spectat, nec specifice distingui potest, cum folia in eadem planta, praesertim suprema, interdum glabrescant.

452. Polygonum laxiflorum Weih. bot. Zeit. 1826. p. 746. Reichb. fl. exc. p. 571.

P. caule basi radicante adscendente, foliis lanceolatis margine setulosis, ochreis longe ciliatis, racemis filiformibus rarifloris, pedunculis eglandulosis, floribus hexandris, stylis inferne connatis, fructibus compressis.

Syn. P. minus Reichb. icon. bot. cent. V, p. 57. non Huds. *Icon.* Reichb. loc. cit. f. 686. opt. *Hab.* in herbidis udis circa lacum Morinje prope Sebenico, ubi legi. Floret ab aestate in auctumnum. Flores rosei. ⊙.

*** Centumnodia Brunsf. herb. viv. icon. 3. p. 128.

radice fibrosa, caule ramoso, floribus octandris axillaribus fasciculatis, vel in racemos foliolatos digestis.

453. Polygonum aviculare L. sp. pl. ed. II. p. 149. Vis. stirp. dalm. p. 44. Host fl. austr. 1. p. 484. Reichb. fl. exc. 573. Alsch. fl. jadr. p. 92. Pett. bot. Wegw. n. 719.

P. caule procumbente, foliis oblongis lanceolatisve, ochreis demum multifidis, ramis ad apicem usque foliatis, fructibus triquetris seriato-punctulatis.

Icon. Flor. dan. t. 803. Lam. enc. bot. p. 315. f. 1. Engl. bot. t. 1252. Blackw. herb. 2. tab. 315. *Illyr.* Mala travicza. Duornik. *Hab.* ubique ad vias. Floret aestate. Flores ex albido aut rubello virentes. ⊙.

Usus. Olim uti adstringens adhibitum, nunc desuetum. *Obs.* Variat mirimode foliis ovatis, ellipticis, oblongis, lanceolatis, angustis, obtusis et acutis, caule quoque erectiusculo: qui lusus citatas icones conferenti facile patent.

454. Polygonum Bellardi. Allion. fl. ped. 2. p. 207.

P. caule erecto superne ramoso, ramis floriferis virgatis gracilibus subaphyllis,

foliis lanceolatis cuspidatis, floralibus diminutis, ochreis demum multifidis, fructibus triquetris conferte et minutissime rugulosis.

var. α. foliis floralibus flores superantibus. *Icon.* All. loc. cit. tab. XC. f. 2.

var. β. foliis floralibus flore minoribus angustissimis.

Syn. P. Bellardi Host fl. austr. 1. p. 485. Reichb. fl. exc. p. 573. *Icon.* Barrel. icon. 360. f. 2. rudis. *Hab.* in locis cultis, ad agrorum margines in insulis Veglia et Lesina, circa Zara, Sebenico, Trau, Spalato, Ragusa. Floret aestate. Flores ex albido aut rubello virentes. ⊙.

Obs. Varietati alterae pertinere credo P. geniculatum Poir. enc. bot. ed. Pat. vol. VI. p. 136. P. patulum Marsch. fl. taur. caucas. 1. p. 304. et P. monspeliense Pers. ench. bot. I. p. 439. Haec habitu elato erecto, ramis gracilibus fractiflexis, superne fere aphyllis ideoque spicas rarifloras mentientibus omnino recedit a P. aviculari. Flores nec subsessiles nec solitarii, ut de hac specie ait cl. Sprengel in syst. veg 2. p. 155. Fructus in hac confertissime nec seriatim punctulati.

455. Polygonum arenarium. Waldst. et Kit. pl. hung. 1. p. 69. Host. fl. aust. 1. p. 485. Reich. fl. exc. p. 573. Alesch. fl. jadr. p. 92.

P. caule decumbente diffuso, ramis floriferis tenuibus subaphyllis, foliis oblongo-linearibus obtusiusculis, floralibus obsoletis, ochreis multifidis, fructibus triquetris conferte et minutissime rugulosis.

Icon. Waldst. et Kit. l. c. tab. 67. *Hab.* locis herbidis circa Zara, et copiose ad lacum Morinje prope Sebenico, ubi primum inveni. Floret Aug. Octobri. Flores rosei. ⊙.

Obs. Affine P. controverso Guss. fl. sic. prodr. 1. p. 471., quod juxta specimen a cl. inventore benevole communicato praesertim, ni unice, differt caule basi suffrutescente, nam folia stricta et margine undulato-crispa notas haud constantes praebere ex eodem specimine edoctus sum. Affinius vero huic nostro, recte observante cl. Reichb., est P. pulchellum Lois. nouv. not. 19. et fl. Gall. 1. p. 284. tab. 26, et forsan idem, nam stipulae scariosae sunt in utroque, nec membranaceae ut de P. arenario suo eas dixit cl. auctor. Folia floralia equidem in icone fl. gall. pinguntur longiora ac in nostro, sed hanc notam variare video in P. Bellardi, et in ipso P. controverso, ideoque num ad species simillimas dissociandas sufficiat, dubito.

456. Polygonum maritimum L. sp. pl. ed. II. p. 519. Host fl. austr. 1. p. 484. Reichb. fl. exc. p. 574.

P. caule basi suffrutescente, ramis declinatis omnino foliatis, foliis ellipticis oblongisve venosis glaucis crassiusculis, margine revolutis, ochreis multinerviis maximis demum multifidis, caryopside laevissima triquetra.

Icon. Sibth. fl. gr. cent. IV. tab. 363. Sant. viagg. al Mont. 3. tab. IV. Barrel. icon. pl. 560. f. 1. Camer. epit. p. 691. f. sinistr. *Hab.* in arenosis insulae Lesina, et prope Ragusa. Floret Julio, Augusto. Flores albidi aut rosei. ♃.

**** **Tiniaria** Meisn. polyg. Reichb. fl. exc. p. 574.

radice fibrosa, caule volubili, foliis cordatis, ochreis integris nudis, floribus octandris monogynis laxis, axillaribus racemosisque.

457. Polygonum Convolvulus L. sp. pl. ed. II. p. 522. Host fl. austr. 1. p. 486. Reichb. fl. exc. p. 574. Alesch. fl. jadr. p. 92. Pett. bot. Wegw. n. 720.

P. foliis cordato-sagittatis, perianthii ovalis laciniis obtuse carinatis, fructibus opacis.

Icon. Flor. dan. t. 744. Engl. bot. t. 941. ZANNICH ist. delle piante ven. tab. 146. *Hab.* ubique in cultis. Flor. ab aestate in auctumnum. Fl. virides. ⊙.

458. Polygonum dumetorum L. sp. pl. ed. II. p. 522. HOST l. c. REICHB. l. c.

P. foliis cordato sagittatis, perianthii obovati laciniis alato-membranaceis, fructibus nitidis.

Icon. Fl. dan. t. 756. DODON. pempt. p. 396. f. 1. LOB. ic. stirp. p. 624. *Hab.* ad sepes circa Narenta, ubi legit NEUMAYER. Flores et anthesis praecedentis. ⊙.

Obs. Icon Dodonaei, etsi a Linnaeo ad praecedens citata, huc cum cl. REICHB. melius spectare arbitror ob descriptionem fructuum a Dodonaeo ipso p. 395 datam, ipsorumque figuram in icone ipsa, et praecipue in ejusdem ramulis ad laevam positis bene repraesentatam.

***** **Fagopyrum** TOURN. inst. p. 511. tab. 290.

radice fibrosa, caule erecto, foliis cordatis, ochreis integris nudis, floribus octandris trigynis racemosis.

459. Polygonum Fagopyrum L. sp. pl. ed. II. p. 522. HOST fl. austr. I. p. 485. REICHB. fl. exc. p. 574. ALSCH. fl. jadr. p. 92.

P. foliis cordato-sagittatis, racemis densifloris axillaribus solitariis, terminalibus corymbosis, fructibus trigonis ad angulos integerrimis.

Syn. Fagopyrum vulgare C. F. NEES gen. pl. fasc. VIII. n. 8. *Icon.* C. F. NEES. l. c. Tabernaemon. icon. stirp. p. 276. f. int. MATTHIOL. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568 p. 418. *Illyr.* Elda. *Hab.* sponte in Asia: colitur in solo macriori ob fructus farinaceos. Floret aestate. Flores rosei vel albi.

CLXI. Rumex L.

gen. pl. ed. II. p. 126.

Char. Perianthium hexaphyllum, phyllis interioribus majoribus conniventibus, staminibus sex phyllorum basi geminatim adfixis, antheris basifixis lateraliter dehiscentibus, stylis tribus reflexis, stigmatibus penicillatis. Caryopsis phyllis interiobus tecta. — *Cl.* Hexandria. *Ord.* Trigynia. *Syst.* sex. —

* **Acetosa** TOURN. inst. p. 502. tab. 287.

foliis basi hastatis, floribus dioicis polygamisve.

460. Rumex Acetosa L. sp. pl. ed. II. p. 481. VIS. stirp. dalm. p. 46. HOST fl. austr. 1. p. 459. REICHB. fl. exc. p. 568. ALSCH. fl. jadr. p. 85 (excl. syn.). PETT. bot. Wegw. n. 787.

R. foliis sagittatis hastatisve basi alterne nervosis acute auriculatis, ochreis elongatis fimbriato-laceris, phyllis perianthii interioribus cordato-orbiculatis basi minute calliferis, floribus dioicis.

Syn. R. Pseudo-Acetosa BERTOL. fl. ital. IV. 252. *Icon.* C. F. NEES gen. pl. 8. no. 9. BLACKW. herb. tab. 230. MORIS. oxon. 2. sect. V. t. 28. f. 1. MUNTING de herb. brit. p. 174. *Illyr.* Kisseliaça. Kifsjelicza. *Hab.* frequentissima in pratis locisque herbidis totius Dalmatiae. Floret vere et autumno. Flores e viridi rubentes. ♃.

Usus. Planta acidula refrigerans diuretica, intus sumpta scorbuticis prodest, extus applicita tumores emollit. Paratur ex ipsa succus, ex succo et saccharo syrupus gratam aquae aciditatem impertiens. *Obs.* Hunc esse verum R. Acetosam LINNAEI nec Acetosam hortorum, ex hoc mihi persuasum habeo, quod LINNAEUS suam speciem statuerit supra plantam in pratis Europae universa communissimam, scilicet supra nostram: quam rem elucere puto tum ex auctoribus ab ipso citatis, qui omnes de planta spontanea sermonem habent, tum ex loco natali huic plantae adscripto Europae pascua, ubi stirps hortensis vel nullibi, vel certe non ubique crescit. Ergo si haec postrema reapse differt phyllis perianthii interioribus ovatis nec orbiculatis, grano oblongo phyllum dimidium excedente, nec minuto eoque triplo breviore praeditis, ut monet cl. BERTOL. in fl. ital. t. IV. p. 255, haec potius quam nostra novo nomine distingui debet, et R. hortensis apte salutari meretur.

461. Rumex arifolius. ALL. miscell. taurin. V. p. II. pag. 94 (1773) nec L. fil. suppl. (1781). REICHB. fl. exc. p. 568.

R. foliis hastato-sagittatis basi radiatim nervosis, late breviterque auriculatis, superioribus triangularibus, ochreis brevissimis truncatis integerrimis, phyllis interioribus cordato-orbiculatis, callo baseos minuto vel nullo, floribus dioicis.

Syn. R. montanus DESF. tabl. ed. II. p. 48. BERTOL. fl. ital. IV. p. 255. R. Acetosa *var.* δ. L. sp. pl. ed. II. p. 481. *Icon.* Munt. de herb. brit. p. 213. bene. Habui cultam in ins. Lesina a prof. STALIO. Floret Junio, Julio. Flores e viridi et rubro varii.

Obs. Icon BOCCONII Mus. di piante rar. p. 165. foliis subrotundo-cordatis nostrae non quadrat ideoque nec syn. LINNAEAN. varietatis ε. a quibusdam huc ductum.

462. Rumex tuberosus. L. sp. pl. ed. II. p. 481. REICHB. fl. exc. p. 568.

R. radice filipendula tuberibus ovali-fusiformibus, foliis hastato-lanceolatis, auriculis acutis patulis, ochreis elongatis laceris, phyllis interioribus cordato-orbiculatis, callis baseos minutis, oblongis, floribus dioicis.

Icon. SIBTH. fl. gr. cent. IV. tab. 348. ZANON. hist. bot. 4. J. BAUH. hist. pl. 2. p. 991. LOB. ic. stirp. p. 291. *Hab.* in umbrosis montis Vlastiza, oliorumque circa Ragusa, nec non in insula Bua ad Tragurium. Flores rubelli. Fl. vere et ineunte aestate. ♃.

Obs Haec ex loco natali est Acetosa tuberosa serpeggiante con macchie sanguigne di Ragusi, quam descripsit Zanonius, quaeque a R. tuberoso L. neutiquam separari potest. Tubera variant longiora et breviora, fibrae crassiores vel tenues.

463. Rumex Acetosella L. sp. pl. ed. II. p. 481. HOST. fl. austr. 1. p. 459. REICHB. fl. exc. p. 568. ALSCH. fl. jadr. p. 86.

R. radice fibrillosa repente, foliis hastato-lanceolatis trinerviis acutis auriculis rectangulo patentibus ochreis elongatis demum laceris, phyllis interioribus subrotundo-cordatis reticulato-venosis ecallosis, floribus dioicis.

Icon. Engl. bot. tab. 1674. Flor. dan. t. 1161. BLACKW. herb. t. 307. MUNT. de herb. brit. t. 182. MATTHIOL. disc. in Diosc. ed. Valg. 1568. p. 475.

β angustifolius: foliorum lobis omnibus lanceolato-linearibus, linearibusve integris. L. sp. pl. l. c. *Icon.* Ger. the herb. p. 398. TABERNM. ic. stirp. p. 441. f. 1. MUNT. de herb. brit. f. 189.

γ. multifidus: foliorum auriculis palmato-multifidis. *Syn.* R. Acetosella δ. L.

l. c. R. multifidus L. l. c. *Icon.* Sibth. fl. gr. cent. IV. tab. 349. Boccon. mus. di piant. tab. 126. f. 2. (excl. surculo auric. integris). *Hab.* in pascuis, et locis arenosis circa Much, Ragusa, Cattaro, in insula Lesina, etiam in montibus Vellebith, Ràdigne, Lubljan, Vlastiza, Sella, species promiscue cum varietatibus. Floret a Majo ad Julium. Flores viriduli, aut fusci. ♃.

Obs. Lobi foliorum etiam in R. multifido trinerviii sunt, eorumque forma variat a lineari ad ovalem, et ab integra ad multifidam, ita ut in uno eodemque specimine folia auriculis integris cum laciniatis commixta in herbario meo prostent. Bocconius sub sua Acetosa minore erecta lobis multifidis surculum sterilem exhibuit auriculis integris prope iconem R. multifidi, forsan ex eo quod eodem loco ambos collegerit, nam insimul crescunt.

464. Rumex scutatus. L. sp. pl. ed. II. p. 480. Host fl. aust. 1. p. 458. Reichb. fl. exc. p. 568. Alsch. fl. jadr. p. 85. Pett. bot. Wegw. no. 793.

R. radice repente tereti, foliis cordato-hastatis glaucis, ochreis demum laceris, racemo laxifloro, phyllis interioribus elliptico-subrotundis orbiculatisve membranaceis radiato-venosis ecallosis, floribus polygamis.

Icon. Blackw. herb. t. 306. Munt. de herb. brit. f. 200. Lobel. ic. stirp. p. 292. Dodon. pempt. p. 649. f. ext. (ead. ac Lobel). *Hab.* in lapidosis rupestribus circa Novegradi et Almissa, nec non in montibus Mossor, Biokovo, et Orien. Floret a vere in aestatem. Flores flavido-rubelli. ♃.

Obs. Variat foliis deltoideis, et huc pertinet R. glaucus Jacq. coll. 1. p. 64. et Icon. rar. 1. t. 67., et foliis hastato-panduriformibus, et tunc est R. hastifolius Bieb. fl. taur-cauc. 1. p. 290. Tum species tum variationes ambae occurrunt in Flora nostra, sed una in alteram pro loci diversitate transit, et ne ut varietates quidem habendae sunt.

** Lapathum. Tourn. inst. p. 504.

foliis basi attenuatis rotundatis cordatisve, fl. hermaphroditis.

465. Rumex pulcher L. sp. pl. ed. II. p. 477. Vis. stirp. dalm. p. 46. Host fl. aust. 1. p. 457. Reichb. fl. exc. p. 569. Alsch fl. jadr. p. 85. Pett. bot. Wegw. n. 792.

R. foliis infimis cordato-panduriformibus, supremis linearibus, ramis divaricatis, phyllis perianthii interioribus subspicato-dentatis foveolatis, subunico callifero.

Icon. Reichb. ic. bot. cent. V. f. 679. Engl. bot. t. 1576. Moris. hist. pl. 2. s. 5. t. 27. f. 13.

β. divaricatus: foliis cordato-oblongis cauleque inferne lanuginosis. *Syn.* R. divaricatus L. sp. pl. ed. II. p. 478. *Icon.* Tilli hort. pis. t. 37. f. 2. *Illyr.* Sctavelj. Sctavljak. *Hab.* in cultis incultisque totius Dalmatiae frequens, var. circa Lesina. Floret aestate. Flores herbacei. ♃.

Usus. Folia cocta edulia prout illa Betae. *Obs.* Folia plus minusve panduriformia vel integra, plus minusve glabra aut lanuginosa, et phylla perianthii interna in specie quidquam angustiora ac in varietate, cum notas constantes haud praebeant, ad hanc ab illa dirimendam minime sufficere credo.

466. Rumex bucephalophorus L. sp. pl. ed. II. p. 479., qui a cl. Host fl. austr. 1. p. 458. fide cl. Portenschlag in Dalmatiae vineis et satis oriri dicetur, nec ibidem usque adhuc repertus, nec in herbario Porten-

SCHLAGI invenitur, et in ipso herbario HOSTII specimen dalmaticum desideratur, cum illuc tantum exemplar adsit circa Nicaeam Liguriae collectum.

467. Rumex Patientia L. sp. pl. ed. II. p. 476. HOST fl. austr. 1. p. 455. REICHB. fl. exc. p. 570.

R. foliis ovato-lanceolatis planis, infimis basi subcordatis, supremis lanceolatis, petiolis canaliculatis, ramis erectis, phyllis interioribus late cordato-ovatis obtusis integris basive crenulatis, unico callifero.

Icon. GAERTN. de fr. et sem. 2 tab. 119. f. 2. BLACKW. herb. 2. t. 489. DODON. pempt. p. 648. f. 2. *Illyr.* Sctavelj, Sctavljak pitomi. *Hab.* ad fossas et agrorum margines circa Dernis. Floret aestate. Flores herbacei. ♃.

468. Rumex crispus L. sp. pl. ed. II. p. 476. HOST fl. austr. 1. p. 456. REICHB. fl. exc. p. 570. ALSCH fl. jadr. p. 85. PETT bot. Wegw. no. 790.

R. foliis oblongo-lanceolatis acutis crispo-undulatis, infimis basi subemarginatis, supremis lanceolatis, ramis erectis, phyllis interioribus late cordatis obtusis integris basive crenulatis, omnibus calliferis.

Icon. REICHB. icon. bot. cent. IV. f. 783. Engl. bot. t. 1998. LAM. Enc. pl. 271. f. 4. MUNT. de herb. brit. fol. 104. *Illyr.* Sctavelj. Sctavljak. Konjski sctavelj. *Hab.* iisdem locis ac praecedens, nec non circa Zara, Sebenico, Salona. Floret aestate. Flores herbacei. ♃.

Obs. Interdum, immo apud nos frequenter, callus unus oblongus magnus, caeteri minuti abortivi. Folia quoque ludunt angustiora, et planiora ac in specie.

469. Rumex aquaticus L. sp. pl. ed. II. p. 479. HOST fl. austr. 1. p. 457. REICHB. fl. exc. p. 569.

R. foliis infimis cordato-ovatis acutis, petiolis canaliculatis, supremis lanceolatis, ramis erectis, phyllis interioribus cordatis ecallosis.

Icon. REICHB. icon. bot. cent. IV. f. 553. opt. BLACKW. herb. 2. t. 490. CAMER. epit. p. 232. *Hab.* in aquosis prope Ragusa, unde misit Rubrizius. Fl. aestate. Flores herbacei. ♃.

Obs. Planta Linnaeana ob phrasim diagnosticam huc certe spectat, quamvis LINNAEUS sub hac specie citaverit synonima Tabernaemontani et Muntingi ab illa profecto aliena, et potius R. Hydrolapathum HUDS., qui R. aquaticus SM, referentia. Postremus hic a prof. ALSCHINGER in flora jadrensi enumeratus hactenus mihi in Dalmatia invisus.

470. Rumex conglomeratus MURR. prodr. stirp. gotting. p. 52. (1770).

R. foliis infimis subcordato-vel ovato-oblongis acutis, ramis divergentibus, verticillis foliatis, phyllis interioribus lineari-oblongis obtusis integris, omnibus calliferis.

Syn. R. glomeratus SCHREB. spic. fl. lips. p. 64. (1771). REICHB. ic. bot. IV. 552. HOST fl. austr. 1. p. 457. *Syn.* R. Nemolapathum EHRH. Beitr. 1. p. 181 (1787). REICHB. fl. exc. p. 570. ALSCH. fl. jadr. p. 85. (exclus. syn.) R. acutus SM. engl. fl. 2. p. 192. VIS. stirp. dalm. p. 46. nec L. *Icon.* REICHB. icon. bot. IV. f. 552. SM. engl. bot. t. 724. LOBEL. ic. stirp. p. 284. f. int. MUNT. de herb. brit. f. 132. *Illyr.* Sctaveal. Sctavljak veliki. *Hab.* ad

ripas, et fossas circa Zara, Knin, Dernis, Sebenico, Spalato et alibi. Floret Majo. Fl. flavo-virides, serius cum fructu interdum rubelli. ♃.

Obs. Tum ob notam valvulis dentatis, qua Linnaeus Rumicem acutum suum designavit quaeque in nostro desideratur, tum ob citationem iconum Lapathi acuti Bauh. et Lobelii, a quibus nomen ipsum plantae desumpsit, quaeque nostro nullimode pertinent, dum e contra citationem emisit Lapathi acuti minimi eorundem auctorum, cujus icones nostrum certe exhibent, hic nequit esse R. acutus L. Quid sit R. acutus Alsch. fl. jadr. p. 85 me latet.

Ordo XXXIII. PHYTOLACCEÆ.

R. Br. in Tuckey Cong. p. 454.

Flores hermaphroditi, rarissime dioici, bracteolati, saepissime racemosi. — Perianthum 4 — 5 partitum coloratum persistens, partitionibus aestivatione imbricatis, disco obsoleto ejusdem fundum vestiente. Stamina omnia fertilia hypogyna, numero varia, 8 — plura, antheris bilocularibus introrsum longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium e germinibus pluribus uniovulatis compositum, stylis totidem recurvis, intus papilloso-stigmaticis. Fructus bacca carnosa perianthio succincta, raro nucamentaceus, plurilocularis, loculis monospermis, semine erecto, embryone annulari periphaerico albumen farinosum cingente, radicula infera.

Herbae aut frutices ramis angulatis, foliis sparsis, interdum suboppositis, simplicibus indivisis integerrimis, in petiolum attenuatis, exstipulatis.

CLXII. Phytolacca Tourn.

inst. r. herb. 1. p. 299. t. 154.

Char. Flores racemosi. Perianthium 5 — partitum, antheris dorso affixis, loculis discretis, ovarii germinibus 5 — 12 coalitis, baccae globosae sulcatae loculis 5 — 12 monospermis. — *Cl.* Decandria. *Ord.* Decagynia. — *Syst.* sex. —

471. Phytolacca decandra L. sp. pl. ed. II. p. 631. Host fl. austr. 1. p. 563. Reichb. fl. exc. p. 586. Alsch. fl. jadr. p. 103.

P. floribus decandris decagynis L. loc. cit.

Icon. C. F. Nees gen. pl. f. VIII. no. 2. Lam. enc. bot. pl. 393. f. I. Dillen. h. elth. 2. t. 239. f. 309 — 310. *Hab.* in arenosis ad mare circa Almissa et Ragusa, nec non in insula Lesina. Flores rosei, bacca atropurpurea succo concolore. Floret Julio. Sept. ♃.

Usus. Baccae succum tinctorium praebent.

Ordo XXXIV. CHENOPODEAE.

Vent. tabl. veg. II. p. 253.

Flores hermaphroditi aut unisexuales solitarii vel glomerati. Perianthium calycinum 2 — 5 phyllum vel partitum, vel 4 — 5 fidum persistens, partitionibus aestivatione imbricatis, post anthesim saepe auctum vel mutatum, rarissime peltatum carnosum. Stamina perianthii partitionibus numero aequalia et opposita, vel pauciora, receptaculo aut disco hujusce fundum vestienti inserta, antheris introrsis bilocularibus longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium superum unicoculare, ovulo unico placentae basilari inserto, aut e funiculo brevi pendulo, stigmata 2 — 4 stylis filiformibus distinctis, vel basi in unum connatis. Fructus utricularis pe-

rianthio aucto aut mutato varie cinctus evalvis monospermus, semine reniformi, embryone nunc annulari peripherico albumen farinaceum cingente, nunc cochleato et albumine evanido, radicula umbilico proxima.

Herbae aut frutices caulibus foliatis, interdum articulatis aphyllis, foliis in solo Thelygono stipulatis.

Clavis analytica generum.

Caule continuo vide No. . . . 1	Caule articulato **Salicornia.**
1 Perianthiis conformibus 2	Perianthio masculo a foemineo diverso 8
2 Floribus bracteolatis 3	Floribus ebracteolatis 5
3 Perianthii laciniis demum alatis . 4	Perianthii laciniis semper apteris **Suaeda.**
4 Staminibus disco glandulosa insertis **Salsola.**	Staminibus receptaculo insertis **Halogeton.**
5 Perianthio quinquefido 6	Perianthio quadrifido **Camphorosma.**
6 Perianthio immutabili 8	Perianthii basi demum incrassata indurata **Beta.**
7 Stigmatibus longe subulatis **Agathophyton.**	Stigmatibus brevissimis **Chenopodium.**
8 Stigmatibus 2 — 4 9	Stigmate unico **Thelygonum.**
9 Stigmatibus binis **Atriplex.**	Stigmatibus quatuor **Spinacia.**

Subord. I. CYCLOLOBEAE. C. A. Mey. in Ledeb. fl. alt. 1. p. 370.

seminis albumine centrali copioso embryone peripherico annulatim cincto.

Tribus I. SALICORNIEAE id. l. c. p. 371.

caule articulato, floribus spicatis hermaphroditis.

CLXIII. Salicornia Tourn.

Coroll. inst. r. herb. p. 51. tab. 485.

Char. Flores in spicae rhachide immersi, quoque articulo terni, decussatim oppositi, foliis floralibus connato-vaginantibus bracteati. Perianthium squamiforme peltatum carnosum rima hians, staminibus 1—2 rhachidi foveolis insertis, pistillo unico stigmate bifido vel multifido, stylo crasso, ovulo basilari. Fructus utriculus compressus, semine verticali. — *Cl.* Monandria. *Ord.* Monogyn. *Syst.* sex.

472. Salicornia herbacea. L. sp. pl. ed. II. p. 5. Host fl. austr. 1. p. 32. Reichb. fl. exc. p. 576. Alsch fl. jadr. p. 1. Pett. bot. Wegw. n. 800.

S. radice annua, caule herbaceo erecto ramis adscendentibus gracilibus, articulis compressis, internodiis obconicis, spicis pedunculatis cylindricis apice attenuatis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. VII. no. 17. f. 1—5. Lam enc. bot. pl. IV. f. 1. Flor. dan. t. 303. Engl. bot. t. 415. *Hab.* in maritimis circa Zara, Traci, Salona et ad salinas Pago et Stagno. Flores viriduli. Floret Aug. Oct. ⊙.

473. Salicornia fruticosa. L. sp. pl. ed. II. p. 5. Host fl. austr. 1. p. 32. Reichb. fl. exc. p. 576. Pett. bot. Wegw. n. 799.

S. radice perenni, caule suffruticoso, ramis erectis, articulis et internodiis teretibus, spicis breviter pedunculatis cylindricis obtusis.

Syn. Engl. bot. t. 2467. Lam. enc. bot. pl. 4. f. 2. Camer. epit. t. 246. *Hab.* in maritimis insulae Cherso prope Lossin, et in salsis palustribus lacus Morinje prope Sebenico, nec non Stagno ad salinas. Flores e flavo viriduli. Fl. Aug., Sept. ♄.

474. Salicornia macrostachya. Moric. fl. ven. p. 2. Reichb. fl. exc. p. 576.

S. radice perenni caule fruticoso ramis strictis, articulis et internodiis subteretibus, spicis subsessilibus cylindraceo-clavatis obtusis.

Syn. S. fruticosa Alsch. fl. jadr. p. 1. non L. *Icon.* Gusson. fl. sicul. tab. 3. *Hab.* in maritimis insulae Calogerà prope Zara, unde misit prof. Alschinger. Flores e flavo viriduli. Fl. Aug., Sept. ♄.

Obs. Planta omnino lignosa, praecedente robustior, spicis dense aggregatis pollicaribus crassis clavatis trunco adpressis, fere sessilibus, et articulis superioribus diametro longitudinem subaequantibus a S. fruticosa discriminatur, quae ob truncum minus solidum, spicas adscendentes sparsas cylindricas breviter pedunculatas, et articulos superiores steriles crassitie propria tripla longiores, nec non ob habitum universum cum illa confundi nequit. *Usus.* Ex cinere Salicorniarum paratur Subcarbonas Sodae impurus, vulgo Soda, saponibus conficiendis tum artibus tum Medicinae utilis.

Tribus II. ATRIPLICEAE C. A. Mey. l. c.

caule continuo, floribus unisexualibus polygamisque, perianthio masculo a foemineo diverso.

CLXIV. Spinacia Tourn.

inst. r. herb. p. 533. tab. 308.

Char. Flores dioici ebracteolati glomerati sessiles: masculi terminales perianthio aequaliter 4—5 partito, staminibus 4—5 receptaculo insertis: foeminei axillares perianthio ventricoso persistente bi-trifido, ovario perianthio incluso, stylo brevissimo stigmatibus quatuor longe filiformibus. Fructus nucula perianthio adhaerente immutato, aut dorso bi-tricorni clausa, semine verticali. *Cl.* Dioecia. *Ord.* Pentandria. *Syst.* sex. —

475. Spinacia oleracea. L. sp. pl. ed. II. p. 1456. Reichb. fl. exc. p. 578.

S. foliis hastato-sagittatis, et bisagittatis, fructibus spinosis.

Syn. S. spinosa Moench. meth. pl. 318. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fasc. VII. no. 15. f. 1—26. Lam. enc. bot. pl. t. 814. Blackw. herb. 1. t. 49. *Illyr.* Spanjak. Spinae. *Hab.* in Oriente. Colitur inter olera cum sequente. Fl. Majo — Julio. Flores flavo-viriduli. ⊙ vel ♂.

476. Spinacia glabra. Mill. gard. dict. n. 2. Vis. stirp. dalm. p. 48.

S. foliis oblongo-ovatis, fructibus inermibus Reichb. fl. exc. p. 578.

Syn. S. oleracea var *β.* L. sp. pl. ed. II. p. 1456. S. inermis Moench. meth. pl. 318. Reichb. l. c. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fac. VII. no. 15. f. 27—29.

Moris. hist. pl. sect. 5. t. 30. f. 2. *Hab.* et colitur ut praecedens. Floret eodem tempore et illius forte varietas. Commiscuit prof. Alsch. in fl. jadr. p. 229, praeeunte cl. Sprengel. ⚇ vel ♂.

CLXV. Atriplex L.

Gen. pl. ed. II. p. 385.

Char. Flores polygami ebracteolati: masculi et hermaphroditi perianthio aequaliter 3—5 partito, staminibus totidem receptaculo insertis, ovario depresso saepius abortiente, semine horizontali foeminei perianthio diphyllo ovarioque compresso, stylo subnullo, stigmatibus binis filiformibus. — *Cl.* Polygamia. *Ord.* Monoecia. *Syst.* sex. —

* foliis utrinque concoloribus.

477. Atriplex portulacoides. L. sp. pl. ed. II. p. 1493. Vis. stirp. dalm. p. 27. Host fl. austr. 1. p. 319. Alsch. fl. jadr. p. 232. Pett. bot. Wegw. n. 143.

A. caule fruticoso, foliis oppositis lanceolato-obovatis integris petiolatis utrinque argenteo-squamulosis, perianthiis fructiferis trilobis dorso muricatis longitudinaliter connatis, pericarpio adhaerentibus.

Syn. Obione portulacoides Moq-Tandon. Chenop. enum. p. 75. Halimus portulacoides Wallr. sched. crit p. 117. Reichb. fl. exc. p. 576. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fasc. VII. no. 13. f. 16—17. Engl. bot. t. 261. Donat. tratt. de sempl. p. 74. *Hab.* ad littora maris tum in continente tum in insulis frequens. Floret aestate. Flores pallide flavi. ♄.

Obs. A. Halimum a prof. Alsch. in fl. jadr. indicatum hucusque non vidi.

478. Atriplex hortensis. L. sp. pl. ed. II. p. 1493. Host fl. austr. 1. p. 319. Reichb. fl. exc. p. 577. Alsch. fl. jadr. p. 232.

A. caule herbaceo erecto foliis alternis cordato-triangularibus sinuato-dentatis acutis viridibus, superioribus ovato-lanceolatis obtusis, perianthiis fructiferis rotundato-ovatis integris dorso laevibus, inter se et a pericarpio liberis.

Icon. C. F. Nees. gen. pl. fasc. VII. no. 12. f. 18—21. Blackw. herb. t. 99. Matth. disc. in Diosc. ed Valgr. 1568. p. 487. *Illyr.* Lobòda. Colitur et occurrit ad pagos, et hortos in tota Dalmatia. Floret aestate. Fl. herbacei. ⊙.

Usus. Herba omnis oleracea. *Obs.* Nomen plantae communius neutrum est, sed usurpatum fuit etiam genere masculino et foemineo.

479. Atriplex patula L. sp. pl. ed. II. p. 1494. Vis. stirp. dalm. p. 27. Host. fl. austr. 1. p. 321. Reichb. fl. exc. p. 577. Alsch. fl. jadr. p. 232 excl. syn. Pett. bot. Wegw. n. 142.

A. caule herbaceo patule ramoso, foliis alternis, inferioribus subdeltoideo-lanceolatis linearibusque, perianthiis fructiferis rhombeo-triangularibus.

α. integrifolia foliis indivisis, basi attenuatis. *Icon.* C. F. Nees. gen. pl. fasc. VII. no. 12. f. 1 et 9—14. Matthiol. disc. in Diosc. ed. Valgr. p. 488. Lobel. icon. stirp. p. 257. f. ext.

β. hastaefolia: foliis hastato-lanceolatis, basi attenuatis, utrinque unilobatis, lobis erectis. *Icon.* Flor. dan. t. 1285. Scop. delic. insubr. tab. VII.

γ. triangularis: foliis triangularibus basi truncatis, integris dentatisve, lobis

baseos patulis. *Syn.* A. triangularis. W. sp. pl. 4. p. 963. Vis. stirp. dalm. p. 27. Reichb. fl. exc. p. 578. *Icon.* Flor. dan. t. 1286. Moris. hist. pl. sect. 5. tab. 32. f. 14. *Illyr.* Lobòda divlja. *Hab.* ad vias, in sterilibus; varietates α. et γ. in maritimis. Floret aestate. ⊙.

Obs. Ex ipsius Linnaei verbis, „foliis subdeltoideo-lanceolatis", ex synonimo Bauhini, et ex icone Lobelii a L. ipso citatis species Linnaeana ea est, quam sub var. α. proposui. Reliquae ab ista sejungi nequeunt, nam et folia variant, et forma perianthii semper triangularis est, quandoque tamen in media basi paullisper in pedicellum attenuatur, quo fit ut aliquid rhomboidei assequatur, sed et hoc in casu laevissima est differentia. Perianthia insuper in hac specie variare integra et denticulata, dorso muricata et laevia cuique notum. Hinc A. patulam L. ab A. triangulari W. seu A. latifolia Wahlenb. cum cl. Moquin-Tandon (Chenop. enum. p. 54.) minime differre credo.

480. Atriplex litoralis L. sp. pl. ed. II. p. 1494. Host fl. austr. 1. p. 321. Reichb. fl. exc. p. 577.

A. caule herbaceo erecto, foliis alternis petiolatis lineari-lanceolatis integris viridibus, infimis interdum rare denticulatis, perianthiis fructiferis rhombeo-ovatis.

Syn. A. angustifolia Sm. fl. brit. 4. p. 258. Reichb. fl. exc. p. 577. Pett. bot. Wegw. n. 140. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. fasc. VII. n. 12. f. 2—8. Engl. bot. t. 708. Flor. dan. t. 1287. J. Bauh. hist. pl. 2. p. 973. f. 4. *Hab.* in arenosis maritimis totius Dalmatiae frequens. Floret aestate. Flores virides. ⊙.

* * foliis subtus argenteo squamulosis.

481 Atriplex laciniata L. sp. pl. ed. II. p. 1494. Host fl. austr. 1. p. 320. Reichb. fl. exc. p. 578. Alsch. fl. jadr. p. 232.

A. caule herbaceo patule ramoso, foliis alternis, infimis oppositis, petiolatis deltoideis sinuato-dentatis, lobis lateralibus truncatis.

Icon. Engl. bot. t. 165. Moris. hist. pl. sect. 5. t. 32. f. 17. Matth. disc. in Diosc. ed Valgr. 1568. p. 491.

β. diffusa: foliis oblongis vix sinuatis, perianthii lobis lateralibus subbidentatis. *Syn.* A. diffusum Tenor. fl. neap. prodr. p. 54. *Icon.* Tenor. fl. neap. tab. 251. f. 2. *Hab.* in maritimis circa Zara: var. iisdem locis circa Ragusa. Floret aestate. ⊙.

CLXVI. Thelygonum L.

gen. pl. ed. II. p. 350.

Char. Flores monoici axillares dioici subterni: mares ebracteati perianthio diphyllo compresso, demum revoluto, staminibus 8—16. imo perianthio insertis: foeminei masculis oppositi bractea bracteolisque suffulti, perianthio clavato apice a stylo perforato, sub anthesi lateraliter rumpente, ovario connato, ovulo basilari, stylo laterali, stigmate cylindrico obtuso. Fructus drupa monosperma nuda, semine verticali. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Polyandria. *Syst.* sex. —

482. Thelygonum Cynocrambe L. sp. pl. ed. II. p. 1411. Vis. stirp. dalm. p. 49. Host fl. austr. 2. p. 620. Reichb. fl. exc. p. 588. Alsch. fl. jadr. p. 226. Pett. bot. Wegw. n. 934.

Herba succulenta oleracea, decumbens, foliis petiolatis oppositis rhombeo-ovatis 3—5-plinerviis, stipulatis, floribus albidis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. VIII. f. I. Delil. descr. du Thel. in Ann. des sc. nat. avr. 1830. p. 370. Lam. enc. bot. pl. 777. Barrel. ic. pl. t. 335. C. Bauh. prodr. p. 59. *Hab.* ad rimas saxorum, et loca lapidosa tum continentis tum insularum frequens. Floret Aprili. Flores albidi. ⊙.

Obs. Nomen genericum, utpote quod a θῆλυ foemina ductum, scribi debet Thelygonum nec Teligonum uti scripsit Linnaeus. Planta ab Adansonio ad Santalaceas, a Jussieuo ad Urticeas, a Candolleo ad Chenopodeas relata, modo ob singularem perianthii et styli structuram a cl. C. F. Nees in ordinem proprium Cynocrambeae Rchb. Fl. germ. p. 588. recepta, qui Rosaceis-Cliffortieis omnino proximus est.

Tribus III. ANSERINEAE Moq.-Tand. chenop. enum. p. 7.

Caule continuo, floribus hermaphroditis polygamisve, perianthiis conformibus.

CLXVII. Chenopodium L.

Gen. pl. ed. II. p. 80.

Char. Flores hermaphroditi glomerati ebracteolati, perianthio aequaliter 5-partito, staminibus quinque imo perianthio insertis, ovario depresso astylo, stigmatibus binis brevissimis filiformibus. Fructus utriculus perianthio connivente pentagono obtectus semine horizontali. — *Cl.* Pentandria. *Ord.* Digynia. *Syst.* sex. —

* foliis integerrimis.

483. Chenopodium Vulvaria L. sp. pl. ed. II. p. 321. Vis. stirp. dalm. p. 30. Pett. bot. Wegw. n. 250.

Ch. cano-farinosum, foliis rhombeo-ovatis, floribus conglomeratis spicatis.

Syn. Ch. olidum Curt. fl. lond. fasc. III. tab. 20. Host fl. austr. 1. p. 323. Reichb. fl. exc. p. 578. Alsch. fl. jadr. p. 66. *Icon.* Curt. fl. lond. l. c. Flor. dan. t. 1152. Bull. herb. de la fr. t. 323. Blackw. herb. t. 100. *Illyr.* Lobòda smārdecha. Lobòda smārdljva. *Hab.* ad vias et ruderata vulgatissimum. Flores ut tota planta cano-farinosi foetidi. Floret aestate. ⊙.

484. Chenopodium polyspermum L. sp. pl. ed. II. p. 321. Host fl. austr. 1. p. 323. Reichb. fl. exc. p. 580. Pett. bot. Wegw. n. 248.

Ch. viride, foliis ovatis mucronatis nudis, floribus conglomeratis spicatis, perianthio fructus patente.

Syn. Ch. acutifolium Kit. in Schult. oestr. fl. 1. p. 458. Reichb. l. c. Host fl. austr. 1. p. 324. *Icon.* Engl. bot. t. 1480—81. Flor. dan. t. 1153. Camer. epit. p. 237. Lobel. icon. stirp. p. 256. *Hab.* locis udis pratensibus circa Spalato et Ragusa. Flores virides. Floret aestate. ⊙.

Obs. Variat caule decumbente aut erecto, foliis omnibus obtusis, vel superioribus acutis, spicis e cymis subsessilibus densis, vel e pedicellatis laxifloris.

** foliis dentatis sinuatisve.

485. Chenopodium ambrosioides L. sp. pl. ed. II. p. 320. Host Fl. austr. I. p. 323. Reichb. fl. exc. 579. Pett. bot. Wegw. n. 245.

Ch. viride, foliis oblongo-lanceolatis subsessilibus remote dentatis, superioribus integerrimis, spicis foliosis, seminibus rotundatis laevissimis nitidis.

Syn. Ambrina ambrosioides Spach. veg. phaner. 5. p. 297. *Icon.* Barrel. ic. pl. 1185. Zannon. hist. tab. 50. Moris. hist. pl. sect. V. tab. 31. f. 8. *Hab.*

frequens circa Fort-Opus in ruderatis. Floret ab aestate in auctumnum. Flores virides. ⊙.

Usus. Herba fragrantissima, nervina, diaphoretica, anthelminthica.

486. Chenopodium album L. sp. pl. ed. II. p. 319. VIS. stirp. dalm. p. 30. HOST fl. austr. 1. p. 322. REICHB. fl. exc. p. 579. ALSCH. fl. jadr. p. 67. PETT. bot. Wegw. n. 244.

Ch. albo virens, foliis basi longe cuneatis subrhombeo-ovatis inaequaliter sinuato-dentatis, superioribus lanceolatis integris, spicis glomeratis subaphyllis, seminibus nitidis.

Icon. C. F. NEES gen. pl. fasc. VII. n. 5. f. 1—13. FUCHS. hist. stirp. p. 119. TABERNAEMON. ic. stirp. p. 426. f. 2.

β. oblongum: foliis oblongo-lanceolatis subintegris. *Syn.* Ch. viride VAHL. fl. dan. fasc. XX. p. 4. REICHB. fl. exc. p. 579. non L. *Icon.* Fl. dan. tab. 1150. *Illyr.* Lobòda divlja. *Hab.* in cultis circa Zara, Sebenico, Spalato et in insula Lesina. Flores albo pulverulenti. Floret aestate. ⊙.

Obs. Icon fl. dan. varietatem nostram perbelle exhibens differt a Ch. viridi L. sp. pl. p. 319. spicarum brevium cymis remotis crassis, nec habet racemos filiformes divisos longos a LINNAEO suae plantae adscriptos.

487. Chenopodium viride L. sp. pl. ed. II. p. 319. VIS. stirp. dalm. p. 30. PETT. bot. Wegw. n. 247.

Ch. glaucum vel virens, foliis basi vix cuneatis deltoideo-rhombeis subtrilobis obtusis eroso dentatis, supremis ovali-acuminatis lanceolatisve integris, elongatis ramosis nudis, seminibus nitidis. spicis

Syn. Ch. opulifolium SCHRAD. ap. KOCH et ZIZ. cat. pl. palat. p. 6. REICHB. fl. exc. p. 579. *Icon.* VAILL. bot. paris. tab. VII. f. 1. *Hab.* in cultis et ad vias circa Sebenico, Dernis, Spalato, et insula Lesina. Floret aestate. Flores albidi. ⊙.

Obs. Ch. viride L. idem esse ac Ch. opulifolium SCHRAD. libenter assentior cl. MOQUIN-TANDON (chenop. enum. p. 28.) tum ob notas, quibus LINNAEUS suam speciem distinxit, quaeque et in alteram optime cadunt, tum ob iconem VAILLANTII, quae utrique plantae ab utroque auctore citatae, ambarum identitatem confirmant. Color plantae variat a glauco ad viridem, folia quandoque etiam ludunt acuta.

488. Chenopodium murale L. sp. pl. ed. II. p. 318. HOST fl. austr. 1. p. 322. REICHB. fl. exc. p. 579.

Ch. virens, foliis basi vix cuneatis ovato rhombeis nitidis, omnibus inaequaliter acute dentatis, supremis lanceolatis, spicis subcorymbosis divaricatis, seminibus opacis margine carinatis.

Syn. Ch. hybridum VIS. stirp. dalm. p. 30. ALSCH. fl. jadr. p. 66? PETT. bot. Wegw. n. 246. *Icon.* Engl. bot. t. 1722. MORIS. hist. pl. 5. tab. 31. f. 1. Atriplex. MATTH. disc. in Diosc. 1. p. 490. TABERNAEM. ic. stirp. f. 427. *Hab.* in ruderatis ad vias circa Sebenico, Dernis, Traù, Lesina, Ragusa. Flores viriduli. ⊙.

Obs. Icones MORISONI, MATTHIOLI et TABERNAEMONTANI bonae quoad folia, quoad inflorescentiam falsae.

489. Chenopodium urbicum L. sp. pl. ed. II. p. 318. HOST fl. austr. 1. p. 321. REICHB. fl. exc. p. 580.

Ch. virens, foliis triangularibus acutis sinuato-dentatis nitidis, supremis lanceolatis integris, spicis ramosis paniculatis strictis nudis, seminibus nitidis ecarinatis.

Icon. Flor. dan. t. 1148. Buxb. en. pl. agr. Hal. p. 69. *Hab.* in ruderatis, et ad casas pagi Dernis, ubi solum inveni. Fl. aestate. Fl. virides. ⊙.

CLXVIII. Agathophyton Moq-Tand.

nouv. ann. des. scienc. nat. 1834. 1. p. 291.

Char. Flores hermaphroditi, aut staminum abortu polygami, ebracteolati, perianthio aequaliter quinque-partito, staminibus quinque imo perianthio insertis, ovario ovato, stylo brevi crasso, stigmatibus 2 — 4 longe subulatis. Fructus utriculus perianthio connivente cinctus, semine verticali. — *Cl.* Pentandria. *Ord.* Digynia. *Syst.* sex. —

490. Agathophyton Bonus Henricus. Moq-Tand. l. c.

A. foliis triangulari-hastatis integerrimis subsinuatisve, florum glomerulis in spicas axillares terminalemque elongatam aphyllam congestis.

Syn. Chenopodium Bonus Henricus L. sp. pl. ed. II. p. 318. Host fl. austr. 1. p. 321. Blitum Bonus Henricus C. A. Mey. in Ledeb. fl. alt. 1. p. 11. Reichb. fl. exc. p. 582. Orthosporum Bonus Henricus C. F. Nees. gen. pl. VII. no. 6. *Icon.* C. F. Nees. gen. pl. l. c. f. 11 — 24. Flor. dan. t. 579. Bull. herb. de la Fr. pl. 317. Engl. bot. t. 1033. *Hab.* in ruderatis montium Vellebith. Prof. Alschinger. Fl. aestate. Flor. flavo viriduli. ♃.

Usus. Herba oleracea, ut Spinacia: vi quoque emolliente et refrigerante insignitur

Obs. Differt a Chenopodiis floribus polygamis, ovario ovato nec depresso, styli praesentia, stigmatum longitudine, semine verticali: a Blitis veris inflorescentia spicata, floribus interdum polygamis, stigmatibus elongatis et uno latere (intus) papillosis, perianthii phyllis exsuccis apice demum patulis nec conniventibus, et fructu brevioribus, nec ipsum ad apicem usque obtegentibus; ab Orthosporis denique iisdem stigmatum et perianthii caracteribus, quibus a Blitis discriminatur, et insuper habitu. —

CLXIX. Beta Tourn.

Inst. r. herb. p. 501. tab. 286.

Char. Flores hermaphroditi ebracteolati, perianthio aequaliter quinquefido, demum basi indurato; staminibus quinque annulo carnoso perianthii faucem cingente insertis, ovario depresso, stigmatibus binis oblongis basi connatis. Fructus utriculus subglobosus perianthio subcarnoso adhaerente et superante tectus, semine horizontali. — *Cl.* Pentandria. *Ord.* Digynia. *Syst.* sex. —

491. Beta vulgaris. L. sp. pl. ed. II. p. 322. Vis. stirp. dalm. p. 28. Reichb. fl. exc. p. 580. Alsch. fl. jadr. p. 70. (excll. synn.)

B. radice carnosa bienni, caule erecto foliis radicalibus subcordatis ovatis undulatis, spicae glomerulis multifloris bracteis lanceolatis multo brevioribus.

Icon. C. F. Nees gen. pl. VII. f. 16. Gaertn. de fr. et sem. 1. t. 75. f. 5. Blackw. herb. t. 235. Matthiol. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 499. *Illyr.* Blitva. Planta oleracea emolliens ubique frequentissime culta.

492. Beta maritima. L. sp. pl. ed. II. p. 322. Host fl. austr. 1. p. 324. Reichb. fl. exc. p. 580.

B. radice fusiformi gracili perenni, caulibus decumbentibus, foliis radicalibus rhomboideo-ovatis obtusis, superioribus cuneato-ovatis acuminatis, spicae glomerulis bi-trifloris, bracteis lanceolato-linearibus paullo brevioribus.

Syn. B. Cicla. Pett. bot. Wegw. n. 152, an L.? (excll. synn.) *Icon.* Sibth. et Sm. fl. gr. cent. III. tab. 254. opt. *Hab.* in maritimis circa Sebenico, Traù, Spalato, Lesina, Ragusa: etiam in montosis herbidis inter Verlika et Sign. Floret aestate. Fl. viriduli. ♃.

CLXX. Camphorosma L.

gen. pl. ed. II. p. 64.

Char. Flores hermaphroditi ebracteolati, perianthio quadrifido, lacinis duabus majoribus carinatis, staminibus quatuor imo perianthio insertis, ovario ovato, stylo tereti bi-trifido, laciniis setaceis intus stigmaticis. Fructus utriculus compressus perianthio immutato inclusus, semine verticali. *Cl.* Tetandria. *Ord.* Monogynia. *Syst.* sex.

493. Camphorosma monspeliaca. L. sp. pl. ed. II. p. 178. Vis. stirp. dalm. p. 29. Host fl. austr. 1. p. 218. Reichb. fl. exc. p. 581. Alsch. fl. jadr. p. 34. Pett. bot. Wegw. n. 190.

C. suffruticosa hirsuta, foliis caulinis floralibusque subulatis, floribus axillaribus glomerato-spicatis subsessilibus, perianthio pilosissimo basi glabrato bracteis breviore. *Icon.* C. F. Nees. gen. pl. fasc. VII. no. 9. Pall. illustr. pl. t. 57. Lam. enc. bot. pl. 86. Buxb. cent. pl. I. tab. XXVIII. f. 1.

β. glabrescens: subglabra, virescens. Moq.-Tand. Chenop. enum. p. 99. *Syn.* C. glabra L. sp. pl. ed. II. p. 178? *Hab.* locis macris, apricis, saxosis in tota Dalmatia litorali ab insula Veglia ad Ragusam. Floret ab Aprili in aestatem. Fl. viriduli. ♄.

Obs. C. glabra L. phrasi brevissima — foliis subtriquetris glabris inermibus — ab ipso tantummodo designata, et incompleta Dalechampii icone hist. pl. 1179 firmata, videtur ad varietatam nostram cum clarissimo Moquin-Tandon tute referri posse. Plantam autem Dalechampii haud glabram fuisse Dalechampius ipse testatur, ubi folia ejusdem describit subtus aliquantisper villosa, ideoque potius ad speciem referri debet.

Subord. II. SPIROLOBEAE. C. A. Mey. in Ledeb. fl. alt. 1. p. 370.

Seminis albumine excentrico pauco vel nullo, embryone spirali.

Tribus IV. SALSOLEAE. C. A. Mey. l. c.

Caule continuo, floribus hermaphroditis, perianthio sicco.

CLXXI. Suaeda Forsk.

fl. aegypt. arab. p. 69.

Char. Flores hermaphroditi bracteolati, perianthio quinquepartito, laciniis aequalibus ventricosis, staminibus quinque imo perianthio insertis, ovario depresso, stigmatibus binis brevibus basi vix connatis. Fructus utriculus depressus perianthii laciniis conniventibus inflatis inclusus, semine horizontali. — *Cl.* Pentandria. *Ord.* Digynia. *Syst.* sex. —

494. Suaeda maritima. Moq-Tand. chenop. enum. p. 308.

S. herbacea ramosa diffusa, foliis carnosis mollibus semicylindricis, floralibus brevioribus, floribus subternis axillaribus, semine nitido tenuissime ruguloso.

Syn. Chenopodium maritimum L. sp. pl. ed. II. p. 321. Host. fl. austr. 1. p. 324. Alsch. fl. jadr. p. 67. Pett. bot. Wegw. n. 247. Schoberia maritima. C. A. Mey. in Led. fl. alt. 1. p. 400. Reichb. fl. exc. p. 582. C. F. Nees gen. pl. f. VII. n. 11. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. l. c. n. 11. f. 13—18. Engl. bot. t. 633. Flor. dan. t. 489. Zannich. ist. piant. ven. tab. 14.

β. salsa: macrior, caule erecto, foliis obtusiusculis. *Syn.* Chenopodium salsum L. sp. pl. ed. I. p. 221. Salsola salsa L. sp. pl. ed. II. p. 324. Host. fl. austr. 1. p. 325. Suaeda salsa Pall. ill. pl. p. 46. Schoberia salsa. C. A. Mey. in Led. fl. alt. 1. p. 401. Reichb. fl. exc. p. 582. *Icon.* C. F. Nees gen. pl. l. c. no. 11. f. 1—12. Pall. l. c. tab. 39. *Hab.* in paludosis maritimis insularum Ossero et Lissa, et circa Zara, Traù et Spalato, ad lacum salsum Morinje prope Sebenico, et ad salinas prope Stagno. Floret aestate. Flores virides. ⊙.

Obs. Semina in utraque planta tenuissime rugulosa, in varietate tantum minora. Folia variant obtusiuscula, aut acutiuscula, nec differentiam constantem exhibent.

495. Suaeda fruticosa. Forsk. fl. aegypt. arab. p. 70.

S. lignosa, ramosa, erecta, foliis carnosis cylindricis laxe imbricatis, floralibus paullo brevioribus, floribus subsolitariis axillaribus, semine nitido laevi.

Syn. Salsola fruticosa L. sp. pl. ed. II. p. 324. Schoberia fruticosa C. A. Mey. l. c. Reichb. fl. exc. p. 582. *Icon.* Sibth. et Sm. fl. graec. cent. 3. tab. 255. Engl. bot. t. 635. *Hab.* ad rupes maritimas circa Ragusa. Floret aestate. Fl. virides. ♄.

Obs. Interdum epidermis caulium hujusce stirpis rimas agit, ut exitum praebeat novae cuidam speciei generis Sphaeriae, quam interim S Hostii nomino, et tunc plantam ipissimam exacte refert, quam fungillo hoc muricatam pro nova Salsola habuit cl. Trattinnick, et in suo Archiv der Gewaechs. t. 112 et Obs. bot. 3. p. 94 sub nomine Salsolae Hostii paucis descripsit, et icone illustravit. Habeo specimen e Ragusa. Suam legit b. Jos. Host circa Zara, si fides habenda catalogo plantarum dalmaticarum mihi a Viro benemerito communicato, quemque edidi in stirp. dalm. spec. p. XIX. Sed Trattinnick speciem descripsit juxta specimen ad salinas insulae Pago collectum.

CLXXII. Salsola L.

Gen. pl. ed. II. p. 81.

Char. Flores hermaphroditi bracteolati, perianthio subaequaliter quinque-partito, laciniis dorso demum transverse alatis, staminibus disco glanduloso insertis, ovario depresso, stylo brevi, stigmatibus subsetaceis pubescentibus. Fructus utriculus depressus perianthio stellato quinquealato inclusus, semine horizontali. *Cl.* Pentandria. *Ord.* Digynia. *Syst.* sex. —

496. Salsola Kali. L. sp. pl. ed. II. p. 322. Vis. stirp. dalm. p. 46. Host. fl. aust. 1. p. 325. Reichb. fl. exc. p. 583. Pett. bot. Wegw. n. 803.

S. foliis sparsis subulato-trigonis spinescentibus carnosis patentibus, floribus axillaribus solitariis, alis perianthii amplis subrotundis patulis coloratis.

α. hirta: Tenor. syll. fl. neap. p. 124. diffusa, hirta, virescens. *Icon.* C.

F. Nees gen. pl. fasc. VII. no. 10. Engl. bot. t. 634. Flor. dan. t. 818. Pall. illustr. pl. t. 28. f. 2. et t. 29.

β. glabra: Tenor. l. c. suberecta, glabra, viridis. *Syn*. S. Tragus L. sp. pl. ed. II. p. 322. Vis. stirp. dalm. p. 46. Reichb. fl. exc. p. 583. Alsch. fl. jadr. p. 67. Pett. bot. Wegw. no. 804. *Icon*. Dalech. hist. pl. 2. p. 1477. Lobel. ic. stirp. p. 797. Matthiol. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 1089. *Illyr*. Omakalj. *Hab*. ad ora maris in arenosis circa Zara, Sebenico, Crappano, Castelli, Ragusa, Budua, Castel Lastua, var. circa Ragusa et in insula Lissa. Fl. aestate. Fl. subrosei. ⊙.

Obs. Alae perianthii forma et magnitudine variant, et quandoque in specie sunt perianthio breviores, quandoque in varietate, et e contra, uti ex utriusque inspectione, et ex descriptionum auctorum, qui eas distinguunt, comparatione, elucescit.

497. Salsola Soda. L. sp. pl. ed. II. p. 323. Vis. stirp. dalm. p. 46. Host. fl. austr. p. 325. Reichb. fl. exc. p. 583. Alsch. fl. jadr. p. 67.

S. foliis alternis cylindricis mucronulatis carnosis mollibus, floribus solitariis geminatisque, alis perianthii brevissimis plicaeformibus.

Icon. Jacq. hort. vind. 1. t. 68. Pall. illustr. pl. t. 30. Lobel. icon. f. 394. *Hab*. praecedente rarius in maritimis circa Zara, Salona, et Ragusa. Floret aestate. Flores albidi. ⊙.

Usus. Ex hujus plantae cineribus, sed ex praecedentis quoque, aliarumque plantarum maritimarum, Soda obtinetur.

CLXXIII. Halogeton C. A. Mey.

in Led. fl. alt. 1. p. 367.

Char. Flores hermaphroditi bracteolati, perianthio subaequaliter quinquepartito, laciniis demum induratis transverse alatis, staminibus subquinis receptaculo insertis. Fructus utriculus compressus semine verticali. Caetera ut in Salsola. — *Cl*. Pentandria. *Ord*. Digynia. *Syst*. sex. —

M **498. Halogeton sativus.** Moq-Tand. chenop. monogr. p. 158.

H. herbaceus ramis diffusis foliosis inermibus, foliis alternis teretibus mucronatis carnosis glabris, floribus alternis glomeratis pentandris.

Syn. Salsola sativa L. sp. pl. ed. II. p. 323. Vis. stirp. dalm. p. 46. Host fl. austr. 1. p. 325. Reichb. fl. exc. p. 583. Alsch. fl. jadr. p. 67. *Icon*. Cav. ic. pl. t. 291. Colitur inter olera. Floret aestate. Flores virides. ⊙.

Ordo XXXV. AMARANTHACEAE.

R. Br. prodr. fl. nov. Holl. p. 413.

Flores hermaphroditi, aut abortu unisexuales, glomerati, bracteis involucrati. Perianthium calycinum siccum scariosum persistens immutabile 3 — 5 phyllum, phyllis aestivatione alterne imbricatis. Stamina hypogyna phyllorum numero aequalia, libera vel basi monadelpha, omnia fertilia, vel alternis sterilibus, antheris introrsis dorso affixis uni-bilocularibus, longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium superum uniloculare uni-pluriovulatum, ovulis funiculis destinctis ex imo ovario erectis singillatim appensis. Stylus simplex, raro subnullus, stigmate unico integro, aut lobato, aut diviso. Fructus utriculus evalvis irregulariter rumpens, aut

pyxidatim dehiscens, semine lenticulari-reniformi verticaliter appenso, embryone arcuato aut annulari albumen farinaceum cingente, radicula umbilico proxima.

Herbae (nostrates) ramosae, foliis alternis simplicibus integris penninervibus, sessilibus vel breviter petiolatis, exstipulatis.

Clavis analytica generum.

Floribus tribracteatis glomeratis **Amaranthus.**	Floribus bibracteolatis solitariis **Polycnemum.**

CLXXIV. Amaranthus L.

Gen. pl. ed. II. p. 348.

Char. Flores polygamo-monoici, perianthio 3—5phyllo, staminibus 2—5 basi liberis, utriculo circumscisso aut evalvi. — *Cl.* Monoecia. *Ord.* Pentandria. *Syst.* sex. —

499. Amaranthus Blitum. L. sp. pl. ed. II. p. 1405.

A. annuus, caulibus diffusis adscendentibus glabris, foliis ovato-rhombeis retusis emarginatisque, floribus triandris, axillaribus glomeratis, terminalibus spicatis, phyllis perianthii breviter acuminatis bracteas superantibus.

Syn. A. adscendens Lois. not. p. 141. Reichb. fl. exc. p. 585. C. F. Nees gen. pl. fasc. VII. no. 3. *Icon.* C. F. Nees gen. *pl.* fasc. VII. no. 3. f. 1—16. Reichb. icon. bot. cent. V. f. 664. Camer. epit. pl. p. 236. opt. Matthiol. disc. in Diosc. ed. Valgr. 1568. p. 480 opt. Pluken. phyt. tab. CCLXXII. f. 2. *Hab.* in ruderatis et cultis circa Traù. Floret aestate. Flores viriduli. ⊙.

Obs. Species haec a memetipso, et probabiliter ab aliis etiam cum sequente confusa, quapropter citationes plures omisi. Ipsam ex iconibus Camerarii et Plukenetii a Linnaeo ipso citatis, et plantam floribus non axillaribus tantum sed terminali-spicatis exhibentibus, verum Blitum veterum et Linnaei sistere arbitror. — A. Blitum cl. Reichb. icon. bot. cent. V. f. 663 ex sententia cl. Koch syn. fl. germ. p. 601. et Rchb. Fl. Saxon. p. 325. A. polygonoidem refert, et sane floribus foemineis majusculis infundibuliformibus membranaceis albidis obtusis (uti eos descripsit Linnaeus p 1407) et axillaribus tantum, nec terminalibus, a planta nostra, et ab iconibus supra citatis recedit.

500. Amaranthus sylvestris. Desf. cat. hort. paris. p. 44. Reichb. fl. exc. p. 585.

A. annuus, caule primario erecto, lateralibus adscendentibus glabris, foliis ovato-rhombeis obtusis, subintegris, mucronulatis, floribus triandris, omnibus glomerato-axillaribus, phyllis perianthii breviter acuminatis bracteas subaequantibus.

Syn. A. Blitum Vis. stirp. dalm. p. 24. nec L. *Icon.* C. F. Nees. gen. pl. fasc. VII. no. 3. f. 19—22. Reichb. icon. bot. cent. V. f. 667. opt. Jo. Bauh. hist. pl. 2. p. 967 f. super. *Hab.* in cultis et ad vias circa Zara, Sebenico, Traù, Spalato, Lesina. Floret aestate. Flores viriduli. ⊙.

501. Amaranthus prostratus. Balb. miscell. botan. p. 44. Host fl. austr. 2. p. 617. Reichb. fl. exc. p. 385.

A. perennans caulibus prostratis pilosiusculis, foliis ovato-rhombeis acuminatis apice obtusis mucronulatis, floribus triandris axillaribus, inferioribus glomeratis, superioribus terminalibusque spicatis, phyllis perianthii breviter mucronatis bracteas subaequantibus.

Icon. Reichb. ic. bot. cent. V. f. 666. opt. Balb. loc. cit. tab. 10. *Hab.* ad vias, et in cultis circa Sebenico, Traù, Cattaro. Flores pallide virentes. Floret aestate. ♃.

Obs. **Radix hujusce plantae minime annua est, ut auctores omnes adfirmant, sed perennis, radice crassa subcylindrica, patenter ramosa, qua nota ab omnibus Amaranthis distingnitur.**

502. Amaranthus retroflexus. L. sp. pl. ed. II. p. 1407. Vis. stirp. dalm. p. 24. Host fl. austr. 2. p. 617. Reichb. fl. exc. p. 585. Alsch. fl. jadr. p. 68. Pett. bot. Wegw. n. 51.

A. annuus, caule erecto villoso, ramis declinato-adscendentibus, foliis ovato-acuminatis apice obtusis mucronulatis scabris, floribus pentandris, axillaribus terminalibusque spicatis, spicis terminalibus thyrsoideo-congestis, phyllis perianthii obtusis bracteis longe setaceo-acuminatis duplo brevioribus.

Icon. Reichb. icon. bot. cent. V. f. 668. Willd. hist. amaranth. f. 21. *Illyr.* Sctir. Schir. *Hab.* ubique in cultis vulgatissima. Flores pallide virides. Fl. aestate. ☉.

Usus. **Herba junior cocta inter olera viliora communiter adhibetur.** *Obs* **Praeter has species frequenter colitur in Dalmatia montana A. paniculatus. L. sp. pl. ed. II. p. 1406, praesertim circa Pokrovnik, Mioçich, Verlika, nec non circa Cattaro sub nomine illyrico Sctir carljeni, Trator, Rumèni cvit, imo sponte oriri ajunt indigenae in monte quodam prope Verlika, qui ex ipso plantae nomine Sctirovaz nuncupatur. Num vero de hac, vel de alia planta agatur explorari meretur. Colitur quoque in insula Lesina A. hybridus L. l. c., uterque ob folia quae cocta edulia sunt.**

CLXXV. Polycnemum L.

gen. pl. ed. II. p. 17.

Char. Flores hermaphroditi, perianthio pentaphyllo, staminibus 1—5, saepius ternis, basi in annulum coalitis, utriculo evalvi indehiscente. — *Cl.* Triandria. *Ord.* Monog. *Syst.* sex. —

503. Polycnemum arvense. L. sp. pl. ed. II. p. 50. Vis. stirp. dalm. p. 44. Host fl. austr. 1. p. 41. Reichb. fl. exc. p. 583. Alsch. fl. jadr. p. 16. Pett. bot. Wegw. n. 716.

P. foliis rigidulis triquetro-subulatis imbricatis arrectis. Reichb. l. c.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. VII. n. 19. Jacq. fl. austr. tab. 365. *Illyr.* Jelicza. *Hab.* locis aridis, sterilibus, arenosis, ad vias a Zara ad Ragusam. Fl. viriduli. Fl. aestate. ☉.

Ordo XXXVI. SCLERANTHEÆ.

Bartl. Beitr. II. p. 153.

Char. Flores hermaphroditi cymoso-dichotomi ebracteati. Perianthium persistens 4—5 fidum tubo urceolato, lobis aestivatione imbricatis. Stamina 1—10, alternis saepe sterilibus, omnibus in annulum perigynum faucem perianthii obducentem basi connatis, antheris introrsis dorso affixis bilocularibus, loculis rima longitudinali intus dehiscentibus. Ovarium superum uniloculare uni-biovulatum; stylis stigmatibusque binis, aut stylo unico apice emarginato. Fructus utriculus mono-

spermus evalvis indehiscens perianthii tubo indurato et fauce constricto inclusus, liber, semine lenticulari ex apice funiculi e loculi fundo adscendentis pendulo, embryone annulari albumen farinaceum cingente, radicula umbilico proxima.

Herbae caule ramisque nodoso-articulatis, foliis oppositis, basi connatis, simplicibus integris exstipulatis.

CLXXVI. Scleranthus L.

gen. pl. ed. II. p. 153.

Char. Stamina decem, filamentis alternis setaceis sterilibus. Pistillum ovario biovulato, stylis duobus distinctis apice intus stigmaticis. Utriculus monospermus. *Cl.* Decandria. *Ord.* Digynia. *Syst.* sex.

504. Scleranthus annuus. L. sp. pl. ed. II. p. 580. Vis. stirp. dalm. p. 47. Host fl. austr. fl. austr. 1. p. 514. Reichb. fl. exc. p. 565.

S. perianthii laciniis acutiusculis angustissime membranaceo-marginatis, tubum aequantibus, fructiferis patulis.

Icon. C. F. Nees gen. pl. fasc. VIII. no. 6. Engl. bot. t. 351. Flor dan. t. 504. *Hab.* in agris et cultis insulae Cherso, et prope Sebenico, Spalato, Ragusa, Cattaro. Flores herbacei. Fl. aestate. ⊙.

Obs. Caules in nostro semper pubescentes, ut in icone Engl. bot., folia basi membranaceo-marginata et ciliata. Ab hoc forsan non differt Scl. hirsutus Presl. del. fl. sic. p. 65.

INDEX I.

INDEX II.

ORDINUM, TRIBUUM ET GENERUM

HOC IN VOLUMINE CONTENTORUM.

INDEX III.

NOMINUM ILLYRICORUM CUM SYNONIMIA BOTANICA.

Obs. **Additamenta et emendationes reperientur ad calcem operis.**

DRESDAE, TYPIS CAROLI RAMMING.



1. Cheilanthes fimbriata Vis. — 2. Aegilops biuncialis Vis.



1. Sesleria interrupta Vis. 2. Andropogon pubescens Vis.



1. Lolium subulatum Vis.   2. Armeria vulgaris W.

A. Harzer sc.



1, Ornithogalum saxatile
VISIANI.

2, Scilla amethystina
VISIANI

Alboth sc.



1, Crepis adenantha Vis. 2, Scorzonera latifolia Vis.





Picris laciniata Vis.



Senecio dalmaticus Vis.

A. Wiedenbach sc.



Senecio Visianianus PAPAF.



1. Artemisia Biasolettiana Vis. 2. Achillea argentea Vis.



1. Ptarmica abrotanoides Vis. 2. Jurinea Neumayeriana Vis.



Centaurea punctata VISIANI.



1, cuspidata VISIANI. 2 tuberosa VISIANI.

Centaurea.

Alboth sc.



Centaurea salonitana
VISIANI

A. Morz sc.



Campanula garganica TENORE.

XV.



Campanula serpyllifolia Vis.

Marko sc.


fragilis Vis.
subcrenata Vis.
Stachys



Stachys menthaefolia Vis.



1, Satureja parviflora Vis. 2, Satureja virgata Vis.



Thymus subcordatus Vis.



Thymus bracteosus Vis.



Cerinthe purpurea Vis.



1. *Matthiola glandulosa* VIS. 2. *Dianthus obcordatus* REUT.





1. Anchusa microcalyx Vis.   2. Lithospermum incrassatum Gr. & S.

XLIV



1, *Gentiāna crispatā Vis.*   2, *Hyoscyamus varians Vis.*



1, Asperula scutellaris Vis.

2, Asperula canescens Vis.

fo